J(.17.Pl.6.

37
27 B
19
ARA 2523

Digitized by Google

Digitized by Google

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
CONTRA

Atheos Polytheos Idololàtras Mahometanos & Judæos

Ex Devictis Hæreſibus directè ejus Veritatem impugnantibus

DEMONSTRATA

PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORUM
In Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem

NUNC

S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS VII.
PARS II.

De Hæreſibus II. III. & IV. Seculi.

ROMÆ, ex Typographia Bernabò, MDCCXXXIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ELENCHUS

Hæreſum quæ in hujus ſeptimi Tomi Parte II. referuntur & confutantur.

CAPUT XXIII.

De Cataphrygibus, ſive Montaniſtis aliiſque eorum aſſeclis.

§. I. *De Montano, Priſcilla, Marcellina.* pag. 1
§. II. *Montani Aſſeclæ. De Tertulliano & Pontifice Romano.* 7
§. III. *Montani error de Paracleto. Quid de Trinitate ſenſerit.* 16
§. IV. *Error de ſecundis nuptiis.* 24
§. V. *Error de Jejuniis.* 31
§. VI. *Error de poteſtate remittendi peccata.* 36
§. VII. *Error de fuga in perſecutione.* 42
§. VIII. *Errores Montaniſtis tributi.* 47

CAPUT XXIV.

De Pepuzianis, Artotyritis & aliis.

§. I. *Qui fuerint Pepuziani.* 50
§. II. *Pepuzianorum errores.* 52
§. III. *Artotyritæ eorumque errores.* 56
§. IV. *Taſcodrugitæ, Paſſalorinchitæ, Aſcodrugitæ & Aſcodrytæ.* 60

CAPUT XXV.

De Teſſareſcedecatiſtis ſeu Quartodecimanis.

§. I. *Origo & progreſſus controverſiæ.* 62
§. II. *Catholica de die Paſchatis deciſio.* 67
§. III. *Pro Quartodecimanis aliqua.* 71

CAPUT XXVI.

De Alogis.

§. I. *Qui fuerint, & cur ſic dicti.* 76
§. II. *Alogorum errores confutati.* 80

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De Adamitis, ſeu Adamianis.

§. I. *Adamitarum origo & mores.* 85

§. II. *Adamitarum errores rejiciuntur.* 88

CAPUT XXVIII.

De Elceſæis & Samſæis.

§. I. *Auctor, ortus, progreſſus.* 92

§. II. *Elceſaitarum errores de Chriſto, modo orandi, & ſacrificiis.* 95

§. III. *Elceſaitarum errores de Fide, Virginitate, Incantationibus & Juramento.* 102

CAPUT XXIX.

De Theodotianis ſeu Theodotiis.

§. I. *Theodoti lapſus & hæreſis.* 112

§. II. *Theodotianorum erores.* 115

CAPUT XXX.

De Melchiſedecianis.

§. I. *De Auctore & eorum hæreſi.* 121

§. II. *Melchiſedecianus error rejectus.* 124

CAPUT XXXI.

De Bardeſanitis.

§. I. *Bardeſanis conditio & geſta.* 130

§. II. *Bardeſanis errores.* 132

CAPUT XXXII.

De Noetianis.

§. I. *Noeti conditio, errores, & exitus.* 136

§. II. *Errores Noeti confutati.* 140

CAPUT XXXIII.

De Valeſiis.

§. I. *Eorum Auctor, error, & mores.* 146

§. II. *Valeſiorum error profligatus.* 150

§. III. *Danæi calumniæ diſſipatæ.* 154

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De Catharis ſeu Novatianis.

§. I. *De Novato & Novatiano.* 157
§. II. *Novati & Novatiani ſchiſma.* 163
§. III. *Novatianorum error palmaris.* 170
§. IV. *Alii Novatianorum errores.* 177

CAPUT XXXV.

De Angelicis.

§. I. *Qui fuerint, & quis eorum error.* 181
§. II. *Angelicorum error à Catholico dogmate ſecernitur.* 183

CAPUT XXXVI.

De Apoſtolicis.

§. I. *Qui, quando fuerint, & in quo erraverint.* 187
§. II. *Monachatus defenſio.* 191
§. III. *Rerum temporalium poſſeſſio Chriſtianis non vetita.* 196

CAPUT XXXVII.

De Sabellianis.

§. I. *Eorum Origo, Auctor, Tempus &c.* 210
§. II. *Sabellii error refutatur.* 215

CAPUT XXXVIII.

De Origenianis ſeu Origeniis.

§. I. *Origeniani qui fuerint, & quis eorum auctor.* 220
§. II. *Origenianorum errores.* 223

CAPUT XXXIX.

De Origene & Origeniſtis.

§. I. *Origenis geſta & exitus.* 225
§. II. *De Origenis Fide.* 231
§. III. *Origenis errores de Animabus &c. rejecti.* 239
§. IV. *Origenes de Filio Dei & Chriſto.* 249

CA-

Digitized by Google

CAPUT XL.

De Paulianis ſeu Samoſatenis.

§. I. *Pauli Samoſateni Patria, Conditio, Damnatio.* 254
§. II. *Pauli Samoſateni errores.* 259

CAPUT XLI.

De Photino & Photinianis.

§. I. *De Marcello Ancyrano.* 265
§. II. *De Photino, ejuſque damnatione.* 268
§. III. *Photini errores rejecti.* 272

CAPUT XLII.

De Manichæis.

§. I. *Hæreſis ortus: De Scythiano & Terbintho.* 275
§. II. *De Mane ſeu Manichæo, ejuſque exitu.* 277
§. III. *Generalia hæreſis Manichæorum capita.* 285
§. IV. *Errores de Deo & de natura mali rejecti.* 289
§. V. *Errores de Carne & de Chriſto refutati.* 294
§. VI. *Errores de Homine, Animabus, Libero arbitrio, Fide, Bello &c.* 303

CAPUT XLIII.

De Hieracitis.

§. I. *Hæreſis Auctor.* 314
§. II. *Hieracitarum errores.* 317

CAPUT XLIV.

De Meletianis.

§. I. *Meletius quis fuerit.* 320
§. II. *De Meletianorum erroribus.* 324

CAPUT XLV.

De Arianis.

§. I. *De Ario, ejus hæreſis occaſione, & initiis.* 327
§. II. *De Arii damnatione, reſtitutione & exitu.* 331
§. III. *Conſtantini mors, Julius Rom. Pontifex, Arianæ hæreſis furor.* 338

§.IV.

Digitized by Google

§. IV. *Perſecutio in Liberium & Oſium.* 344
§. V. *Arii & ſuorum errores rejecti.* 354

CAPUT XLVI.

De Audæanis ſeu Anthropomorphitis.

§. I. *De Audæo, Danæi calumniis, & Anthropomorphitarum ortu.* 363
§. II. *Audæanorum & Anthropomorphitarum errores rejecti.* 368

CAPUT XLVII.

De Semiarianis & Acacianis, ac voce Homouſion.

§. I. *Qui & à quo fuerint.* 373
§. II. *Semiarianorum & Acacianorum errores rejecti.* 376
§. III. *De voce Homouſion.* 379

CAPUT XLVIII.

De Macedonianis.

§. I. *Macedonii conditio, fortuna, hæreſis ortus, & damnatio.* 387
§. II. *Macedonii error refutatus.* 391



IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatii.

Phi. Archiepiſcopus Theodoſiæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

TRA-

TRACTATUS

De victoria adversùs hæreſes.

CAPUT XXIII.

De Cataphrygibus, ſive Montaniſtis aliiſque eorum aſſeclis.

§. I.

De Montano, Priſcilla, Marcellina &c.

I. CATAPHRYGES ſeu Phrygaſtæ hi hæretici nuncupati ſunt, quia ex Phrygia orti. Ita S. Auguſtinus Hæreſ. 26. *His nomen*, inquit, *Provincia Phrygiæ dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt, & etiam nunc in eiſdem partibus populos habent*. Pepuziani etiam dicebantur à Pepuza oppido Phrygiæ, quod pro Jeroſolyma ſua habuerunt. Ita Philaſtrius Hæreſ. 49. & Epiphanius Hæreſ. 48. num. 14. dicens: *Cæterum iidem illi deſertum quendam in Phrygia locum præcipuè venerantur, ubi* Pepuza *quondam oppidum fuit, quod hodie ſolo æquatum eſt. Eò ſiquidem Cœleſtem Jeruſalem deſcendere affirmant. Ergo illò proficiſcuntur, ac myſteria quædam obeunt, ſacriſque cæremoniis pro ſua opinione celebrant*. Montaniſtæ etiam, ſeu Montenſes ſunt communiter appellati à Montano eorum Sectæ Auctore unâ cum duabus Prophetiſſis Priſca & Maximilla, de quibus infra.

II. Montanus ergo in Provincia Phrygiæ ortum habuit ex parentibus gentilibus, & in gentilitate probabiliter educatus. Poſtea Chriſtianam fidem profeſſus & baptizatus, non diù in veritate ſtetit. Nam adhuc à baptiſmo recens, ambitione elatus ſub Grato Præſide aditum Dæmoni præbuit, & in vico quodam Ardaba nuncupato vaticinari cœpit, & novæ prophetiæ novam adjunxit hæreſim. Ita Anonymus Scriptor apud Euſebium. Lib. 5. Hiſt. cap. 16. de Cataphrygibus ſcribit: *Igitur obſtinata eorum coitio adversùs Eccleſiam, & nova pernicioſi ſchiſmatis hæreſis hanc habuit originem. Vicus quidam eſſe dicitur in Myſia contermina Phrygiæ nomine* Ardaba: *in quo ajunt, Montanum quendam ex iis, qui fidelium numero recèns adſcripti fuerant, immodicâ primi loci cupiditate captum, primùm ſub Grato Aſiæ Proconſule aditum in ſe adverſario ſpiritui præbuiſſe; & Dæmone repletum, ſubito quodam furore ac mentis exceſſu concuti cœpiſſe, & nova quædam atque inaudita proloqui, hariolantem ac prædicentem futura præter morem, atque inſtitutum Eccleſiæ à majoribus traditum, & continuâ deinceps ſucceſſione propagatum.* Quæ fuerit ambitionis & lapſus cauſa, an fortè fuit primi loci & dignitatis, exploratum non eſt. Quæcumque fuerit ſemper locum habebit S. Auguſtini dictum Serm. 46. (aliàs 165. de Tempore) cap. 8., quòd hæreſes *Una mater ſuperbia omnes genuit*.

III. Videns autem Montanus, ſe ſuaſque prophetias tanquam à Dæmone inſpiratas à viris piis contemni, imò palàm condemnari, ut incautos facilè decipere poſſet, duas ſibi adſcivit mulierculas, Priſcam ſeu Priſcillam, & Maximillam, ad ſua dogmata propaganda adjutrices, quas adulterino ſpiritu repletas, tanquam verè propheti ſſas venerandas voluit, & earum fictis revelationibus Libros promulgavit, quos propheticos appellavit: unde Theodoritus L. 3. Hæret. Fabul. c. 2. de Montano ait: *Et duas fecit propheti ſſas Priſcillam & Maximillam, & earum ſcripta libros propheticos appellavit*. Harum feminarum miniſterio plures Eccleſias in errorem inductas refert S. Hieronymus in Epiſt. 43. ad Cteſiphontem dicens: *Montanus immundi ſpiritus prædicator multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam nobiles & opulentas feminas primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit*. Nec nova fuit hæc Diaboli ars; qui enim feminâ decepit Adam, & totum humanum genus perdidit, hoc ſibi felici eventu animatus, fraudes ſuas per feminas inſinuare non deſiit.

IV. De harum feminarum conditione & ſtatu diſſidium eſt. Nobiles & opulentas fuiſſe Hieronymus aſſerit: eas etiam virgines, ut earum prophetiæ majori in exiſtimatione haberentur, Montaniſtæ proclamabant. Oppoſitum tamen ſentiunt, tum Apollonius

nius (apud Euſebium L. 5. Hiſt. c. 18.) qui adversùs Cataphrygarum hæreſim adhuc ſuâ ætate vigentem nempe quadrageſimo anno poſt ejus ortum ſcribens, eas non virgines, ſed conjugatas fuiſſe dicit, deſeruiſſe tamen viros ſuos, ut Montano adhærerent, his verbis: *Oſtendimus igitur, has principes prophetiſſas ſimul ac ſpiritu impletæ ſunt, viros ſuos dimiſiſſe. Quantoperè ergo mentiebantur, qui Priſcam virginem vocabant?* Tum ſupra relatus ignotus Scriptor (quem aliqui volunt fuiſſe Apollinarium Hieropolitanum Epiſcopum, aliqui Apollonium, alii Aſterium Urbanum) qui apud Euſebium L. 5. c. 16. eas mulierculas appellat: *Duas alias mulierculas ſuſcitavit, & adulterino ſpiritu replevit*, quo nomine feminas nobiles ac opulentas non appellaſſet. Nicephorus Lib. 4. Hiſt. c. 22. nedum mulierculas, ſed & Montani conjuges vocat: Et Chriſtophorſonus dictum Euſebii locum vertens legit, *Meretrices*. & quidem in ornatu meretriciam potiùs, quàm propheticam ſpeciem præferebant. Etenim comam molliter nutriebant, capillos coloribus pingentes: ſtibio quoque oculos liniebant, veſtium ornatum & pompam undique affectabant, neque à tabulis, teſſeris, aliiſque ſecularibus ludis ſe abſtinebant. Hinc Apollonius ſupra laudatus apud Euſeb. L. 5. c. 18. eas verè prophetiſſas non fuiſſe, his verbis oſtendit: *Dic mihi: tingit ne capillos propheta? an ſtibio oculos linit? an ſtudet ornari? propheta ne tabulâ ludit, & teſſeris? an pecuniam locat fœnori? Ingenuè fateantur ac reſpondeant, utrum hæc agere liceat, an ſecus*.

V. Dubitatur etiam de eo quod S. Hieronymus dixit, nempè Montanum per feminas illas opulentas auro primùm Eccleſias corrupiſſe; cùm potiùs ipſe pecuniam à ſimplicibus quos ſeduxerat, exigeret: ſic enim de eo Apollonius dicto c. 18. apud Euſebium L. 5. ait: *Qui pecuniarum exactores conſtituit, qui ſordidam munerum captationem oblationum nomine callidè obvelavit. Qui doctrinam ſuam prædicantibus ſalaria præbet, ut per fœdam ventris ingluviem doctrina ejus convaleſcat*. Et poſt multa, arguens Montani prophetas non eſſe veros prophetas, quia munera recipiebant: *Hoc igitur*, inquit, *fateantur, non eſſe illos prophetas, ſi munera accepiſſe convicti ſunt*.

VI. Hanc viam, Chriſti mandatis & Apoſtolorum exemplo contrariam, ſuis falſis doctrinis Montanus ac ejus Prophetiſſæ effundendis elegerunt. Sic ait Apollonius dicto c. 18. *Cùm enim Dominus præceperit*: Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque duas tunicas; *iſti contra in rerum vetitarum poſſeſſione graviter deliquerunt. Qui enim ab ipſis prophetæ & martyres dicuntur, eos non ſolùm à divitibus, ſed etiam à mendicis, pupillis, ac viduis pecunias corro-*

gare demonſtrabimus. Iſtis & aliis eos redarguit Apollonius. Propterea aliqui, ut refert apud Euſebium L. 5. c. 16. præfatus ignotus Auctor, Montanum ut abreptitium & Dæmoniacum, ac ſpiritu erroris actum turbaſque in populo excitantem indignabundi objurgabant, & loqui ulteriùs prohibebant. Alii verò ejus ſermonibus, & maximè prophetiſſarum vanis prædictionibus obcæcati, verum in eis ſpiritum loqui putantes obſecundabant. Hi tamen ſaltem initio perpauci erant in Phrygia. Univerſa autem Eccleſia, cùm ſæpiùs in pluribus Aſiæ locis conveniſſet, tandem agnitâ fraude eos expulit.

VII. Porrò Montanus ex dictis ex Apollonio ſuæ fundandæ Sectæ locum præcipuum Pepuzam & Tymium tunc parva oppida, quæ novam Hieruſalem appellabat, velut thronum elegerat. Ibi cum ſuis prophetiſſis aſcendens, convocatiſque populis prophetabat, oblationes conſtitutis exactoribus recipiebat, aliaque diſtribuebat officia. Hierarchiam tamen Apoſtolicæ contrariam in ſuo cœtu conſtituit: ubi enim Apoſtolico inſtituto Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, Montanus Epiſcopis tertium, & ultimum locum reſervabat. Teſtis eſt S. Hieronymus Ep. 27. (aliàs 54.) ad Marcellam his verbis: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas: ſecundos quos appellant Cenonas: atque ita in tertium, ideſt penè ultimum locum Epiſcopi devolvuntur.*

VIII. Quo autem tempore Montani hæc inſania eruperit, diſceptatur. Epiphanius Hæreſ. 48. quæ eſt de Phrygaſtis ſeu Montaniſtis: *Iſti*, inquit, *ſub Antonini Pii, qui poſt Hadrianum imperavit, annum* XIX. *emergere cœperunt*, ideſt circa ann. Domini 142. Euſebius in Chronico hanc hæreſim conſignat ſub Marco Aurelio Antonino anno Domini 172. Hæc tamen ex eodem Euſebio ſimul conciliari poſſe cenſet Baronius ad an. 173. n. 1., nam Euſebius L. 4. Hiſt. c. 27. Apollinaris ſcripta recenſens: *Scripſit*, inquit, *contra Cataphrygum hæreſim, quæ quidem non longè poſtea maximos tumultus excitavit: tunc temporis verò primùm enaſci cœperat, Montano cum falſis vatibus ſuis adhuc erroris ſui fundamenta jaciente.*

Ex quibus Baronius Montani & ſociorum tria tempora diſtinguit. Primum, cùm iidem in Eccleſia prophetare cœperunt; tunc enim in admiratione ſunt habiti, necdum detecti hæretici. Cùm enim ovinis pellibus lupos induentes vitam moribus compoſitam agerent, abſtinentiâ præſertim excultam, pravos mores liberrimè increparent, prophetico ſpiritu multa prædicerent, eaque apparentibus ſignis confirmarent, velut homines à Deo miſſos ad Eccleſiæ reformationem totus ferè Orbis admiratus fuit. Et hoc fuit tempus,

Digitized by Google

pus, quo juxta Epiphanium ſub Antonino Pio Montaniſtæ emergere cœperunt.

IX. Secundum verò tempus fuit, quo eorum doctrina, & propheticus quem jactabant ſpiritus, in controverſiam verti cœperunt: & hoc fuit Marci Aurelii Antonini primis temporibus: & his Apollinaris, ut ait Euſebius, Librum contra eam tanquam hæreſim tunc naſcentem, quia talem tunc primò apparentem, conſcripſit. Hæc duo tempora diſtinguere videtur Euſebius L. 5. Hiſt. cap. 3. dum ait: *Cæterum cùm Montanus & Alcibiades ac Theodotus tunc primùm in Phrygia opinione hominum tanquam Prophetæ celebrari cœpiſſent (multa quippe divinæ gratiæ miracula in pluribus Eccleſiis etiamnum fieri ſolita fidem plurimis faciebant, eos quoque prophetare) cùmque illorum hominum cauſâ diſſenſio orta eſſet, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium ſuum, religioſum in primis & cum rectâ fide conſentiens, rurſùs eidem Epiſtolæ ſubjunxerunt .... partim ad fratres in Aſia & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ Urbis Epiſcopum ſcripſeraut pro pace Eccleſiarum quaſi legatione fungentes.* His ergo duo tempora ſupponuntur: alterum, quo Montaniſtæ ut veri Prophetæ habiti fuerunt: alterum, quo in ſuſpicionem hæreſis devenerunt apud Gallos, cùm Marci Aurelii perſecutio apud eos vigeret: & de hoc tum ad fratres in Phrygia, tum ad Eleutherum tunc Romanum Pontificem judicium ſuum privatum detulerunt. Tunc ergo cœpit Montaniſtarum Secta priùs in exiſtimatione ſanctitatis habita, in ſuſpicionem hæreſis apud aliquos privato judicio revocari.

X. Tertium tandem tempus fuit, cùm eorum fraude palam detectâ, ab univerſa Eccleſia Catholicâ eliminati fuere. In quo non parum temporis & negotii opus fuit ob æſtimationem & gloriam, quam ſibi ſignis mendacibus & vitæ ſeveriori diſciplinâ apud plurimos comparaverant: adeò ut etiam ab Eccleſia pulſi acerrimos ſui invenerint defenſores, inter quos infelix Tertullianus, de quo infra dicam.

XI. Hanc temporum diſtinctionem à Baronio propoſitam confirmat Ricciolius parte 3. Chronol. Reform. catal. 2. ubi ait, Montanum prophetare cœpiſſe anno IV. Antonini Imperatoris, qui fuit Chriſti annus 112. ſub Theleſphori Pontificatu. Indè primis Marci Aurelii temporibus, & Pii I. Pontificatu anno Chriſti 162. de hæreſi ſuſpectum eſſe cœpiſſe. Palam poſtea detectum fuiſſe hæreticum, & ab Eccleſia pulſum, atque in Aſia & in Græcia ab Epiſcopis damnatum anno Domini 173. Aniceti Pontificis anno ultimo, & Marci Aurelii circa duodecimum; ac denique ſub Eleutheri Pontificis initiis, circa ann. 17. ejuſdem M. Aurelii la-

laqueo ſuſpenſum anno Domini ferè 178. interiiſſe.

XII. Talem enim fuiſſe Montani exitum, imo & Maximillæ ejus propheteſſæ, ut meruerant, ex publica fama refert præfatus ignotus Scriptor apud Euſebium L. 5. Hiſt. c. 16., ubi dilutâ calumniâ, quâ Catholicos tanquam Prophetarum interfectores Montaniſtæ accuſabant, dicit: *Reſpondeant nobis quæſo per Deum, eſt ne aliquis eorum qui jam indè à Montano & mulierculis garrire primùm cœperunt, qui à Judæis perſecutionem paſſus ſit, aut ab impiis trucidatus? Nemo certe. Nec verò ullus eorum pro Chriſti nomine prebenſus, in crucem actus eſt: ſed neque ulla mulier in Judæorum Synagogis, aut flagris cæſa, aut lapidibus impetita eſt. Nuſquam profectò nec unquam.* Deinde ſubdit: *Imo longè alio mortis genere interiiſſe dicuntur Montanus & Maximilla. Ambo enim, ut fama eſt, ab inſano ſpiritu incitati, laqueo ſibi gulam fregerunt, non quidem ſimul, ſed ſuæ quiſque mortis tempore: atque ita inſtar proditoris Judæ vitam finierunt.*

Subinde Theodoti unius è primis Montani aſſeclis exitum referens: *Sic etiam*, inquit, *admirabilis ille Theodotus, qui primus prophetiæ illorum, quaſi procurator quidam fuit, plurimorum ſermone perhibetur falſo mentis exceſſu abreptus fuiſſe, proinde ac ſi levaretur aliquando & aſſumeretur in Cœlum: cùmque ſe totum fraudulentiſſimo ſpiritui permiſiſſet, ab eo in altum jactatus miſerabili exitu periiſſe.* Hæc Scriptor ille, ut fama perhibebat.

XIII. Non citò tamen hæreſis hæc manſit extincta, ſed Conſtantini temporibus adhuc vigebat: nam in ſua adversùs Hæreticos edita ſanctione, ut refert Euſebius Lib. 3. de vita Conſtantini c. 64. & 65., quâ quoſcumque tum publicos, tum privatos conventus eis agere interdixit, recenſet etiam Cataphryges. Hæc tamen Lex quoad Montaniſtas, ſeu Phryges, in cæteris Imperii Provinciis effectum ſortita fuit, exceptâ Phrygia primâ eorum origine. Ita Sozomenus L. 2. Hiſt. c. 32. ubi de hac Lege loquens ait: *Phryges autem in reliquis Provinciis Imperii Romani eadem perpeſſi ſunt, quæ alii omnes Hæretici, exceptâ Phrygiâ & vicinis aliquot Provinciis; in quibus jam indè ab initio, & ab ipſis Montani temporibus, multitudine abundarunt, & nunc quoquè abundant.* Quæ confirmat S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. c. 26. dicens de Cataphrygis: *His nomen Provincia Phrygiæ dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt. Et etiam nunc in ejuſdem partibus populos habent.* Concilium quoque Conſtantinopolit. 1. ſub Theodoſio anno 381. Montaniſtas, ſeu Phryges recenſet inter Hæreticos, qui venientes ad fidem rebaptizari debent Can. 7.. Tempore Epiphanii adhuc ſupererant, ut ait Hæreſ. 48. num. 14. *Eſt enim hominum illa factio per Cappadociam,*

Digitized by Google

ciam, Galatiam, Prygiamque, quam ante commemoravimus, diſperſa. Unde & ſecundùm Phrygas Secta dicitur; ſed & in Cilicia & Conſtantinopoli frequentiſſima cernitur.

§. II.

Montani Aſſeclæ. De Tertulliano, & Romano Pontifice.

I. PRæter duas feminas Priſcillam (ſeu Priſcam) & Maximillam, quas ſibi ſocias ad falſas ſuas prophetias effundendas elegerat, de quibus ſupra locutus ſum, alios ſuæ Sectæ promulgatores, vel ſibi addictos, habuit Montanus. Celebres fuere Theodotus, & Alcibiades, quorum meminit Euſebius L. 5. Hiſt. c. 3. De infelici Theodoti exitu ſupra dixi. Fuit autem iſte Theodotus diverſus ab illo Theodoto Coriario, qui Chriſtum purum hominem aſſerens à Victore Papa fuit excommunicatus, de quo Euſebius L. 5. Hiſt. c. 28. & Philaſter Hæreſ. 50. ; & ab altero Theodoto Trapezita argentario Theodoti Coriarii diſcipulo, ut citato loco Euſebius: & nos de utroque infra.

De Alcibiade notandum eſt cum Euſebio L. 5. c. 3., hunc Alcibiadem Montani gregalem diverſum eſſe ab altero Sancto Martyre, qui eodem tempore, quo in Phrygia hæreſis hæc graſſabatur, in Gallia martyrium ſubiit. De eo in Epiſtola Eccleſiæ Lugdunenſis hæc apud Euſebium citato loco referuntur: *Alcibiades quidam unus ex illorum Martyrum numero durum & ſquallidum vivendi genus ſectabatur: nullumque omnino cibum admittens ſolo pane & aquâ ad id uſque temporis veſci conſueverat. Cùmque in carcere poſitus eandem vivendi rationem vellet retinere, Attalo poſt primum quod in Amphitheatro confecerat certamen, revelatum eſt, non rectè neque ordine facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minimè uteretur, & aliis exemplum ſcandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, & cunctis deinceps cibis promiſcuè uti cœpit gratias agens Deo.* Hæc de Alcibiade Martyre. At alter Alcibiades genere Phrygius falſo ſpiritu ſeductus Montanum ſequens, ipſe quoque vanis prophetiis alios ſeducebat.

II. Pro Montano pugnabat quoque Themiſon quidam. Is enim, ut ex antiquo Scriptore refert Euſebius L. 5. c. 16., Zotico Epiſcopo Comanenſi & Juliano Apameno garrulum Maximillæ ſpiritum coarguere volentibus toto conatu ſeſe oppoſuit: *Quibus Themiſon aliique os obturantes, mendacem illum ac vulgi ſeductorem ſpiritum ab illis coargui vetuerunt.* Hic Themiſon apud Montaniſtas tanquam Confeſſor celebrabatur, cum tamen confeſſionis

ſignum

Digitized by Google

ſignum nullum dediſſet, ſed potiùs vi pecuniæ erogatæ à vinculis ſe liberaſſet: unde Apollonius apud Euſeb. L. 5. c. 18. *Themiſon*, inquit, *ſpecioſá avaritiá obvelatus, qui confeſſionis ſignum non pertulit, ſed magná pecuniæ vi erogatá vincula abjecit*. Hoc tamen non obſtante Martyrem ſe jactaſſe, auſumque fuiſſe exemplo Apoſtoli Catholicam Epiſtolam ad ſuos conſcribere, ſubdit Apollonius: *Cùm ob eam cauſam modeſtiùs deinceps ac ſubmiſſiùs agere deberet, tanquam martyr ſeſe offerens, auſus eſt exemplo Apoſtoli conſcriptá Epiſtolá Catholicá, eos quidem qui fideliores ipſo extiterant inſtituere; novæ autem doctrinæ patrocinari: ac poſtremò in Dominum, in Apoſtolos, in SacroſanctAam Eccleſiam impiè loqui.* Tales erant Montani martyres.

III. Ejuſdem furfuris extitit alius nomine Alexander à Montaniſtis celebratus, & ut martyr habitus; qui certè non ob Chriſti fidem, ſed ob latrocinia ab eo patrata Epheſi ab Æmilio Frontino Proconſule judicatus fuit. Hunc ceù propheteiſſæ familiarem Apollonius ibidem ita deſcribit: *Reſpondeat nobis prophetiſſa de Alexandro, qui ſe martyrem prædicat, quocum ipsá convivatur, qui adoratur etiam ipſe à multis; cujus latrocinia & reliqua facinora, pro quibus pœnas dedit nihil opus eſt dicere, præſertim cùm in Tabulario contineantur*. Et infra, rem clarius exponens: *Quod verò*, inquit, *ad Alexandrum pertinet, ut veritas omnibus noſſe cupientibus, innoteſcat, judicatus eſt Epheſi ab Æmilio Frontino Aſiæ Proconſule, non ob nomen Chriſti, ſed ob ea quæ perpetraverat latrocinia, cùm jam deſertor fidei eſſet. Deinde verò ementitus nomen Chriſti, dimiſſus eſt, cùm urbis illius fideles feſelliſſet. Eccleſia verò ejus loci, unde erat oriundus, ipſum non recepit eò quod latrocinia exerceret. Si qui verò totum illius negotium ſcire deſiderant, præſto eſt publicum Aſiæ Tabularium*.

IV. Inter acerrimos Montani ac prophetiſſarum ejus defenſores recenſendus eſt quidam nomine Proclus genere Phrygius vir diſertiſſimus. Hic exemplo filiarum Philippi Diaconi, qui in Aſia cum prophetiæ dono vixerant, Maximillæ & Priſcillæ prophetias corroborare nitebatur. Cum hoc Cajus Scriptor antiquiſſimus diſputationem habuit Romæ ſub Zephyrino Papa, ut refert Euſebius L. 6. Hiſt. c. 20. *Pervenit etiam ad nos Caji diſertiſſimi viri diſputatio Romæ habita temporibus Zephyrini adversùs Proclum quemdam Cataphrygarum hæreſis propugnatorem*. Quod & repetit S. Hieron. L. de Script. Eccleſ. c. 59. in Cajo his verbis: *Cajus ſub Zephyrino Romanæ urbis Epiſcopo, ideſt ſub Antonino Severi filio diſputationem adversùs Proculum Montani ſectatorem valde inſignem habuit, arguens eum temeritatis, ſuper novam prophetiam defendendam;*

dam; ubi quem Euſebius & alii vocant *Proclum*, ipſe appellat *Proculum*, & Theodoritus L. 3. Hær. Fab. *Patroclum* nominat.

V. Huic Proclo conjungendus eſt Æſchines Montani & ipſe diſcipulus, qui tamen de ſuo particularem Sectam condidit: cum Proclo enim conveniebat, quòd Spiritus Sanctus in Apoſtolis fuerit, non item Paracletus: & quòd Paracletus in Montano plura imo & majora & meliora dixerit, quàm Chriſtus in Evangelio: in eo autem Æſchines ejuſque diſcipuli à Proclo & Proclianis diſſidebant, quòd Chriſtum & Filium & Patrem eſſe dicerent. Ita Auctor Append. ad Tertullianum de Præſcr. cap. 52. his verbis: *Acceſſerunt alii hæretici, qui dicuntur ſecundùm Phrygas: ſed horum non una doctrina eſt. Sunt enim qui Kata Proclum dicuntur: ſunt qui ſecundum Æſchinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blaſphemiam, aliam blaſphemiam non communem, ſed peculiarem & ſuam: & communem quidem illam, quâ in Apoſtolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuiſſe, Paracletum non fuiſſe, & qua dicant Paracletum plura in Montano dixiſſe, quàm Chriſtum in Evangelium protuliſſe; nec tantùm plura ſed etiam meliora atque majora. Privatam autem blaſphemiam illi qui ſunt Kata Æſchinem hanc habent, quâ adjiciunt etiam hoc, ut dicant, Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem.* Sic Æſchines à Montano deflexit: cùm enim de Chriſto & Trinitate Catholicè ſentiret, Æſchines ab eo recedens Sabellianæ hæreſis viam paravit.

VI. Præfatum Proculum ſeu Proclum inter alios Baronius ad ann. 173. num. 37. ſuſpicatur, fuiſſe Proculum Siccenſem ex Africa inſignem Grammaticum; cujus magiſterio inter alios Latinos uſum fuiſſe M. Aurelium Imperatorem, eumque ad dignitatem Proconſularem provexiſſe, auctor eſt Julius Capitolinus (in Marco) atque illum eundem fuiſſe, qui antea ſcripſerat adversùs Valentinianos, quem tanquam Chriſtianæ eloquentiæ dignitatem laudat Tertullianus in Lib. adv. Valentinianos c. 5. Et ab hoc eodem Proclo deceptum Tertullianum ipſum ad Montaniſmum defeciſſe, addit Baronius ad ann. 201. n. 11. At Valeſius in Notis ad L. 6. c. 20. Euſebii cenſet Proclum iſtum, quem Tertullianus laudat, & qui contra Valentinianos ſcripſit, diverſum eſſe ab eo, contra quem Cajus diſputavit. Quia iſte Montaniſta fuit homo Græcus; ideoque Græco idiomate diſputationem ſuam Cajus conſcripſit, eum Proclum vocans. E contra verò qui adversùs Valentin., ſcripſit Latino idiomate eſt uſus, & à Tertulliano Proculus appellatur. Sed hæc levia ſunt, nec in eis hærere præſentis Operis eſt.

VII. Ad hæreſim Montani acceſſiſſe aliquando Praxeam, notat

tat Pacianus in Epiſt. ad Symphronianum, ubi eum dicit Proculum habuiſſe inſtitutorem. Sed à Montano Praxeas deficiens, & factus ejus hoſtis infenſiſſimus, ad Zephyrinum Romanum Pontificem, ut nefarii architectum erroris eum detulit, & in cauſa fuit ut à Pontifice damnaretur. Nec tamen Catholicam fidem Praxeas interiùs ſuſcepit, ſed ſuam corde tenuit hæreſim, quam, ut dicam, nunquam dimiſit. Inaniter etiam de martyrio gloriabatur. Hujus rei fidem facit Tertullianus jam Montaniſta in Libro quem contra Praxeam ipſum ſcripſit cap. 1., ubi tam iniquè ob detectam Montani hæreſim, quàm juſtè ob propriam Sectam conditam ipſum laceſſit his verbis: *Iſte primus ex Aſia hoc genus perverſitatis intulit Romanæ humo* (nimirùm Montani prophetiam expulit, & ſuam hæreſim intulit, ut notat Pamelius) *& aliàs inquietus: Inſuper de jactatione martyrii inflatus ob ſolum & ſimplex & breve carceris tædium: quando etſi corpus ſuum tradidiſſet exurendum, nihil profeciſſet, dilectionem Dei non habens, cujus chariſmata quoque expugnavit. Nam idem tunc Epiſcopum Romanum agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea cognitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum adſeverando, & præceſſorum ejus auctoritates defendendo, coegit & litteras pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit: Prophetiam expulit, & hæreſim intulit: Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* At turpiter fallitur Tertullianus, dum ait, duo negotia Diaboli Praxeam egiſſe Romæ. Negotium quidem Diaboli fuit; cùm non diſtinguens Patrem à Filio, crucifixo Filio Patrem quoque crucifixum aſſerens, hæreſim intulit: ſed cum fanaticum Montani Paracletum Româ expulit, negotium Dei egit, & Diabolum expulit.

VIII. Damnatus ergo Romæ ob hæreſim Praxeas, hæreſim ſuam ejuraſſe viſus eſt, ſed re verâ eam corde retinentem apertâ fronte poſtea diſſeminaſſe Tertullianus ibidem aſſerit dicens: *Denique caverat priſtinum doctor de emendatione ſua, & manet chirographum apud Pſychicos* (ideſt *animales*, ſeu *carnales*, quo nomine factus Montaniſta Clerum Romanum per contemtum appellare conſuevit) *apud quos tunc geſta res eſt, exinde ſilentium. Et nos quidem poſtea agnitio Paracleti atque defenſio disjunxit à Pſychicis. Avenæ verò illæ ubique tunc ſemen excuſſerant. Ita aliquandiu per hypocriſin ſubdolâ vivacitate latitavit: & nunc denuò erupit. Sed & denuò eradicabitur, ſi voluerit Dominus in iſto commeatu; ſi quo minùs, die ſuo colligentur omnes adulteræ fruges, & cum cæteris ſcandalis igni inextinguibili cremabuntur.* Ita Tertullianus, deinde procedens

dens ad expugnandam Praxeæ hæreſim, qui blaſphemè ajebat, Filium Dei eundem eſſe cum Patre, & Filio crucifixo Patrem quoque fuiſſe crucifixum. Et ideo Praxeas è Sylla incidit in Charybdim, dum hæreſim Montaniſtarum vitans in turpiorem prolapſus fuit.

IX. Ex hactenus dictis apparere cœpit lugenda Tertulliani ſors, qui cèlebres ſuos pro Catholica fide exantlatos labores miſero in Montaniſmum lapſu fœdavit. Quæ hujus cauſa fuerit, diſputatur. Pamelius in Tertulliani Vita putat, cauſam fuiſſe repulſam quam ab Epiſcopatu Carthaginenſi poſt obitum Agrippini paſſus fuit; cui cum invidia quorumdam de Romano Clero operam contuliſſet, & ab eis proinde calumniis affectus, ad partes Montani deſcivit, eorumque laxiorem vivendi rationem carpere cœpit. Alii volunt, magis propter adeptum Epiſcopatum Eccleſiæ Romanæ à Victore qui Eleuthero ſucceſſerat. Cùm enim Victor Afer & ipſe fuerit, invidiam potuit in Tertulliano excitare, quòd ipſe poſtpoſitus fuerit gentili ſuo. In hanc ſententiam inclinat Baronius ad ann. 201. num. 9. Veriſimile tamen hoc de Tertulliano non videtur, qui ſimilem ex ambitione diſceſſionem in Valentino coarguerat L. adv. Valentinianos c.4. his verbis: *Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio: ſed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit (ut ſolent animi pro prioratu exciti præſumtione ultionis accendi) ad expugnandam converſus veritatem*. Et Lib. de Baptiſmo c. 17. rectè animadverterat, ambitionem ſchiſmatum originem eſſe: *Æmulatio*, inquit, *ſchiſmatum mater eſt*. Cùm ergo hæc ita ſint, non videtur ambitio, quam in aliis reprehenderat, ei cauſa fuiſſe, ut ad Montaniſtas deficeret.

X. Veroſimilius ergo puto cum Nat. Alex. Hiſt.Eccl.Seculi 2. Diſſert. 9. art. 1., cauſam defectionis Tertulliano fuiſſe, partim auſterioris vitæ & ſtrictioris diſciplinæ prætextus, à qua Romanus Clerus deficere putabatur: partim quòd Romanorum Clericorum exprobrationes impatienter ferret. Primam partem colligo ex ejus Libro de Monogamia c. 2. ubi ait: *Nec ullâ magis ex cauſa Paracletum negare coguntur, quàm dum exiſtimant, novæ diſciplinæ inſtitutorem, & quidem duriſſimæ illis, ut jam de hoc primùm conſiſtendum ſit in generali retractatu, an capiat Paracletum aliquid tale docuiſſe, quod aut novum deputari poſſit adversùs Catholicam Traditionem, aut oneroſum adversùs levem ſarcinam Domini*. Quia verò Monogamiam multi & maximè de Romano Clero non probabant, ideo paulò ante eos vocat *Pſychicos*, ideſt *carnales*, dicens: *Sed Pſychicis non recipientibus ſpiritum, ea quæ ſunt ſpiritus non placent.*

Ita dum quæ ſunt ſpiritus non placent, ea quæ ſunt carnis placebunt, ut contraria ſpiritui.

Itaque Tertullianus, ut ex ejus Scriptis apparet, duri erat ingenii, auſteriorisque animi: quare ſeverioris diſciplinæ arctiorisque vitæ amator, etſi ſimplex presbyter judicem ſe faciebat Eccleſiæ, quòd in ea aliqua morum laxitas ſibi appareret. Cùmque Montaniſtæ ſeverius vitæ genus profiteri viderentur, eò tandem erroris prolapſus eſt, ut de veritate dogmatum ex aſperiori vitæ cultu judicium ferens, Catholicâ veritate deſertâ, ad eorum partes tranſierit.

XI. Altera ſeceſſionis illius conjectura ſumitur ex facto cujuſdam militis, quod ſic expono. Accidit, ut Septimio Severo imperante, dum militibus corona Caſtrenſis diſtribueretur, miles quidam eam capite geſtare recuſaverit, putans eò quòd Chriſtianus eſſet, ſibi hoc non licuiſſe, quia juxta Gentilium morem. Cùmque contra hoc reclamarent nedum Gentiles, ſed Chriſtiani etiam, & fortè Romanus etiam Clerus, metuens ne Eccleſiæ turbaretur pax, & perſecutio excitaretur, Tertullianus factus præfati militis advocatus defenſam ſuſcepit Libro quem de Corona militis inſcripſit, & ita nempe c. 1. *Proximè facta eſt liberalitas præſtantiſſimorum Imperatorum. Expungebantur in Caſtris milites laureati. Adhibetur quidam illic magis Dei miles, cæteris conſtantior fratribus, qui ſe duobus dominis ſervire non poſſe præſumſerat, ſolus libero capite, coronamento in manu otioſo. Vulgata jam & juſta diſciplina Chriſtianorum relucebat. Denique ſinguli deſignare, eludere eminus, infrendere cominus in noſtrum. Tribuno defertur, & perſona jam ex ordine acceſſerat. Statim Tribunus; Cur, inquit, tam diverſus habitu? Negavit ille cum cæteris ſibi licere. Cauſam expoſtulatus, Chriſtianus ſum, reſpondit. O militem in Deo glorioſum! Suffragia exinde, & res apud Acta, & reus apud Præfectos.... de martyrii candida laureá melius coronatus donativum Chriſti in carcere expectat.* Subinde toto eo Libro hujus militis factum acriter defendit, oſtenditque, tali coronâ capiti impoſitâ uti viro Chriſtiano non licere.

XII. Cùm ergo factum militis illius Romana improbaret Eccleſia, quod nec crimen eſſet, nec Gentilitatis proteſtatio milites lauream geſtare donativum accepturos, & è contra ex inſolentia facinoris nova in Chriſtianos perſecutio timeri poſſet; Hinc magna Tertulliano à Romanæ Eccleſiæ Clericis conflata invidia eſt, qui durioribus verbis ipſum paſſim ac frequenter excipiebant, quòd privatus presbyter totius Eccleſiæ cenſorem ageret ac judicem. Quibus objurgationibus afflictus, & exaſperatus vir acris in-

ingenii, calamum acuit, Apologiam pro Milite edidit, & tandem Montani errores, quos jam mente imbiberat, palàm propugnare cœpit pluribus editis contra Eccleſiam ſcriptis. Huic conjecturæ favet S. Hieronymus L. de Script. Eccl. ubi de Tertulliano: *Cùm*, inquit, ***uſque ad mediam ætatem presbyter Eccleſiæ permanſiſſet, invidiâ poſtea & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogmata dilapſus eſt***. Quibus apparet, Tertullianum invidiâ præcipuè & contumeliis Cleri Romani, & ſtudio etiam ſeverioris diſciplinæ ad partes Montani declinaſſe.

XIII. Diluenda eſt calumnia, quam aliqui præcipuè ex Proteſtantibus alicui ex Romanis Pontificibus impingunt, nimirùm quòd Priſcæ & Maximillæ prophetias agnoverit, & aliquandiù approbarit. Ita inter cæteros Ittigius de Hæreſ. ſect. 2. c. 13. n. 29. qui teſtem inducit Tertullianum adv. Praxeam c. 1. ſcribentem, „ quòd Praxeas, dum multa falſa de Montaniſtarum prophetiis „ & Eccleſiis adſeveraret, Epiſcopum Romanum agnoſcentem „ jam prophetias Montani Priſcæ & Maximillæ, & ex ea agni- „ tione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem coegerit, & „ literas pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendo- „ rum chariſmatum conceſſare: ad quem locum Rigaltius nota- „ vit, non eſſe quòd ſuſpicemur, Tertullianum in re tam recenti, „ tamque manifeſta mentiri voluiſſe, quod contra eos notamus, „ qui hìc Tertulliani fidem ſuſpectam reddere conantur „. Hæc Ittigius. Qui tamen determinare neſcit, quis fuerit Epiſcopus ille Romanus, qui Montanizavit, ſolùm dicit, aliquos velle fuiſſe Anicetum, aliquos Eleutherum, alios Victorem, alios Zephyrinum; ſolùm concludit „ Quiſquis autem Epiſcopus ille Roma- „ nus fuerit, infallibilis certè non fuit „.

XIV. Profectò quis fuerit Romanus Epiſcopus, cui Montaniſmi notam affingunt, nemo hucuſque determinavit. Fuiſſe Zephyrinum aliqui etiam ex Catholicis putant, inter quos Natalis Alexandrè Hiſt. 3. diſſert. 1. art. 1. qui tamen Montaniſmi notâ eum purgat. Quia tamen Zephyrinus nonniſi multò poſt detectam Montani hæreſim, quæ ſub Aniceto, & Sotero eruperat, ſedem Pontificalem obtinuit, credibile non eſt, eum errori jam cognito, & damnato connivere voluiſſe. Cenſent ergo alii, hunc fuiſſe Eleutherum Soteri & Aniceti in Sede Romana ſucceſſorem, & ad eum referenda eſſe verba illa ex Tertulliano L. adverſùs Praxeam relata. Et hoc colligunt ex eo quod Euſebius L. 5. Hiſt. c. 3. narrat: *Cùm Montanus & Alcibiades ac Theodotus tunc primùm in Phrygia opinione hominum tanquam Prophetæ celebrari cœpiſſent (multa quippe Divinæ gratiæ miracula in pluribus Eccleſiis etiamnum fieri*

fieri ſolita fidem plurimis faciebant eos quoque prophetare) cùmque illorum hominum cauſâ diſſenſio orta eſſet, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium ſuum, religioſum in primis & cum recta fide conſentiens; rursùs eidem Epiſtolæ ſubjunxerunt prolatis interfectorum apud ſe Martyrum variis epiſtolis, quas illi dum in vinculis adhuc eſſent, partim ad fratres in Aſia & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis Epiſcopum ſcripſerant pro pace Eccleſiarum, quaſi legatione fungentes.

Idem Eleutherus fuiſſe creditur ille, de quo Tertullianus ſupra relatus adv. Praxeam ſcribit, quòd auditâ Praxeæ relatione de Montaniſtarum in ſuis falſis prophetiis perverſitate & contumacia, literas pacis, quas Lugdunenſium inſinuatione dederat, revocavit, ac ſuorum Prædeceſſorum ſententiam contra eos confirmavit.

XV. Uter autem fuerit, ſive Zephyrinus ſive Eleutherus, hæreſim Montani non approbavit, nec Montanizavit. Nam Tertullianus licèt jam Montaniſta & Epiſcopo Romano infenſus, ac proinde ſuſpectæ fidei (ut notat Pamelius ibi) non dicit Epiſcopum Romanum prophetias Montani adprobaſſe, ſed tantùm agnoviſſe: *Agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ & Priſcillæ*: agnoſcere autem, non eſt idem ac approbare. Præterea agnoſcere prophetias, idem non eſt ac agnoſcere hæreſim, vel in hæreſi contumaciam. Imo cùm ex litteris fidelium Lugdunenſium, ut ſupra, ſpem concepiſſet, Montaniſtas ad fidem & Eccleſiam redituros, literas pacis expedivit. Sed cùm à Praxea reſciſſet, eos in ſuo errore pertinaces, omnem pacis ſpem excludere, literas pacis revocavit, & Prædeceſſorum ſuorum condemnationem renovavit.

XVI. Factum ergo tale fuit, ut in notis ad Cap. 3. Libri 5. Euſebii exponit Valeſius. Conſulti fuerant Lugdunenſes & Viennenſes in Gallia à fratribus in Aſia & Phrygia conſiſtentibus, quid ſentiendum eſſet de pſeudoprophetia illâ, quæ apud illos exorta fuerat, quidque agendum eſſet Montano, Theodoto, aliiſque, qui per Sancti Spiritus gratiam futura ſe prædicere jactabant. Res quidem eo tempore perplexa, & diſcuſſione digna erat: quia ut ex Euſebio dixi, cùm tunc prophetiæ & miraculorum dona in plurimis Eccleſiis Divinâ gratiâ adhuc perſeverarent, fidem faciebant plurimis, talia eſſe quoque ea quæ Montaniſtæ ſpargebant. Ut tutò in hoc negotio Lugdunenſes, & Viennenſes procederent, ſententiam ſuam judicio, nedum proprio, ſed etiam Martyrum Epiſtolâ ad Aſianos aperuerunt, & inſuper Irenæum tunc presbyterum Romam ad Eleutherum cum Epiſtola tum propria, tum Martyrum direxerunt, ut cum eo rem communicaret, ejuſque judicium

cium expoſtularet. Lugdunenſium & Martyrum ſententia hæc erat. Prophetas benignè tractandos eſſe, & ad pœnitentiam provocandos: ac ſi quidem reſipiſcerent, ad Eccleſiam admittendos eſſe, ut pax inter fratres ſolidaretur. Si verò pertinaces in errore ſuo permanerent, nec poſt frequentes admonitiones Sacerdotibus Dei obtemperare vellent, ab Eccleſiæ corpore abſcinderentur.

XVII. Si ergo votum hoc Romanus Pontifex ſub hac conditione expreſſum ſuis literis approbavit, quis ſanæ mentis audebit dicere, Lugdunenſes & Romanum Epiſcopum Montani errorem approbaſſe, eique adhæſiſſe? Nunquid Pater errorem filii deſertoris approbaret, ſi pœnitentiâ revertenti gratiam ſuam promittat: ſe tamen eum exhæredaturum, ſi in deſertione perſiſtat: minetur? Hoc fecit cum Montaniſtis Eleutherus, quod facit cum peccatoribus Deus: gratiam ſuam ſi convertantur exhibet: ſi perſiſtant, pœnas indicit. Quia verò à Praxea audivit, Montaniſtas pacem ſibi oblatam reſpuere, oblatas litteras revocavit, ac ſuorum Prædeceſſorum exemplo ab Eccleſia eos eliminavit. Hæc dixi admiſſo Tertulliano, qui dicit Epiſcopum Romanum litteras pacis revocaſſe, homine ab Eccleſia extorri, & ideò ſuſpecto calumniæ: maximè quia Euſebius citatus dicit quidem, Lugdunenſes litteras pro pace Eccleſiarum ad Eleutherum direxiſſe, non dicit tamen Eleutherum eas decreto & literis ſuis confirmaſſe.

XVIII. Quid ad hæc Ittigius, & ſui gregis alii? Dicet ne amplius: *Quiſquis autem Epiſcopus ille Romanus fuerit, infallibilis certè non fuit?* Fateatur potiùs, perpetuam Eccleſiæ regulam fuiſſe ſemper in cauſis arduis & fidei ſemper Romanum adire Pontificem, & ab eo pro ſecuritate judicium exquirere. Factum hoc Lugdunenſium evidenter id demonſtrat. Unde Valeſius citato loco ait „ Cùm enim in omnibus Eccleſiaſticis negotiis primæ eſ-
„ ſent partes Epiſcopi Romani, meritò Lugdunenſes hanc con-
„ troverſiam ad eum detulerunt: id agentes & omnibus modis
„ ſtudentes, ut Epiſcopi Romani auctoritate, quæ ſemper ſumma
„ fuit in Eccleſia, hæc apud Aſiam orta diſſenſio ſedaretur, & pax
„ in Eccleſia reſtitueretur „. Imò idem Tertullianus adhuc ſanæ fidei L. de Præſcr. c.36. *Habes*, inquit, *Romam, unde nobis quoque auctoritas præſtò eſt ſtatu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt ..... Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit*. Ubi pro veritate habenda ad Eccleſiam Romanam ſpecialiter provocat: in qua ſupremum judicium reſidere nec factus hæreticus negare auſus fuit, dum in Lib. de Pudicitia c.1. etſi Epiſcopi Romani decretum ſuo errori contrarium hæretico more ſugillet, illud tamen

tamen appellat Decretum ſupremum, & peremtorium, quia decretum Epiſcopi Epiſcoporum & Pontificis Summi: *Audio etiam*, inquit, *edictum eſſe propoſitum, & quidem peremtorium; Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit: ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto*. Quo loquendi modo vel nolens fateri cogitur, Decretum Romani Epiſcopi, utpote ſupremi in Eccleſia, habitum fuiſſe etiam tunc à Catholicis ut ultimum & peremtorium. Ad hæc Ittigius reſpondeat: ego enim cum alibi hanc veritatem contra ſui ſimiles ſtatuerim, in præſens eum dimitto.

§. III.

Montani error de Spiritu Sancti adventu, & quid de Trinitate ſenſerit.

I. UT in ſuos errores traheret incautos Montanus, ſe ac ſuos Spiritu Sancto plenos ac prophetiæ dono inſignitos prædicabat. Dicebat ergo, Spiritum Sanctum Apoſtolis promiſſum, in ſe ſuaſque Prophetiſſas majori plenitudine deſcendiſſe ac in Apoſtolos. Unde Joelis prophetiam c.2., quam S. Petrus Act. 2. v.17. impletam dicit in die Pentecoſtes, nimirùm: *Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo & prophetabunt*: hanc in ſe ac ſuis Prophetiſſis majori effuſione impletam promulgabat. Et quidem magna fuit hæc tentatio, dum eo tempore emerſit, quo, ut ſcribit Euſebius ſupra relatus L. 5. Hiſt. c.3., adhuc in Eccleſia verus Prophetiæ ſpiritus cernebatur apud ſanctiſſimos viros: quo factum fuit, ut aliquandiù fideles hæſitarint, nec Montani fraudem detexerint, ut ſuperiùs obſervavi.

II. Dicebat ergo Montanus, referente S. Hieronymo Epiſt.27. aliàs 54. ad Marcellam, *Deum primùm voluiſſe in Veteri Teſtamento per Moyſen & Prophetas ſalvare Mundum: ſed quia non potuerit explere, corpus ſumſiſſe de Virgine, & in Chriſto ſub ſpecie Filii prædicantem, mortem obiiſſe pro nobis. Et quia per duos gradus Mundum ſalvare nequiverit, ad extremum per Spiritum Sanctum in Montanum, Priſcam, & Maximillam inſanas feminas deſcendiſſe, & plenitudinem, quam Paulus non habuerit, dicens* (1.Cor.13. v.9.) „Ex „ parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & nunc videmus

„ mus per ſpeculum in ænigmate „ *abſciſſum & ſemivirum habuiſſe Montanum*. Hæc S. Hieronymus, qui propterea Montanum vocat *abſciſſum & ſemivirum*, quia erat ex Phrygia, ubi Cybelis Sacerdotes caſtrari ſolebant.

III. Diſquiri ſolet, an Montanus eò inſaniæ devenerit, ut ſe ipſum Paracletum vocaret, ſeu Spiritum Sanctum, quaſi huic hypoſtaticè unitum. Affirmant Cyrillus Jeroſolym. Catecheſ. 16. num. 8., *Montanus* (inquiens) *ſe ipſum auſus eſt Spiritum Sanctum edicere*; & Theodoritus L.3. Hæret. Fab. c.3.: quin & Epiphanius addit Hæreſ.48.n.11., Montanum ad hoc delirium deveniſſe, ut ſe aſſereret etiam Patrem Omnipotentem, unde ajebat: *Non Angelus, non legatus aliquis, ſed egomet Deus Pater acceſſi*. Verùm nec ſe in ſubſtantia Deum Patrem, nec Paracletum inſinuare voluiſſe Montanum, ſed ſolùm in ipſo ſpecialiter & Patrem & Paracletum per gratias & dona inhabitare, imo ipſi majora & meliora, quàm Chriſto & Apoſtolis communicare, probabilius cenſent alii: quod idem Epiphanius citato loco indicat dum ait: *Montanus unum ſe glorificat, ac Patrem eſſe dicit Omnipotentem, qui in ſe ſe habitet*. Alioquin ſi ſe Patrem & ſimul Paracletum in ſubſtantia & Perſona eſſe dixiſſet, Paracletum & Patrem unam eſſe Perſonam exiſtimaſſet: qui error licèt ex ejus ſchola in Æſchine prodierit, Montano tamen non tribuitur, ut infra dicam.

Verius ergo cenſent alii, vel Montanum ſe appellaſſe Paracletum, non in perſona, ſed in munere, quaſi eo tanquam præcipuo organo uteretur, & per ipſum majora quàm per Chriſtum & per Apoſtolos manifeſtaret, vel potiùs ejus diſcipuli ſub hoc nomine eum diſtinxerint: imo quidam Spiritum Sanctum à Paracleto diſtinguentes, illum in Apoſtolos, ipſum in Montanum deſcendiſſe dixerint. Et in hoc ſenſu Euſebius L.5. Hiſt. c.14. dicit, Cataphrygas Montanum Paracletum nominaſſe. Omnes tamen ita conciliari poſſunt dicendo, Montanum ab initio tantùm pro inſigni Paracleti propheta habitum fuiſſe, poſtea verò ejus gregales obcæcatos Montanum ſuum ceu ipſum Paracletum venerari cœpiſſe.

IV. At neque Paracletum fuiſſe Montanum, neque à Spiritu Sancto Paracleto, ſed à Dæmone incitatum ad falſis prophetiis homines decipiendos, multa ſunt quæ apertiſſimè evincunt. Primò ex Epiphanio Hæreſ.48. n. 1. Dona Spiritus Sancti Eccleſiæ Catholicæ conferuntur, & illis, qui è Sanctorum grege ſunt, ac ea quæ Chriſtus & Apoſtoli docuerunt pronuntiant, non verò iis qui contendendi ſtudio nova & contraria proferentes ab Eccleſia recedunt. Imò hi ſunt à quibus cavere monet Joannes Epiſt.1. c.4.v.1.

Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in Mundum. Et cap. 2. v. 19. oſtendens quinam ſint: *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent utique nobiſcum*. Cùm ergo Montanus & ſui, prophetandi ſtudio, ſe ſupra Apoſtolos extollentes, & eorum doctrinæ contraria proferentes, ab Eccleſia receſſerint, non Spiritu Sancto inſpirante ſed Dæmone inſtigante locuti ſunt.

V. Secundò ex eodem Epiphanio num. 2. Gratiarum Spiritus Sancti dona ad nullum certum tempus limitata ſunt, ſed quolibet tempore ubi vult & cui vult diſpenſat, ut nunquam Eccleſiæ deſint. Cur ergo poſt Montanum & Priſcillam & Maximillam nullos amplius habent ſuæ Sectæ Prophetas? Adeò citò ab eis Spiritus Paracletus evolavit? At ab Eccleſia Chriſti non item. Ajunt Vatem ſuam Maximillam dixiſſe: *Poſt me nulla erit ampliùs Prophetiſſa: ſed finis ſequetur*. At unde hoc ſcivit, in ſe finem habituram prophetiam? an quia finis Mundi ſequetur? Ita planè. Cùm ergo ab hoc vaticinio tantum ſit temporis interlapſum, nec finis Mundi adhuc advenerit, quis non videt, eam falſo ac illuſorio ſpiritu fuiſſe locutam? Ita eam coarguit Aſterius Urbanus apud Euſebium L. 5. Hiſt. cap. 16. Cùm enim bella & clades Orbi imminere poſt ejus obitum prædixiſſet, & jam treſdecim anni ſummâ in pace fluxiſſent: *Nonne*, inquit, *etiam hoc mendacium manifeſtum apparuit? Etenim ab obitu Maximillæ uſque in hunc diem pluſquam tredecim anni jam elapſi ſunt, nec tamen ullum aut particulare bellum aut univerſale in terris fuit. Imò Chriſtianis præcipuâ quædam Dei miſericordiâ pax ſtabilis & firma permanſit*. Si ergo quia tredecim annorum lapſu fatalis Orbis everſio à Maximilla prædicta nondum evenerat, mendax ejus vaticinium Aſterius pronunciat, quid modò diceret, cùm per quindecim ſecula nihil eorum factum fuerit?

VI. Tertiò, falſos fuiſſe Vates ex modo quo prophetabant evincitur. De Montano enim narrat ſæpedictus antiquus Auctor apud Euſeb. L. 5. c. 16., dum prophetaret, *Subito quodam furore ac mentis exceſſu correpti cœpiſſe, & nova quædam atque inaudita proloqui: bariolantem atque prædicentem futura præter morem atque inſtitutum Eccleſiæ à majoribus traditum*. Idemque de ejus prophetiſſis obſervans: *Duas*, inquit, *alias mulierculas ſuſcitavit & adulterino ſpiritu replevit; adeò ut ipſæ quoque perinde ac ſupra memoratus ille, inſana quædam & importuna atque aliena loquerentur*. Hoc clarè demonſtrat eos non Dei Spiritu motos, ſed dæmoniaco arreptos, fuiſſe locutos. Ait enim apud Euſebium L. 5. c. 17. Miltiades:

des: *Pſeudopropheta autem in falſo mentis exceſſu, cujus comes eſt licentia & audacia, à ſpontanea quidem imperitia initium ſumens, in amentiam autem, ut jam dixi, involuntariam deſinens. Hujuſmodi verò ſpiritu nullum unquam nec in Vetere nec in Novo Teſtamento Prophetam afflatum poterunt demonſtrare*. Quibus ſubjungit Epiphanius Hæreſ.48. num. 3. *Verus quippe Propheta cùm ſui compos, tum ea quæ dicebat intelligens, futura nuntiabat: proque eo ac Spiritus Sanctus impulerat, præcipuè quodam animi robore vaticinari ſolebat. Sic ſervus Dei Moyſes ac fidelis in domo: unde &* Videns *in Vetere Teſtamento Propheta dicitur* „ Viſio, *inquit*, quam vi„ dit Iſaias filius Amos Propheta. Vidi Dominum ſedentem ſu„ per thronum & elevatum. Et vidi Seraphim & Cherubim; & „ audivi vocem Domini dicentem ad me. Vade dic Populo huic: „ Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non „ aſpicietis„. *Quæ cum audiſſet à Domino, tum ad Populum accedens ita narrabat*. „ Hæc dicit Dominus „ *Videſne intelligentis hæc eſſe quæ dicat, non ejus qui extra poteſtatem exierit*. Alia congerit Epiphanius, ut oſtendat, veros Prophetas non extra ſe raptos, nec ignorantes quæ dicunt, ſed ſcientes ac intelligentes loqui. Quare concludit: *At contra quæ iſti vaticinare ſe jactitant neque certá eum animi firmitate prædicant, nec quæ dicant intelligentiá conſequuntur. Sed obliqua ſunt illorum ac perplexa verba, nec recti omnino quidquam effutiunt*. Hactenus Epiphanius.

VII. Quis ergo audiens Montani Prophetiſſas furore adactas, ac quid dicerent neſcientes loqui, ethnicum potiùs, quàm ſacrum vaticinandi morem in eis non inſpexiſſet? Ita de Pythia celebri apud Delphum Vate judicavit Origenes L. 7. contra Celſum n.3.; quam poſtquam dixit per pudendam ſui corporis partem ſpiritum inſidentem accipere, eoque ſic repletam divina, ut putabatur, fundere oracula, advertens, ſpiritum eam vaticinantem extra ſe abripere, & in furorem agere ut ipſa ſibi conſtare non poſſet, ſubjungit: *Id certè ſpiritus Divini non eſt opus. Oportet enim, ut qui Divino ſpiritu afflatus eſt, is longè ante eos qui diſcendi causá quid ad civilem aut naturalem vitam conducat, quid quæſtui quid commodo ſit, oracula conſulunt, utilitatem indè percipiat, ac tum maximè fiat perſpicax, cum Numen ipſi conjungitur*. Inde allato exemplo Prophetarum Judæorum, quorum mens dum Sancto Spiritu implebatur, magis ſui compos perſpicax clara & intelligens fiebat, ſubdit: *Si autem extra ſe rapitur, ſi ſui compos non eſt Pythia dum vaticinia edit, cujuſnam altus generis cenſeri oportet ſpiritum illum, qui menti & rationi tenebras offundit, præterquam illorum Dæmonum, quos ex obſeſſis profligant è Chriſtianis multi, idque ſine ullo inutili*

magiæ aut incantationis auxilio, ſed ſolis precibus ſimplicibuſque adjurationibus, & quales vel ſimplicior homo poſſit adhibere?

VIII. Quia verò aliqui erant qui dicerent, prophetas furore ac inſaniâ prophetare, humanâ mente à ſpiritu abſorptâ, S. Baſilius Magnus in Procem. ad Comment. in Iſaiam num. 5. eos corrigit dicens: *Verùm id abhorret à profeſſione Divinæ præſentiæ, ut amentem reddat qui à Numine corripitur; cùmque plenus Divinorum decretorum eſſe cœperit, tum à ſua ipſius mente excidat, & qui aliis ex ſe ſe præbeat utilitatem, ipſe ex propriis ſermonibus nihil capiat emolumenti. In ſumma, quâ ratione conſentaneum eſt, ut quis per ſapientiæ ſpiritum ſimillimus inſano evadat, ac ex intelligentiæ ſpiritu vim amittat intelligendi? .... Non quidem diſſimile veri eſt, improbam poteſtatem, naturæ humanæ inſidiantem, confundere mentem; ſed idipſum per Spiritus Divini præſentiam effici, dicere impium eſt.* Ita Baſilius. Quod ſi aliquando de Prophetis dicitur, eos in ſtupore & exceſſu mentis locutos, non denotatur per hoc alienatio mentis, ſed admiratio, dum ea quæ ſupra hominis cognitionem ſunt videntes ſtupebant, & admirabantur. De hoc Epiphanius citato loco fusè diſcurrit.

IX. Hanc differentiam inter Vatem & Prophetam tradit etiam Chryſoſt. Homil. 29. in 1. ad Cor. dicens: *In idolis, ſi quis abreptus eſſet à ſpiritu immundo & vaticinaretur, quaſi abductus, ſic ille trahebatur à ſpiritu vinctus, nihil ſciens eorum quæ dicebat. Hoc enim divinatori proprium eſt, ut mente excedat, vim patiatur, pellatur, trahatur quaſi furens. Propheta verò non ſic; ſed cum vigili mente, cum temperanti conſtitutione illa ſciens quæ dicit, omnia loquitur.* Unde ad rem præſentem S. Hieronymus in Procem. ad Comm. in Iſaiam: *Neque verò*, inquit, *ut Montanus cum inſanis feminis ſomniat, Prophetæ in ecſtaſi ſunt loquuti, ut neſcirent quid loquerentur, & quum alios erudirent, ipſi ignorarent, quid dicerent, de quibus Apoſtolus ait* (1. Timoth. 1. v. 17.),, Neſcientes quæ loquantur, neque de quibus affirment,,: *ſed juxta Salomonem qui loquitur in Proverbiis* (c. 16. v. 23.),, Sapiens intelligit quæ profert de ore ſuo, & in labiis ſuis portabit ſcientiam ,, *etiam ipſi ſciebant quid dicerent. Si enim ſapientes erant Prophetæ, quod negare non poſſumus: & Moſes omni eruditus ſapientiâ loquebatur ad Dominum, & Dominus reſpondebat ei: & de Daniele ad Principem Tyri dicitur* (Ezech. 28. v. 3.),, Nunquid ſapientior es Daniele,,? *Et David ſapiens erat qui gloriabatur in Pſalmo* (50. v. 8.),, Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi,,: *quomodo ſapientes Prophetæ inſtar brutorum animantium quid dicerent ignorabant?* Quòd ſi Montanus & ſuæ aſſertæ Propheti ſſæ quæ dicerent neſciebant, Prophetæ Dei non erant, ſed ſpiritus nequam.

X. Aliis etiam rationibus conſtare poteſt, haſce Montani prophetias à ſpiritu Dei non fuiſſe: Primò, ex cauſa, quæ fuit ambitio; cùm enim primum quem ambiebat locum obtinere Montanus non potuiſſet, ſe prophetam jactare cœpit, ac duas mulieres tanquam in prophetando ſocias adulterino ſpiritu replevit, ut apud Euſebium L. 5. c. 16. Secundò, ex fructibus aſſertæ prophetiæ, qui alii non erant, niſi munera & pecuniam accipere, ut eis improperat Apollonius apud Euſebium Lib. 5. c. 18. Tertiò, ex vano luxu & pompa, quâ ejus Propheteſſæ incedebant, ut idem Apollonius citato loco teſtatur, quæ certè veris Dei Prophetis contraria ſunt. Quartò, ex iis quæ prænuntiabant, quia inſana, inaudita, & à Deo per Apoſtolos Eccleſiæ revelatis adverſantia. Et tandem ex infelici exitu quem Montanus & Maximilla habuere, quorum uterque laqueo ſibi gulam frangens, inſtar proditoris Judæ vitam finivit.

XI. Alterum quod examinandum propono eſt, an Montanus rectè & catholicè de Trinitate ſenſerit. Eum malè de Trinitate ſenſiſſe dubitant aliqui: Primò, quia Montanus ſe Paracletum nominabat: unde Tertullianus paſſim eum Paracletum vocat, ſed Montanus ſe Paracletum nominavit, & velut Paracletus à ſuis agnitus eſt; qui etiam in ejus nomine, non in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Baptiſma conferebant. Ita S. Baſilius Magnus Epiſt. 1. Canonicâ ad Amphilochium. Ideo in Canone 8. Concilii Laodiceni decernitur, ut qui ab hæreſi Cataphrygum convertuntur, ab Eccleſia baptizentur. Quod confirmavit S. Gregorius L. 9. Ep. 61. quæ eſt ad Quirinum. Secundò, quia S. Epiphanio teſte Hæreſ. 48. n. 11. non ſolum ſe Paracletum, ſed Deum Patrem eſſe dicebat: *Non Angelus, non legatus aliquis: ſed egomet Deus Pater acceſſi.*

Tertiò, quia Montanus unicam tantum in Deo Perſonam videtur agnoviſſe, ut enim ex S. Hieronymo Epiſt. 54. modò 27. ad Marcellam colligitur, dicebat, Deum, cùm per Moyſen & Prophetas Mundum ſalvare non potuiſſet, corpus ſumſiſſe de Virgine, & mortem obiiſſe: & quia ne ſic quidem Mundum ſalvare potuerit, per ſpiritum in Montanum deſcendiſſe. Hinc eſt quòd Socrates L. 1. Hiſt. c. 23., & Sozomenus L. 2. c. 8. Montanum cum Sabellio conjungunt.

XII. Nihilominùs Montanum ipſum circa Trinitatis myſterium non erraſſe, communior ſententia eſt. Fundatur tum in ſilentio veterum Scriptorum, qui Montani penè ætate floruerunt, ut ſupracitati apud Euſebium Lib. 5. c. 16. 17. & 18. Apollinaris, ignotus Auctor, ſeu Aſterius Urbanus, Apollonius, Miltiades &c. Hi namque cùm Montani errores, minoris etiam momenti, nota-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

verint, nullum ipſi errorem de Trinitate tribuerunt, certè non omiſſuri, ſi in hoc Fidei Chriſtianæ fundamentum ab eo violatum deprehendiſſent. Tum quia de Montani prophetiis Eccleſia aliquandiù anceps viſa fuit, an aliquid Catholicæ Fidei contrarium pronuntiarent, ut ſupra apud Euſebium L. 5. c. 3. in Lugdunenſibus & Viennenſibus oſtendi. Si autem de Myſterio Trinitatis aliquid impiè dictum detexiſſet, eas ſtatim ut blaſphemas damnaſſent.

XIII. Probo hoc idem ex Tertulliano Lib. adverſus Praxeam, quem factus jam Montaniſta ſcripſit. In eo enim licèt Montanum *Paracletum* appellet, omniaque Montani dicta ut à Paracleto accepta, & proinde divinitùs inſpirata proponat, nihil tamen Trinitati contrarium ab eo dictum profert. Imò cap. 13. Trinitatis Myſterium Catholico more exponens: ***Nos enim***, inquit, ***qui & tempora & cauſas Scripturarum per Dei gratiam inſpicimus, maximè Paracleti, non hominum diſcipuli, duos quidem definimus Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu Sancto, ſecundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum***; ac ſubinde oſtendit, Deum Patrem eſſe, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non tamen plures Dominos, aut plures Deos, ut retrò Idololatræ ſentiebant; & L. de Pudicitia, quem etiam factus Montaniſta ſcripſit, c. 27. ait: ***Eccleſia propriè & principaliter ipſe eſt ſpiritus, in quo eſt Trinitas unius Divinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*** Sic loquitur Tertullianus jam Montani diſcipulus. Non ergo Montanus malè de Trinitate ſenſit.

XIV. Accedunt ad hanc ſententiam Epiphanius Hæreſ. 48. n. 1., ubi recenſitis Montaniſtarum erroribus ſubdit: ***Nam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eadem cum Eccleſia Catholica ſentiunt.*** Philaſter L. de Hæreſ. c. 49. de Cataphrygibus: ***Patrem***, inquit, ***& Filium & Spiritum confitentur.*** Et Theodoritus Lib. 3. Hæret. Fab. c. 2. De Montano ait: ***Doctrinam verò de Divina Trinitate non corrupit.***

XV. Nunc ad contraria fundamenta reſpondendum eſt. Ad primum jam ſupra num. 3. expoſui, in quo ſenſu Montanus ſe Paracletum nominaret, & à ſuis ut talis agnoſceretur; non quia in Perſona Paracletus eſſet & talem eum exiſtimarent, ſed quia ſuis ipſe inſinuaverat, Spiritum Sanctum, qui in Apoſtolos deſcenderat, majori plenitudine chariſmatum in ſe ac ſuas Propheteſſas deſcendiſſe, ideoque ut Paracletum ideſt Conſolatorem. Et in hoc ſenſu ejus diſcipuli eum Paracletum vocabant, quia nempè in eo ſpecialioribus & majoribus donis, quàm in Apoſtolis Paracletum reſidere putabant. Ita autem eos ſenſiſſe teſtantur, non ſolùm Philaſter citato loco, & Auguſtinus L. de Hæreſ. c. 26. Sed & Ter-

Digitized by Google

& Tertullianus jam Montaniſta, qui tum L. de Pudicitia cap. 21. tum L. de Jejunio adversùs Pſychicos c. 12. dicit quidem in Montanum & Prophetas ſuos Paracletum veniſſe; eos tamen Paracletum eſſe non dicit.

Quod verò additur, Montaniſtas non in Patris & Filii & Spiritus Sancti nomine, ſed Montani & Prophetiſſarum ejus baptizaſſe, ideoque eorum Baptiſma ab Eccleſia rejectum fuiſſe; probat quidem, ſucceſſu temporis ex Montaniſtis aliquos in deterius ſemper ruentes, ad hanc amentiam deveniſſe, ut in nomine Montani & Prophetiſſarum ejus baptizarent, & ex hoc factum fuiſſe, ut eorum baptiſma ab Eccleſia repudiaretur, & Patres poſterioris ævi hunc inter Montani errores recenſuerint: At Montanum ipſum, & puros ejus diſcipulos non ita ſenſiſſe, ex ſupradictis nimis apertè conſtat. Imò ipſe Baſilius aſſerit, S. Dionyſium Alexandrinum Montaniſtarum Baptiſma ratum habuiſſe, quod ſignum eſt illud verbis Evangelicis ſaltem ſuo tempore fuiſſe ab eis collatum, niſi fortè dicatur, baptiſma Montaniſtarum fuiſſe Eccleſiæ ſuſpectum, non quia ſinè verbis Evangelicis illud conferrent, ſed quia in ejus collatione aliqua miſcebant denotantia Montani hæreſim, puta ſe profiteri fidem in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, eam tamen quam Montanus, & Prophetiſſæ tenebant, & docebant; Ideoque Eccleſia ad majorem cautelam venientes ab hæreſi Montaniſtarum juſſerit baptizari. Prior tamen reſponſio magis conſona videtur.

XVI. Ad ſecundum dico, S. Epiphanium, dum ait, quòd Montanus ſe dicebat eſſe Patrem, intendiſſe, quod hoc dixerit in eo ſenſu, quod dicebat ſe eſſe Paracletum, ideſt non in Perſona, ſed in ſpiritu, quaſi haberet in ſe ut organo Paracletum, & Patrem loquentem. In hoc autem ſenſu ſe loqui ipſe Epiphanius explicat dicens: *Montanus unum ſe glorificat, ac Patrem eſſe dicit Omnipotentem, qui in ſe habitet*, ut ſuperiùs dixi.

XVII. Ad tertium dico, errorem aſſerentem unam in Deo Perſonam ex ſchola quidem Montani prodiiſſe, ſed à Montani mente fuiſſe alienum. Hujus ergo erroris auctores fuere Æſchines, & Praxeas, Montani quidem olim diſcipuli, ſed privatæ poſtea hæreſis inventores. De Æſchine Auctor Appendicis ad Lib. de Præſcript. c. 52. hæc dicit: *Privatam autem blaſphemiam illi, qui ſunt Kata Æſchinem hanc habent, quâ adjiciunt etiam hoc ut dicant, Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem*. De Praxea verò Tertullianus Libro adversùs Praxeam c. 1. ait: *Unicum Dominum vindicat Omnipotentem, & Mundi conditorem, ut & de unico hæreſim faciat. Ipſum dicit Patrem deſcendiſſe in Virginem, ipſum ex ea natum,*

ipſum

ipſum paſſum, denique ipſum eſſe Jeſum Chriſtum; & inferiùs *Patrem crucifixit*. Cùmque toto eo Libro Tertullianus jam Montaniſta hunc errorem impugnet, evidens eſt, Patrem & Filium unam eſſe Perſonam non fuiſſe errorem ipſius Montani, ſed quorumdam ex ejus ſchola in hoc ab eo recedentium. Hinc S. Hieronymus loqui dicendus eſt de quibuſdam Montaniſtis ſui temporis, qui in hoc errore erant: unde de eis etiam dicebat: *Nos Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in ſua unumquemque Perſona ponimus, licèt ſubſtantiâ copulemus: illi Sabellii dogma ſectantes Trinitatem in unius Perſonæ anguſtias cogunt*. Loquitur ergo de Montaniſtis, qui poſt Sabellium vigebant duobus ferè ſeculis poſt Montanum, qui à Sabellio, non à Montano hunc errorem hauſerant, & ideo dicit *Sabellii dogma ſectantes*. De his etiam recentioribus Montaniſtis loquuntur Socrates & Sozomenus. Nam (ut ait Valeſius in notis ad Lib. 1. c. 23. Hiſt. Socratis) Montanus in doctrina Trinitatis ipſe quidem nihil innovavit, ſed Eccleſiæ Catholicæ fidem ſecutus eſt. Quidam tamen ex illius diſcipulis Perſonarum differentiam cum Sabellio ſuſtulerunt, ut ſcribit Theodoritus L. 3. Hær. Fab. c. 2. *Nonnulli autem eorum tres Perſonas Divinitatis, ſicut & Sabellius, negarunt, eundem eſſe dicentes Patrem & Filium & Spiritum Sanctum*. Hæc dixi in patrocinium, non Montani, quem ut hæreticum deteſtor, & inferiùs deteſtabor, ſed veritatis.

§. IV.

Montani de ſecundis nuptiis error.

I. Montanus, ut delirium ſuum confirmaret, quo dicebat, ſe à Paracleto melioribus donis, quàm Apoſtolos, imbutum, in eo totus erat, ut quod Apoſtoli permiſerant tanquam minùs inſtructi, ipſe meliori à ſuo Paracleto lumine perfuſus denegaret. Sicque ubi anteriores hæreſes, ut vidimus, laxitati, & libidini nimiùm indulſerant, ipſe ſeveriori diſciplinæ nimiùm ſe addicens in extremam & oppoſitam hæreſim lapſus eſt.

II. Dixit ergo primò, ſecundas nuptias pro fornicationibus & adulteriis eſſe habendas, ac proinde eſſe illicitas. Ita refert S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap. 26. de Cataphrygibus dicens: *Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideo dicunt eas permiſiſſe Apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat, & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum eſt. Hoc autem perfectum in Montanum & ejus Prophetiſſas veniſſe delirant*. Quod magis explicans

L. 32. contra Fauſtum c. 17. *Et Cataphrygæ*, inquit, *ſe promiſſum Paraclitum ſuſcepiſſe dixerunt, & hinc à fide Catholica deviarunt, conantes prohibere quod Paulus conceſſit, & damnare ſecundas nuptias quas ille permiſit; ſub his verbis inſidiantes, quia ſcriptum eſt de Paraclito: Ipſe vos inducet in omnem veritatem; quaſi videlicet non omnem veritatem Paulus & cæteri Apoſtoli docuiſſent, ac locum Cataphrygarum Paraclito reſervaſſent. Ad hoc & illud traxerunt, quod Paulus ait: Ex parte enim ſcimus, & ex parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt evacuabitur: ut ſcilicet ex parte ſciens & prophetans Apoſtolus dixerit* 1. Cor. 7. v. 36. *Quod vult faciat, non peccat ſi nubat: & ideo perfectum Paracliti Phrygiæ hoc evacuaverit. Ad hæc cùm eis dictum fuerit, quòd ſint Eccleſiæ tantò ante promiſſæ & toto Orbe diffuſæ auctoritate damnati; reſpondent, hinc etiam in ſe illud eſſe completum, quod de Paracleto dictum eſt* (Jo. 14. v. 17.) *Et Mundus eum accipere non poteſt*. His Auguſtinus exponit Montaniſtarum impudentiam, qui ſe ſolos ſapere quod perfectum eſt effutiebant, ac ſe ſolos accepiſſe Spiritum Paraclitum, quem nec Eccleſia nec Apoſtoli accipere potuerunt. Hoc quod Auguſtinus hìc etiam de Manichæis dicit, an dici quoque poſſit de noſtri temporis prætenſis Reformatoribus, qui ſe ſolos Spiritum Dei accepiſſe gloriantur, & hoc præſidio contra Eccleſiam eos damnantem ſe muniunt, judicet eruditus Lector.

III. In hoc errore tuendo totus eſt Tertullianus factus jam Montaniſta, qui propterea integrum edidit librum, quem de *Monogamia* inſcripſit. Hunc quodam ſuperbo faſtu ita inchoat: *Hæretici nuptias auferunt, Pſychici* (animales homines) *ingerunt. Illi nec ſemel, iſti non ſemel nubunt. Quid agis Lex Creatoris? Inter alienos ſpadones & aurigas tuos tantumdem quereris de domeſtico obſequio, quantum de faſtidio extraneo: proinde & te lædunt qui abutuntur, quemadmodum qui non utuntur. Verùm neque continentia ejuſmodi laudanda, quia hæretica eſt, neque licentia defendenda, quia Pſychica eſt. Illa blaſphemat, iſta luxuriat. Illa deſtruit nuptiarum Deum, iſta confundit. Penes nos autem, quos ſpiritales meritò dici facit agnitio ſpiritalium chariſmatum .... Unum matrimonium novimus, ſicut unum Deum. Magìs honorem refert lex nuptiarum ubi habet & pudorem. Sed Pſychicis non recipientibus ſpiritum, ea quæ ſunt ſpiritus non placent: ea quæ ſunt carnis placebunt, ut contraria ſpiritui: Caro, inquit, concupiſcit adversùs ſpiritum*. Hæc & alia ambitioſo ſpiritu Tertullianus. Qui tamen malè diſcurrit; debuiſſet enim dicere: hæretici ſunt qui nuptias auferunt, ergo hæretici ſunt qui ſecundas nuptias inferunt, vel ſi magis placet,

qui ſecundas nuptias præcipiunt, non verò qui ſecundas nuptias tantùm indulgent ac permittunt. Imò ſicut hæreſis non eſt, quæ nuptias non præcipit, ſed concedit, ita nec erit quæ ſecundas nuptias concedit quidem, ſe non præcepit; ſicut enim illa non aufert nuptias, ſic nec iſta ſecundas nuptias infert. Quæ tamen ſecundas nuptias abſolutè negat, directè opponitur ei quæ nuptias aufert. Cùm ergo Catholica Eccleſia à Paulo edocta nec primas nuptias nec ſecundas nuptias vetet, nec præcipiat, ſed tantùm concedat, & indulgeat, Montaniſtæ autem ſecundas nuptias damnent ac reprobent: quis magis accedit ad hæreſim auferentem nuptias, Catholici? an ipſi? Catholici ſequuntur Paulum 1. Cor. c. 7. v. 39. dicentem: *Mulier alligata eſt Legi quanto tempore vir ejus vivit: quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat: tantùm in Domino*. Ut autem notum ſit, ſecundas nuptias permitti quidem, ſed non præcipi, ſubjungit: *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium*: puto autem *quòd & ego ſpiritum Dei habeam*. Paulus ergo ſpiritu Dei loquens continentiam à ſecundis nuptiis laudat quidem velut ſuum conſilium, ſed tranſitum ad ſecundas nuptias mortuo priori viro concedit: quo ergo ſpiritu hoc negat Tertullianus?

IV. Dicit ibi, hanc fuiſſe quidem veterem & Apoſtolicam Traditionem, ſed à Paracleto novam diſciplinam Apoſtolis incognitam fuiſſe poſtea inductam, quam Dominus ipſe futuram pronuntiavit, cum ait Joan. 16. v. 12. *Adhuc multa habeo vobiſcum: ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Bene! At hoc Chriſtus promiſit Apoſtolis, non Montano & ejus Propheti[s]ſis: *Ille*, inquit, *Spiritus veritatis docebit vos*, non unam aut alteram, ſed *omnem veritatem*. Quod promiſit, implevit: miſit in Apoſtolos Spiritum Veritatis, quo edocti omnem veritatem noverunt, & Eccleſiæ voce & ſcripto prædicare cœperunt, ei regulas præſcribentes, non pro certo tempore, ſed uſque in finem duraturas. Quòd autem nova & contraria Montano revelaverit, unde habet Tertullianus? Si hoc ita eſt; quiſquis novum & oneroſum, imo & Apoſtolicæ doctrinæ contrarium, inducere velit, poterit ſe hâc viâ tueri dicens, ſe à Paracleto hoc accepiſſe.

V. Dicit ulteriùs L. de Monogamia cap. 11., Paulum ſupra allegato loco permittere ſecundas nuptias mortuo viro mulieri, quæ in infidelitate nupſerat, & virum ethnicum habuerat, hæc enim ſi eo mortuo ad fidem converſa nupſerit, non delinquet, *quia*, inquit, *nec hic ſecundus maritus deputabitur, qui eſt à fide primus*. Non autem hoc permittere mulieri fideli, ut mortuo marito fideli alteri

alteri nubat. Sed quia ipſe Tertullianus videt, Paulum non dicere *ſi dormivit vir ejus*, ut referri poſſit ad virum jam in infidelitate amiſſum, ſed *ſi dormierit vir ejus*, quod futuri temporis eſt, & ſpectat mulieres fideles, quibus jam Chriſtianis viduitas contigerit: reſpondet, quòd ſi ita eſſet, poſſet mulier etiam infinitum nubere. Sed hæ nugæ ſunt. Nam ex doctrina Pauli ſequitur, quòd ſi mulieri permittitur ſecundò nubere, permittitur etiam tertiò, & quoties virum amiſerit. Cæterum ut pateat, Paulum viduis etiam fidelibus permittere, imò & velle ut ſecundò nubant, legatur Ep. 1. ad Timoth. c. 5. v. 14., ubi de viduis fidelibus, ſed junioribus ait: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres-familias eſſe*.

VI. Verùm acre Tertulliani ingenium non quieſcit, ſed in dicto Libro duo conatur oſtendere. Unum, quòd in Novo Teſtamento, ſicut Chriſtus abſtulit repudium in Vetere à Moyſe permiſſum propter duritiem cordis Judæorum, ita & Paracletus abſtulit ſecundas nuptias, quas Paulus ob carnis infirmitatem indulſerat. Secundum, quòd adulterium committit, qui poſt obitum alterius conjugis ſecundis copulatur nuptiis, ac ille qui vivente uxore alteri nuberet. Probat primum c. 9. ſic: Ideo repudium jam permiſſum Chriſtus prohibuit, quia ab initio non fuit ſic, & quia quos Deus conjunxit homo non ſeparabit, ſolus enim eos ſeparabit, qui eos conjunxit, ſi autem quis repudiaret uxorem, homo contra Dei voluntatem ſepararet quæ Deus conjunxit: atqui nec ab initio fuit numerus nuptiarum, nam unum uni non pluribus conjunxit Deus: ergo ſicut ablatum eſt à Chriſto repudium, ita & nuptiarum pluralitas. Secundum verò ita probat: Matrimonium eſt, cùm Deus jungit duos in unam carnem: Adulterium verò eſt, cùm quoquo modo disjunctis alia caro, imò aliena miſcetur: ſed qui priori conjuge defuncto alias contrahit nuptias, aliam carnem ſibi immiſcet ſuper priſtinam: ergo adulterium committit.

VII. Reſpondeo ad primum, quòd Repudium habemus expreſsè ablatum à Chriſto in Evangelio Matth. 5. v. 32. Matt. 19. v. 9., ubi declarat adulteram, quæ dimiſſa alium duxerit. At tranſitum ad ſecundas nuptias mortuo priori conjuge, à quo legitur vetitum in Evangelio? A Chriſto? non. Ab Apoſtolis de ejus mandato? Minùs. Imò Paulus Roman. 7. v. 2. & 3. primum expreſsè negat, ſecundum concedit dicens: *Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt Legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à Lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à Lege viri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro*: quod repetit 1. Cor. 7.

D 2 v. 39.

v. 39. Ex his ad ſecundum. Si mortuo viro ſoluta eſt à lege viri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro, & hoc dicit Paulus; cur eam eſſe adhuc ligatam, & adulteram, ſi fuerit cum alio vult Tertullianus? Qui carne conjuncti ſunt, per carnis unius mortem manent ſeparati, non ab homine, ſed à Deo. Quis eum docuit, carnem conjugis viventis manere adhuc conjunctam cum carne conjugis jacente in ſepulchro? Si dicat: Paracletus Montani. En, dicam ego, Paracletus iſte non eſt ſpiritus Dei, ſed adverſarius ſpiritus: *nam* (ipſo Tertulliano teſtante) *adverſarius ſpiritus ex diverſitate prædicationis apparet, primò Regulam adulterans fidei, & ita ordinem adulterans diſciplinæ*. Cùm ergo conſtet, novam hanc Paracleti diſciplinam adverſari fidei Regulæ, quia adverſatur doctrinæ ab Apoſtolo prædicatæ, fit conſequens eam ab adverſario ſpiritu prodiiſſe. Unde aut neceſſe eſt dicere, Spiritum Dei non eſſe in Paulo locutum; aut ſi in Paulo locutus eſt, non eſſe locutum in Montano, adverſa dictis Pauli pronuntiante.

VIII. Concedo utique, perfectiorem eſſe continentiam vidualem, quàm ſecundas nuptias, ſicut & virginitatem, quàm matrimonium, eodem Paulo teſte 1. Cor. 7., & ideo virginitatem & continentiam vidualem iis, qui eam ſervare volunt & poſſunt, conſilio ſuo proponit: & de viduâ dicit: *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium*. Attamen ſicut non damnat matrimonium, ſed illud proponit iis qui non ſe continent, ita eis ſecundas nuptias proponit tanquam remedium: *Dico autem* (inquit v. 8.) *non nuptis & viduis: bonum eſt, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quòd ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere quàm uri*. Continentiam ergo vidualem Paulus laudat, ſed ſecundas nuptias non damnat. Beatiorem pronuntiat viduam ſi ſic permaneat, ſed beatam non negat, ſi iterum nubat. Hinc Theodoritus in c. 7. 1. ad Cor. *Notandum eſt*, inquit, *non eſſe abſolutè & ſimpliciter beatam vocandam eam quæ continet, ſed eam beatiorem appellavit, dicens, nec eam quidem eſſe miſeram, quæ ſecundo matrimonio jungitur: ſed beata eſt, quæ ex Apoſtolica lege matrimonium contrahit. Comparatio enim illam etiam beatam oſtendit. Hoc autem ſufficit ad refellendos Novatianos, qui digamiam tanquam fornicationem accuſant, Apoſtolicis legibus apertè contradicentes*. Novatiani enim in hac eadem hæreſi erant.

IX. Catholicam hanc veritatem confitentur Patres cæteri. S. Hieronymus Epiſt. 30. aliàs 50. ad Pammachium: *Ego*, inquit, *etiam nunc liberá voce proclamo, non damnari in Eccleſia digamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere: ſed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ,*

ita

ita nec prædicantur. Solatia miſeriæ ſunt, non laudis continentiæ. Item Epiſt. 91. aliàs 11. ad Ageruchiam de Monogamia: *Quid igitur? Damnamus ſecunda matrimonia? minimè; ſed prima laudamus. Abjicimus de Eccleſia digamos? Abſit. Sed monogamos ad continentiam provocamus.* Et Ep. 27. aliàs 54. ad Marcellam de Montaniſtis ait: *Nos ſecundas nuptias non tam appetimus, quàm concedimus, Paulo jubente, ut viduæ adoleſcentulæ nubant: illi in tantum putant ſcelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur.*

X. S. Auguſtinus Lib. de Bono Viduitatis c. 11. In ea quidem, quæ Deo vovit continentiam vidualem, damnat ſecundas nuptias tanquam adulteriis pejores. *Si enim, quod nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chriſti pertinet, cùm membrum ejus fidem non ſervat marito, quantò graviùs offenditur, cùm illi ipſi non ſervatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cùm enim quiſque non reddit, quod non imperio compulſus, ſed conſilio commonitus vovit; tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minus habuit vovendi neceſſitatem.* (Quæ mirè probant contra modernos Heterodoxos debitum obſervandi Votum cælibatus ſemel emiſſum). Ne autem videatur ſecundas damnare nuptias, addit: *Hæc ideo diſputo, ne arbitreris, vel ſecundas nuptias crimen eſſe; vel quaſcumque nuptias, cùm ſint nuptiæ, malum eſſe. Non itaque illas abs te damnatas velis eſſe, ſed ſpretas.* Et Lib. 16. de Civit. Dei cap. 34., ubi quærit, cur Abraham poſt Saræ obitum jam ſuſceptâ prole, cui promiſerat Deus filiorum multiplicationem uſque ad numerum ſtellarum Cœli & arenæ maris, iterum Cethuræ nupſerit, cùm in eo incontinentiam non liceat ſuſpicari; poſt multa hanc reddit rationem: *Quid ſi enim & hoc proviſum eſt contra hæreticos futuros ſecundarum adverſarios nuptiarum, ut in ipſo patre multarum gentium poſt obitum conjugis iterum conjugari demonſtraretur non eſſe peccatum?*

XI. S. Epiphanius Hæreſ. 48. num. 9. agens contra Montaniſtas ait: *Quòd ſi quis poſt uxoris obitum ſecundas nuptias pro ſua imbecillitate deſiderat, minimè id quidem veritatis regula probibet in eo dumtaxat, qui Sacerdos non fuerit. At iſti probibent, adeòque Pauli illâ ſententiâ comprebenduntur*: prohibentium nubere. *Nam eum, qui ſecundis nuptiis illigatus fuerit, expellunt, ac ne facere iſtud audeat vim ac neceſſitatem adbibent. Nos autem neque neceſſitate ullâ conſtringimus, ſed ſuademus: nec aliter quàm boneſtis præceptis ac conſiliis eum, qui quidem poſſit, ad id præſtandum impellimus: eum verò qui minùs poteſt, nullâ vi cogimus, nec à ſalute prorſùs excludimus. Nam tenuiorum imbecillitatem ferendam cuilibet Divino ſermone*

mone

Digitized by Google

mone præcipitur. Atque hoc Sanctus Apoſtolus non dixiſſe modò reperietur, ſed & iſtos apertè refellere, & ab ea quam habebat gratiâ alienos oſtendere. „ Adoleſcentiores, *inquit*, viduas devita. Cùm „ enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes „ damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt „. *Siquidem quæ caſtitatem profeſſæ irritam eam profeſſionem fecerint, damnationem habere dicuntur. Quæ verò minimè profeſſæ fuerint, ſed pro infirmitate ſua nupſerint, damnationis ſunt prorsùs expertes. Si enim ulli eſſent obnoxiæ, cur diceret* „ Nubant, domui præſint „? Ita Epiphanius.

XII. Ex hactenus dictis apparet, Eccleſiam damnaſſe Montaniſtarum hæreſim & aliorum volentium, ſecundas nuptias fornicationes & adulteria eſſe: & proinde eas reprobabant. Quia tranſitus ad ſecundas nuptias infirmitatem & incontinentiam ſapit, ad hanc evitandam eas permiſit quidem, ſed numquam tanquam melius bonum laudavit, ſequens monitum Pauli de vidua dicentis: *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.* Ideoque Eccleſia Græca rigidioris diſciplinæ fuit, maximè circa tertias & quartas nuptias, non quidem eas declarando nullas, ſed contrahentes in pœnam incontinentiæ pœnitentiis ſubjiciendo. Indulgentior tamen Eccleſia Latina fuit: æquè enim ſemper ſecundas, tertias, quartas & ulteriores nuptias permiſit, ut ex Hieronymo dixi, quia Paulus eâdem ratione, quâ ſecundas indulget, ſcilicet ad vitandum periculum incontinentiæ, cenſetur indulgere etiam nuptias ulteriores. Quia tamen ſecundæ nuptiæ tollunt perfectam ſignificationem Sacramenti, quæ conſiſtit in conjunctione unius ad unam, ſicut Chriſti ad Eccleſiam; ideo digamos Eccleſia declaravit irregulares, & inhabiles ad Ordines ſacros ſuſcipiendos. Sed in his immorari non vacat. Tum quia hic ſatìs eſt contra Hæreticos oſtendiſſe, ſecundas nuptias non eſſe adulteria, nec Divino jure interdictas. Tum quia de his locutus ſum in Theol. Tom. 4. in 3. p. Tract. de Matrim. q. 4. Dub. 4. per totum. Quæ Studioſus adire poterit.

XIII. Sunt qui Montano hunc etiam errorem affingant, quòd nempè dixerit, Matrimonium ratum & conſummatum poſſe ad libitum conjugum diſſolvi. Sed hoc errore à nullo antiquiorum, Auguſtino, Philaſtrio, Epiphanio, Montanum aut Montaniſtas notatos vidi. Referunt Apollonium apud Euſebium Lib. 5. Hiſt. cap. 18. de Montano dicentem: *Hic eſt, qui nuptiarum diſſidia docuit.* Sed non de primis nuptiis locutum fuiſſe Apollonium, ſed de ſecundis, quas velut fornicationes & adulteria ſcindendas docuit, ut dictum eſt, verius exiſtimo. Eò vel maximè quòd ſi prima

ma

ma conjugia ſcindi poſſe docuiſſet, cùm in ejus ſententia ad ſecunda tranſire non poſſent, conjuges ſic diſciſſi perpetuò continentes vivere debuiſſent. Et in hoc ſenſu aliqui volunt, Montanum diſſolutionem matrimonii conjugibus liberam conceſſiſſe, ut qui vellent contineri, mutuò diſcedere poſſent. Ita ſentiunt Centuriatores Magdeburgenſes Centur. 2. c. 5. §. de Hæreſibus ſub Commodo, ut hoc dogmate Eccleſiæ Romanæ detrahant velut ab ea recepto. Aiunt ergo „ Legem Montanus de ſolvendis, dirimen-
„ diſque matrimoniis tulit, inquit apud Euſebium Apollonius:
„ ex proprio fortaſſis, ſeu furto, ſeu facto, quo abortivas ſuas
„ prophetiſſas Priſcillam & Maximillam, à maritis ſuis abſtra-
„ xit, dogma generale conſtituens: quòd mulieribus, religionis
„ ſcilicet gratiâ, à viris liceret diſcedere, ſicut etiam Pontificii
„ docent „.

XIV. Verùm in hoc maximè, quod ab Eccleſia Romana Montani dogma adoptatum dicunt, Calumniatores potius ſe quàm Centuriatores exhibent. Quidquid enim ſit, an Apollonius cenſeat, Montanum legem ſtatuiſſe de primis nuptiis dirimendis, & non potiùs dirimendis ſecundis, quod veriùs eſſe nuper dixi: dato etiam quòd Prophetiſſæ relictis viris ſuis Montano adhæſerint ſtudio religionis, & non potiùs libertatis & vanitatis amore; quod ex earum profano inceſſu jam oſtendi: mentiuntur tamen dum hoc idem à Pontificiis receptum dicunt. Nam Montanus matrimonium ratum & conſummatum arbitrio conjugum dirimi poſſe docebat, Pontificii autem, ſeu Catholici, id ſolum docent de matrimonio rato quidem ſed non conſummato, & hoc per ingreſſum alterius & profeſſionem in aliqua ex Religionibus probatis. Cæterùm matrimonium ratum & conſummatum omnino indiſſolubile quoad vinculum ſtatuunt. Catholicam de matrimonii indiſſolubilitate doctrinam fusè expoſui Tom. 4. in 3. p. Tract. de Matrim. qu. 5. Dubio 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Contra verò facilitatem matrimonia etiam conſummata apud Centuriatorum Sectam, non ſtudio religionis, ſed incontinentiæ, ſolvendi, oſtendi in Vera Eccleſia Tom. 1. cap. 8. §. 1. num. 3., præcipuè ex Luthero prætenſæ Reformationis duce & inventore. Videantur ergo citatis locis dicta.

§. V.

Montani error de Jejuniis.

I. INter errores, quos ut leges ac præcepta à ſuo Paracleto tradita & neceſſaria ad ſalutem ſuis proponebat, erat is quo dicebat, plura jejunia ab ipſo ſolo inſtituta, etſi ab Eccleſia non præ-

præcepta, eſſe de neceſſitate ſalutis ſervanda. In quo obſervandum eſt, Montanum & Montaniſtas non erraſſe, quia plura obſervarent jejunia, quàm ea quæ ex præcepto Eccleſiæ, vel conſuetudine obſervantur: ſtudio enim ſeverioris diſciplinæ, poteſt quis ſpecialia jejunia, quæ Eccleſia non præcipit, frequentare, & à certis quibuſdam cibis abſtinere, ſicut quidam Religioſi Ordines etiam modo profitentur: & Carolus Magnus Lib. 6. Capitularium cap. 187. apud Cabaſutium in Notitia Eccl. ſeculi VII. tres quadrageſimas proponit obſervandas in anno, ideſt quadraginta dies ante Nativitatem Domini, quadraginta dies ante Paſcha, & quadraginta dies poſt Pentecoſten, addens „ Quanquam enim non„ nulla ex his canonicâ priventur auctoritate, nobis tamen ſimul „ omnibus propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum „ mores, hęc obſervare, ut ſuperiùs eſt comprehenſum, convenit „. Amalarius etiam L. 1. c. 36. tradit, ſuâ ætate tres pariter quadrageſimas à piis viris obſervatas, ante Nativitatem Domini unam, ante Paſcha alteram, & tertiam ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ, quam tamen non omnes uniformiter obſervabant, aliis priùs, aliis poſt eam inchoantibus. Sic in aliis Eccleſiis variis temporibus plura jejunia obſervata fuere, & fortè adhuc obſervantur, quæ apud cæteros obſervantiam non obtinent ex conſuetudinis varietate: qui tamen non ob hoc hæretici reputantur.

II. Sic ergo, ut dicebam, non ex hoc præcisè, quòd Montanus & ſui plures quadrageſimas jejunaverint, hæretici erant: ſed eo quòd veluti ex nova Paracleti Montano & Propheti ſſis ejus facta revelatione, volebant ſervanda eſſe jejunia à Montano indicta tanquam Divino jure præſcripta univerſæ Eccleſiæ ut ad ſalutem neceſſaria. Ita S. Hieronymus Epiſt. 27. aliàs 54. ad Marcellam de Montaniſtis: *Nos*, inquit, *unam quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anno tempore nobis congruo jejunamus: illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores. Non quòd & per totum annum, exceptâ Pentecoſte, jejunare non liceat: ſed quòd aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Non negabant ergo Catholici, poſſe quemquam ex ſua voluntate ultra dies ab Eccleſia præſcriptos ad macerationem corporis jejunare, cùm hoc à pluribus ſanctis viris factum legamus: ſed in eo reprehendebant & hæreticos accuſabant Montaniſtas, quòd nova & inſueta jejunia præter Eccleſiæ inſtitutum inducentes, vellent ea neceſſariò ad ſalutem ſervanda, tanquam à Paracleto Montano revelata.

III. Hoc Tertullianus ipſe jam factus Montaniſta L. de Jejuniis adv. Pſychicos c. 1. teſtatur dicens: *Arguunt nos, quòd jejunia pro-*

propria cuſtodiamus, quòd ſtationes plerumque in veſperam producamus, quòd etiam Xerophagias obſervemus, ſiccantes cibum ab omni carne & omni jurulentia & uvidioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis vel edamus vel potemus; lavacri quoque abſtinentiam congruentem arido victui. Novitatem igitur objectant de cujus illicito præſcribant, aut hæreſim judicandam ſi humana præſumtio eſt, aut pſeudoprophetiam pronuntiandam ſi ſpiritalis indictio eſt, dum quaqua ex parte anathema audiamus qui aliter pronuntiamus. Hæc Tertulliani querela clarè oſtendit, jejunia Montaniſtarum fuiſſe ab Orthodoxis ut hæretica anathemate damnata,quia humanâ præſumtione, aut falsâ prophetiâ tanquam obſervatu neceſſaria ab eis præcepta contra antiquam Eccleſiæ diſciplinam. Eâdem ergo ratione, quâ Eccleſia Catholica præſens Lutheranos & Calviniſtas omnia jejunia traditione Apoſtolicâ & Eccleſiæ præcepto hactenùs cuſtodita abrogantes ut hæreticos damnat, Montaniſtas ut hæreticos antiqua Eccleſia proſcripſit; quia vanâ præſumtione, & falſas prophetias obtrudentes, nova jejunia contra Eccleſiæ ſtatuta ut neceſſaria indicebant. Et ſicut Lutherum, Calvinum & alios, qui nullam in Eccleſia ordinariam auctoritatem habentes, nec ullum ſuæ ſpecialis à Deo miſſionis ſignum oſtendentes, jejunia à tota Eccleſia religioſè obſervata tollere auſi ſunt,anathemate jure proſcripſit: ſic Montanum, qui, cùm nec Pontifex eſſet, nec ullam in Eccleſia auctoritatem haberet, homo laicus ac de plebe infimus, ementito Paracleti oraculo novas in Eccleſia de jejuniis leges indicere tentavit, Orthodoxa Eccleſia meritò reprobavit.

IV. Ex iis, quæ hactenus dixi, contra Montaniſtarum jejunia occaſionem arripuere novi Proteſtantes Eccleſiam Catholicam calumniandi, quaſi in ſuis jejuniis & in abſtinentia à certis cibis Montaniſtarum jejunia adoptarit. Inter primos hanc calumniam evomuit Kemnitius in Exam. Conc. Trident. p. 4., poſtea Dallæus in L. de Jejunio & alii. Quibus omnibus plauſum facit Ittigius de Hæreſiarchis ſect. 2. cap. 13. 14. his verbis „ Videant modò Pontificii, quomodo doctrinæ ſuæ de jejuniis cum Montaniſtarum „ doctrina conſenſum, & harmoniam declinare poſſint. Tentavit id jampridem Bellarminus Tom. Controv. de Bonis Operibus in partic. Lib. 2. cap. 9. Tentarunt & alii, & in his Natalis „ Alexander ſecul. 2. diſſert. 4. Ægrè certè effugient, ſi attentè „ legant, quæ Kemnitius in Exam. Conc. Trid. p. 4. Bebelius in „ Antiquit. ſeculi 2. & alii de hoc Pontificiorum cum Montaniſtis conſenſu obſervarunt. Unicum ex Dallæo hoc annotare „ placet, nempè tantam eſſe inter Pontificios & Montaniſtas in „ doctrina de jejuniis harmoniam, ut Martinus Pereſius ſibi per-

„ ſuaſerit, Tertullianum in Libro de Jejuniis Catholicam, ſi Pon-
„ tificiam ſic appellare fas eſt, de jejuniis doctrinam propugnare,
„ Pſychicos autem, contra quos diſputavit Tertullianus, hæreti-
„ cos eſſe Lutheranis ſimiles „. Hæc & alia audacter ut de more Ittigius.

V. Cæterùm hæc quæ poſtremò dicit de Martino Pereſio, qui de Traditionibus p.3. de Jejunio dicit, Phſychicos fuiſſe illius temporis hæreticos, qui jejuniorum præſcriptiones damnabant; dicentes, ſuo arbitrio relinquendos eſſe homines in jejunio, ut modò ſentiunt Lutherani, & alii Proteſtantes, & contra hos pugnare Tertullianum: de quorum progenie ſe aſſerere Dallæum non pudet, ait enim: *Pereſi, iſtos Pſychicos libenter amplectimur, neque nos de horum ſanguine prognatos eſſe pudet ac pœnitet, noſtri illi ſunt fatemur. Vos* (ſimul cum Pereſio Turrianum alloquitur) *in tota hac cauſa Tertulliani clientes, & illius quem defendit Paracleti proles ac fœtura eſtote: nos vobis hanc gloriam non invidemus*. Hæc inquam, quæ dicit Pereſius, & in quibus Dallæus gloriatur, inania, quia falſa, ſunt: Illi enim quos Tertullianus per contemtum Pſychicos ideſt carnales ſeu animales appellat, non erant, ut falsò dicit Pereſius hæretici Lutheranis ſimiles, qui omnia jejunia libera eſſe contenderent, ſed erant Catholici præſertim è Romano Clero, qui Montaniſtis obſiſtebant, non quia aliqua jejunia de præcepto obſervanda ponerent; ſed quia plura alia addebant, abſque ulla Eccleſiæ auctoritate, ſed à Montano ſub falſo ſui Paracleti nomine indicta tanquam omnibus ad ſalutem neceſſaria.

VI. Porrò quod Pſychici, qui Tertulliani & Montani jejuniis obſiſtebant, aliqua jejunia ex præcepto ſervarent, idem Tertullianus eis objicit dicto Libro de Jejuniis c.13., quòd ex præcepto majorum jejunarent illis diebus quibus ablatus eſt ſponſus, & illis quibus ob aliquam Eccleſiaſticam cauſam mandato Epiſcopi jejunabant; ergo Lutherani, qui nullo jejunii nec ante-paſchalis, nec alterius præcepto teneri volunt, Pſychicorum ſoboles non ſunt, ſed Aerianorum potiùs, qui cum illis eadem in hoc ſentiebant. Aerius enim teſte S. Auguſtino L. de Hæreſ. c. 53. dicebat, *Nec ſtatuta ſolemniter celebranda eſſe jejunia, ſed cùm quiſque voluerit jejunandum, ne videatur eſſe ſub Lege*. Sed cujuſcumque cœtus ſint proles, certum eſt Proteſtantes à cœtibus Catholicis non eſſe prognatos.

VII. Modò abjicienda eſt calumnia, quâ imponitur, Catholicos Romanos in cauſa jejunii Montaniſtarum dogmatis hæredes eſſe, quam licèt difficile abſtergere putet Ittigius, eam tamen facilè diluam ſic: Jejunia, quæ Catholici Romani modò obſervant,

Digitized by Google

vant, ſunt jejunia ab Eccleſia, cui ex Chriſti promiſſo Spiritus Sanctus jugiter aſſiſtit, & longo ſeculorum uſu & traditione firmata: Jejunia Montaniſtarum contra Eccleſiæ Catholicæ uſum, Paracleti ut ſomniabant in Montano reſidentis, ſeu Montani & Prophetiſſarum ejus privatâ auctoritate, tanquam omnibus ad ſalutem neceſſaria fuerunt inducta, & proinde tanquam hæretico ſpiritu intruſa Eccleſia damnavit: ergo jejunia Montaniſtarum toto Cœlo diſtant à jejuniis Catholicorum, nec Catholici Romani ea ex inſtituto Eccleſiæ obſervantes Montaniſtas imitantur, qui privatâ auctoritate plura contra Eccleſiæ inſtitutum non liberè, ſed neceſſariò ad ſalutem obſervanda invexerant. Plura enim jejunia, quàm Eccleſia præceperit, ex arbitrio obſervare laudabile eſt; at ea inducere privatâ auctoritate ut neceſſaria omnibus, damnabile: & hac ratione iejunia Montaniſtarum Eccleſia rejecit, non quia ultra jejunia Eccleſiæ jejunare vellent, ſed quia ea eſſe neceſſaria contendebant. Unde Hieronymus Ep. 27. aliàs 54. ad Marcellam de Montaniſtarum jejuniis ait: *Non quòd & per totum annum exceptò Pentecoſte, jejunare non liceat: ſed quòd aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre*. Montani autem jejunia fuiſſe ab ipſo lege latâ inſtituta, dicit Apollonius apud Euſebium L. 5. c. 18. *Hic eſt qui nuptiarum diſſidia docuit, qui jejuniorum leges impoſuit*. En in aperto poſitam inter Montaniſtas & Pontificios in jejuniorum obſervantia diſcrimen, etſi Ittigius cum ſuis illud videre nolint.

VIII. Quod verò jejunia, quæ nos Catholici obſervamus antiquo Eccleſiæ uſu firmata ſint, vel ipſi jejuniorum hoſtes abſolutè inficiari non poſſunt. Centuriat. Magdeburg. Centur. 2. cap. 6. pag. 91. ajunt: *Quando hæc jejuniorum diverſitas cœperit, non uſque adeò certum eſt: videtur ſtatim poſt Apoſtolos, & has & alias diverſitates ortas eſſe*. Centuria 3. cap. 6. pag. 95. *Frequens apud Scriptores hujus ſeculi* (tertii) *occurrit jejuniorum mentio, adeò ut in opinionem meriti jejunia abiiſſe jam tum viderentur, ... Origenes dierum quadrageſimalium meminit jejuniis conſecratorum, item quartæ & ſextæ feriæ, in quibus ſolemnia fuiſſe dicit jejunia*; quæ negare non audet Confeſſio Helvetica cap. 24. dicens: *Quadrageſimale jejunium vetuſtatis habet teſtimonia, ſed nulla ex litteris Apoſtolicis, ergo non debet, nec poteſt imponi fidelibus*. Calvinus ipſe L. 4. Inſt. c. 12. n. 20. *Qua in parte*, inquit, *non in totum excuſare audeo Veteres, quin & ſuperſtitionis quædam ſemina jecerint, & occaſionem præbuerint tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt... Et tunc paſſim invaluerat ſuperſtitioſa Quadrageſimæ obſervatio*. En nec ipſi moderni Heterodoxi jejuniorum hoſtes infenſiſſimi, antiquam eſſe

eorum in Eccleſia Catholica obſervantiam, negare poſſunt.

IX. Quòd verò ea improbent, & ut ſuperſtitioſa accuſent, nec ſine tyrannide ad ea obligari poſſe fideles effutiant, eorum ſolita impudentia eſt; cum diſcere potiùs debuiſſent à S. Auguſtino, quòd quamvis de hoc Scripturarum non proferatur auctoritas, cùm tamen id univerſæ placuerit Eccleſiæ, certiſſimè tenendum eſt. Sic enim L.1. contra Creſconium c.33. *Proinde*, inquit, *quamvis hujus rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum: earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat.* Similia dicit L.6. contra Julian. c. 5. & propiùs ad rem præſentem de quæſt. circa Jejunium, & alia in Quadrageſima obſervanda, ait Epiſt. 54. aliàs 118. ad Inquiſitiones Januarii c.5. *Ad hæc itaque reſpondeo, ut quid horum ſit faciendum, ſi Divinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus ut legimus:.... Similiter etiam ſi quid horum tota per Orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Cùm ergo & ipſi Heterodoxi fateantur, jejunia Quadrageſimæ, & alia ab antiquis temporibus Eccleſiam ſervaſſe, & quidem toto Orbe ſervata ſuos prætenſos Reformatores reperiſſe, quid ultra quærunt, quid diſputant, quâ fronte ea abrogarunt? Si inſolentiſſima inſania eſt velle de hoc diſputare, è medio tollere & abrogare quid erit?

Sed in hoc diutiùs immorari hujus loci non eſt. Videantur Catholici Doctores ex profeſſo agentes, & inter eos Natalis Alexandrè Hiſt. Eccl. ſeculi ſecundi Diſſert. 4. art. 1. & ſequentibus. De quo & ego egi in Vera Eccleſia Tom. 2. parte 1. art.6. In præſens ita concludam, ſi apud ipſos Proteſtantes hæretici ſunt Montaniſtæ, quia plura jejunia ab Eccleſia non obſervata ut neceſſaria ad ſalutem inducebant: cur hæretici non erunt, qui jejunia ab Eccleſia toto Orbe obſervata penitùs ſuſtulerunt?

§. VI.

Montani error de poteſtate remittendi peccata.

I. Montanus rigori diſciplinæ nimiùm ſtudens præallatis erroribus hunc etiam addidit, quo dicebat, in Eccleſia non eſſe poteſtatem remittendi aliqua gravia peccata poſt baptiſmum com-

commiſſa, inter quæ ponebat adulterium, homicidium, lapſum in idololatriam, & alia ſimilia. Unde à Tertulliano in Libro de Pudicitia, quem pro Montaniſtis adversùs Catholicos compoſuit, talia peccata vocantur irremiſſibilia & immundabilia. Non tamen talia vocat reſpectu Dei, quaſi de ejuſmodi peccatis nulla venia à Deo ſperari poſſit, ſed reſpectu Eccleſiæ, quam in graviorum peccatorum remiſſionem nullam poteſtatem habere arbitratus fuit. Porrò hanc eſſe Montaniſtarum mentem & ſuam, declarat præfato Libro c. 3., ubi Catholicis objicientibus, quòd cùm de omnibus peccatis pœnitentia agenda ſit, & nihil fruſtra ſit agendum, fit ut nullum peccatum careat veniâ, ita reſpondet: *Meritò ita opponunt, quoniam hujus quoque pœnitentiæ fructum, ideſt veniam, in ſua poteſtate uſurpaverunt. Quantum enim ad illos à quibus pacem humanam conſequitur: quantum autem ad nos, qui ſolum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non fruſtra agetur. Ad Dominum enim remiſſa, & illi exinde proſtrata, hoc ipſo magìs operabitur veniam, quòd eam à ſolo Deo exorat, quòd delicto ſuo humanam pacem ſufficere non credit, quòd Eccleſiæ mavult erubeſcere, quàm communicare.*

II. Ex his ergo apparet, Montanum dum aliqua ponebat irremiſſibilia, non ea talia ponebat reſpectu Dei; imò dicebat, pro eorum veniâ ſolum Deum exorandum: ſed ſolùm ea ponebat irremiſſibilia per poteſtatem Eccleſiæ: non negat tamen de talibus pœnitentiam coram Eccleſia faciendam, imò eam adhortatur, quia ſic de notæ ſuæ exemplo cæteros admonet, & lacrymas fratrum advocat, ac redit pluſquam negotiata. *Et ſi pacem hìc non metit, apud Dominum ſeminat. Nec amittit ſed præparat fructum.* Sed vult pœnitentiam hanc coram fratribus & Eccleſia præparare ac negotiari, & quaſi ſeminare veniam, non poteſtate Eccleſiæ, ſed à ſolo Deo obtinendam, quia peccata gravia facultatem Eccleſiæ conceſſam excedunt, ut ab ea veniam obtinere quâcumque impletâ pœnitentiâ non poſſint, ſed ſibi ſoli eam largiri Deus reſervavit.

III. Verùm hæc doctrina, quam ut ſibi à ſuo Paracleto revelatam Montanus pronuntiavit, directè contraria eſt doctrinæ, quam de ſuo Spiritu Paracleto Apoſtolis collato tradidit Chriſtus. Ubi enim Montani Paracletus poteſtatem Eccleſiæ remittendi peccata ad aliqua ſola eaque leviora reſtringit: iſte ad omnia nullâ exceptione facultatem dimittendi extendit. Sic enim Jo. 20. v. 22. ait Jeſus Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt:* Quibus amplam & generalem facultatem quæcumque peccata remit-

mittendi vel retinendi Spiritu ſuo Paracleto Chriſtus Apoſtolis impartitur, quam eis Matth. 18. v. 18. ante conceſſerat dicens: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Cælis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cælo*. Eamdemque abſque ulla limitatione ſpecialiter conceſſit Petro Matth. 16. v. 19. cùm ipſum Eccleſiæ Petram & Caput conſtituens ait: *Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*. Cur ergo poteſtatem dimittendi, & ſolvendi, quam Chriſtus & Spiritus ejus Apoſtolis ut Eccleſiæ Paſtoribus & Petro ut Capiti illimitatam conceſſit, Montani Paracletus ad ſola peccata levia reſtringit?

IV. Reſpondet pro Montaniſtis Tertullianus dicto L. de Pudicitia c. 21., talem facultatem à Chriſto & Spiritu ejus fuiſſe conceſſam Apoſtolorum perſonis, ſicut poteſtatem debiles ſanandi & mortuos ſuſcitandi, & eandem conceſſam fuiſſe perſonæ Petri, non verò Eccleſiæ: ideoque in Eccleſia non perſeveraſſe. Sic enim de Apoſtolis ait: *Si & ipſos Beatos Apoſtolos tale aliquid indulſiſſe conſtaret, cujus venia à Deo non ab homine competeret, non ex diſciplina ſed ex poteſtate feciſſe. Nam & mortuos ſuſcitaverunt, quod Deus ſolus: & debiles redintegraverunt, quod niſi Chriſtus*. Infra verò: *Si quia*, inquit, *dixerit Petro Dominus, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, dedi tibi claves Regni Cæleſtis, vel quæcumque alligaveris vel ſolveris in terra erunt alligata vel ſoluta in Cælis, idcirco præſumis, & ad te derivaſſe ſolvendi & alligandi poteſtatem, ideſt ad omnem Eccleſiam Petri propinquam, qualis es evertens & commutans manifeſtam Domini intentionem perſonaliter hoc Petro conferentem: Super te, inquit, ædificabo Eccleſiam meam. Et dabo tibi claves, non Eccleſiæ*. His ultimis verbis Tertullianus factus hæreticus dicendo, poteſtatem Petro conceſſam in ſola Petri perſona ſtetiſſe, nec ad ejus Succeſſores, aut in Eccleſiam tranſiiſſe, miſerrimè receſſit ab eo, quod Catholicus ipſe docuerat præſertim in Præſcript. cap. 36., & modernis Hæreticis, qui idem ſentiunt, viam paravit.

V. At cum Montaniſtis turpiter errat Tertullianus. Primò, Si facultas remittendi peccata & ſolvendi data fuit à Chriſto non Eccleſiæ, ſed ſolis eorum perſonis: ergo Eccleſia omni prorſùs caret poteſtate remittendi peccata & ſolvendi. Cur ergo Tertullianus & Montaniſtæ concedunt Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata leviora, etſi non graviora? Nam vel Chriſti verba referenda ſunt ut dicta Apoſtolis, & in ipſis dicta Eccleſiæ, vel non. Si non: ergo poteſtas in ipſis Apoſtolis expiravit, & nullo modo

modo in Eccleſiam tranſiit. Si ſic: cùm poteſtatem illam remittendi & ſolvendi ad nulla peccata Chriſtus reſtrinxerit, ſed dixerit: *Quorum remiſeritis remittuntur: quæcumque ſolveritis &c.*, ineptè Eccleſiæ poteſtatem ad aliqua ſola reſtringunt, dum Chriſtus ad omnia eam extendit.

Fallitur etiam & quidem enormiter, dum ait ſoli perſonæ Petri Chriſtum dediſſe claves & poteſtatem ſolvendi, non Eccleſiæ. *Ideo quippe* (ita S. Auguſtinus tract. 124. in Joann.) *ait Dominus ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, Petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto claves accepit in Petro, ideſt poteſtatem ligandi ſolvendique peccata. Quod eſt enim per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra, quâ ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia.* His Auguſtinus errorem Tertulliani funditùs evertit.

VI. Rursùs poteſtatem remittendi peccata conceſſam à Chriſto generaliter Apoſtolis non fuiſſe perſonalem tantùm, fatetur Firmilianus Epiſt. 75. ad S. Cyprianum ubi ad illa verba *Quorum remiſeritis peccata* &c. ait: *Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicariâ ſucceſſerunt.* Quæ confirmat idem S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubajanum. At tota vis Tertulliani in hoc ſita eſt, quòd peccata in Deum commiſſa, qualia ſunt graviora, ſolus Deus dimittere poteſt, non homo, non Eccleſia quæ eſt cœtus hominum, ſed Eccleſia ſpiritalis ex tribus Divinis Perſonis congregata; ait enim ibidem cap. 21. *Eccleſia quidem delicta donabit; ſed Eccleſia ſpiritalis per ſpiritalem hominem, non Eccleſia numerus Epiſcoporum. Domini enim non famuli eſt jus & arbitrium; Dei ipſius, non Sacerdotis.* Sed nimis craſsè hallucinatur. Hoc quidem verùm eſſet, ſi Sacerdotibus Eccleſiæ tribueremus facultatem peccata remittendi propriâ & principali auctoritate & arbitrio, & quibuſcumque etſi impœnitentibus, & in peccato ſuo permanere volentibus: hoc enim eſſet peccata remittere contra voluntatem Domini: non verò ſi (ut nos dicimus) Sacerdotes Eccleſiæ poteſtate ſolum miniſteriali, & ſibi à Deo conceſsâ, iis qui pœnitentiam petunt, veniam indulgeant: hoc non eſt contra voluntatem Domini facere; ſed voluntatem Domini veluti famulos miniſterio implere. Hoc autem Deum voluiſſe,

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus ipſe locis ſupra ex Evangelio allatis teſtatus eſt. Unde S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum ait: *Neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quo minùs ſi pœnitentiam plenam & juſtam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat, quod à nobis fuerit hìc ſtatutum.*

VII. Non defuerunt S. Cypriani ætate, qui graviorum criminum reis veniam denegarent, quorum ipſe meminit prælaudatâ Epiſtolâ; ubi tradit, quoſdam anteceſſores ſuos Epiſcopos dandam pacem mœchis non putaviſſe, & pœnitentiæ locum adulteris in totum clauſiſſe; non tamen quia cum Montaniſtis crederent in Eccleſia non eſſe hanc poteſtatem, ſed ex mero rigore diſciplinæ. Quare ait: *Non tamen à Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ unitatem, vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione reſpuerunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Eccleſia ſepararetur. Manente concordiæ vinculo, & perſeverante Catholicæ Eccleſiæ Sacramento, actum ſuum diſponit & dirigit unuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino redditurus.* Quod Cyprianus, qui oppoſitam ſententiam acriter tuebatur, non dixiſſet, ſi diverſitas fuiſſet in dogmate, ut ſcilicet dandam pacem mœchis negaſſent, quia putaſſent cum Montaniſtis hanc in Eccleſia non eſſe poteſtatem.

VIII. Hâc ratione, quia ex rigore diſciplinæ ſtatutum fuerat, ne quorumdam graviorum rei, adhuc peractâ pœnitentiâ, ad Clericatum, vel Epiſcopatum promoverentur, non proinde velut rami ab Eccleſia præciſi cenſebantur, dicit S. Auguſtinus Ep. 50. modò 185. ad Bonifacium cap. 10. ſic: *Ut enim conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioquin contra claves datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt* „ Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cœlo „: *ſed ne forſitan etiam detectis criminibus, ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam, ſeveriſſimè placuit, ut poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo ſit Clericus; ut deſperatione temporalis altitudinis, medicina major, & verior eſſet humilitas.* Hæc & alia ibi Auguſtinus. Cui antiquæ Diſciplinæ rigori reſpondet modò ob aliqua graviora crimina etiam poſt pœnitentiam impoſita Irregularitas.

Quia verò quis objicere potuiſſet, quòd *Et Sanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore ſuo perſtitit. Et Beatum Petrum, quando amariſſimas lacrymas fudit, utique Dominum negaſſe pœnituit, & tamen Apoſtolus manſit.* Reſpondet:

det: *Sed non ideo ſupervacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quò ſalus tutiùs muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas bonorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Verùm in hujuſmodi cauſis ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis caritas ſincera ſubveniat*. Hæc ex S. Doctore placuit ſubjicere, quia in multis inſervire poſſunt.

IX. Nunc ad Montaniſtas revertor, quorum inclementiam erga lapſos in graviora peccata S. Hieronymus in Ep. 27. aliàs 54. ad Marcellam ita fugillat: *Illi ad omne penè delictum Eccleſiæ obſerant fores; nos quotidie legimus: malo pœnitentiam peccatoris quàm mortem. Et Numquid qui cadit non reſurgit, dicit Dominus? Et Convertimini ad me filii convertentes, & ego curabo contritiones veſtras. Rigidi autem ſunt, non quò & ipſi pejora non peccent: ſed hoc inter nos & illos intereſt, quòd illi erubeſcunt peccata confiteri quaſi juſti, nos dum pœnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur*. In hoc cum Montaniſtis concordare videntur moderni Heterodoxi, qui dum negant peccata aperienda eſſe per Confeſſionem Sacerdoti, ſed ſoli Deo; conſequenter dicunt, in Eccleſia non eſſe poteſtatem remittendi peccata: imò Montaniſtas ſuperant; nam Montaniſtæ aliqua ſaltem peccata minùs gravia remittendi poteſtatem Eccleſiæ concedebant; iſti verò nullam, ſed omnia ſoli Deo abſque ullo Eccleſiæ opere remittenda reſervant.

X. In hoc errore cum Montano & Montaniſtis convenerunt Novatiani, de quibus infra: hi autem illum à Montaniſtis acceperunt. Nam primus qui illum evulgavit fuiſſe creditur Montanus: quamvis oppoſitum videatur ſentire Vincentius Lirinenſis in Commonitorio num. 24. dicens: *Quis ante crudeliſſimum Novatianum crudelem Deum dixit eo quòd mallet mortem morientis, quàm ut revertatur & vivat?* Dici fortè poſſet, Novatianum fuiſſe primum qui Deum crudelem fecit, quia peccatorem neque à Deo ſperare veniam poſſe doceret; ſed neque hoc ſuſtineri poteſt. Teſte enim Socrate Lib.4. Hiſt. c.24. Novatus cum Montano ſenſit, nimirum veniam non per Eccleſiam, ſed à Deo unicè eſſe ſperandam. Cyprianus tamen, ſeu alius Lib. contra Novatianum, videtur aſſerere, hunc lapſis conſequendæ etiam à Deo veniæ ſpem ademiſſe. Sed de hoc infra.

§. VII.

Montani error de fuga in perſecutione.

I. MOntanus qui ſtudio rigidioris diſciplinæ exceſſit, ut hactenus vidimus, zelo quoque Fidei, ſed non ſecundùm ſcientiam, accenſus alium ſtatuit errorem, nimirùm, non licere Chriſtianis urgente perſecutione quâcumque fugam capere. Hinc Montaniſtæ martyrii amore flagrantes ſe prædicabant, & plures è ſuo numero martyres jactitabant, & hoc certiſſimum prophetici, quem ſe habere gloriabantur, ſpiritus indicium eſſe prætendebant: quos tamen ſæpè laudatus antiquus Scriptor apud Euſebium L. 5. Hiſt. c. 16. falſos martyres appellat. Nam etiam alii Hæretici plurimos ſe habere martyres prædicant, & præcipuè Marcionitæ, qui tamen nec pro veræ fidei & Chriſti confeſſione mortem ſubiere, quod ad verum martyrium neceſſarium eſt: & addit, quòd quotieſcumque Eccleſiæ viri ad martyrium pro vera fide ſubeundum vocati unà cum quibuſdam de Phrygum hæreſi, qui martyres dicuntur, caſu quodam coierunt, ſemper ab illis diſſentiunt, & communionem illorum ſollicitè vitantes, glorioſum martyrii exitum conſequuntur: & affert recens exemplum de Cajo & Alexandro in urbe Apamæa Martyribus. Quod apud Euſebium cap. 18. Apollonius teſtatur de Alexandro & aliis quos martyres prædicant Montaniſtæ, qui pro aliis potiùs delictis pœnas dederunt, quàm pro fide paſſi fuerint.

II. Hunc tamen errorem Tertullianus factus Montaniſta etiam adoptavit, & pro tuendo ſcripſit Librum de Fuga in perſecutione ad Fabium, in quo pluribus conatur oſtendere, non licere vero Chriſtiano in perſecutione fugam arripere, ſed debere eam fortiter ad mortem uſque tolerare; & hoc eſſe argumentum, quòd ille accepit Paracletum, ac Librum ita concludit: *Et ideo Paracletus neceſſarius deductor omnium veritatum exhortator omnium tolerantiarum: quem qui receperunt, neque fugere perſecutionem, neque redimere noverunt, habentes ipſum, qui pro nobis erit, ſicut locuturus in interrogatione, ita juvaturus in paſſione.* At Paracletum numquid habebant Apoſtoli, numquid habebat Chriſtus? Et tamen Chriſtus declinavit perſecutionem Herodis, & à Judæis pluries ſe abſcondit eum occidere volentibus, ut ſe reſervaret tempori ſuæ paſſioni à Patre præfixo. Apoſtoli pariter, & maximè Paulus, qui Paracleto ducente non ſemel à perſecutoribus evaſit, non quia mortem pro Chriſto detrectaret, ſed ut diuturniori tempore Evangelio ſerviret, quo elapſo Paulus cæterique Apoſtolo-

ſtolorum martyrio vitam glorioſè coronarunt; ut præteream tot alios ſanctos viros, qui Sancto Spiritu duce perſecutionibus ſe ſubſtraxere, ut ſic meliùs Chriſto ac ejus fidei prodeſſent. Qualis eſt iſte Paracletus Montani & Tertulliani, qui fugam in perſecutione nemini permittere vult, quam Spiritus Paracletus Chriſti & Apoſtolorum permittit?

III. Quando, & quomodo, & quibus liceat in perſecutione fugere, latè oſtendi in Theol. Tom.1. in 2. 2. Tract. de Fide qu. 4. de actu externo Fidei Dubio 8. quò Lectorem remitto. Attamen ut Tertulliani rationes, quas in dicto Libro congerit, vanas eſſe demonſtrem, aliqua repetam, & alia addam. In primis enim Tertulliani doctrina & Montani ex nova pſeudoprophetia producta, nemini unquam & in nulla circumſtantia, aut caſu licere perſecutionem vitare, contraria eſt verbis Domini Matth. 10. v. 23. *Cùm autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam*. Loquitur autem de perſecutione illata propter nomen ſuum: quod eſtò præceptum non contineat ſed conſilium, ſequitur tamen fugere perſecutionem non eſſe abſolutè & in omni caſu illicitum. Conſilium hoc ſecutus fuit Petrus Act.12., qui ab Herode in carcere detentus ad mortem, Angelo duce fugâ vitæ ſuæ conſuluit. Secutus fuit Paulus, cùm à Judæis quæſitus ad necem Damaſci dimiſſus à fratribus per murum in ſporta fugiens evaſit, quod narrat ipſe 2. ad Cor. c.11. v.33. Theſſalonicæ quoque ſeditione contra ipſum concitatâ, fugâ Beræam unà cum Sila petiit. Act.17. & à Feſto Proconſule Cæſarem appellavit, ut Judæorum inſidias declinaret. Si ergo illicitum eſſet in perſecutione fugere, malum conſilium Chriſtus dediſſet, & Petrus ac Paulus ei adhærendo turpe exemplum poſteris reliquiſſent.

IV. Reſpondet Tertullianus citato Libro cap. 6. Hoc in perſona propriè Apoſtolorum, & in tempora, & in cauſas eorum pertinere, ſicut præcedentia & ſubſequentia demonſtrant: cùm enim priùs prædicare deberent domui Iſrael & prædicationis eſſet initium: *Ideò illis fugere tunc ad tempus præcepit, non propter eludendum periculum proprio nomine perſecutionis (at quin perſecutiones eos paſſuros prædicabat & tolerandas docebat) ſed propter profectum annuntiationis, ne ſtatim oppreſſis, Evangelii quoque diſſeminatio periretur*. At Evangelio Judæis promulgato & jam ad gentes translato, ceſſante periculo, ceſſavit & fugæ præceptum. Et propterea Apoſtoli ad Nationes tranſeuntes, pati non dubitaverunt, & Paulus qui ſe per murum expediri conceſſerat, à diſcipulis rogatus, ne ſe Jeroſolymæ committeret, ubi eum paſſurum Agabus prænuntiaverat, eorum precibus ſubſcribere noluit. Unde infert,

fert, etiam apud Apoſtolos temporaneum fuiſſe fugæ præceptum ; & proinde apud nos non perſeverare , quod etiam apud ipſos ceſſavit : aut ſi perſeveravit, deliquerunt Apoſtoli , qui non uſque in finem fugere curaverunt . Ita Tertullianus diſcurrit .

V. Verùm hæc doctrina , quam à ſuo Paracleto edoctus protulit, in multis ruit . Primò , quia ſupponit , fugam in perſecutione fuiſſe à Chriſto Apoſtolis præceptam , cùm ſolùm fuerit prudenti conſilio permiſſa ; aliàs Stephanus qui primam illam perſecutionem fugâ non declinavit,ſed lapidibus ad mortem uſque ſe ſe ſubjecit, præceptum violaſſet . Secundò, quia dicit hoc ſolis Apoſtolis ad tempus præceptum , ſeu veriùs permiſſum , nec ad alia poſteriora tempora perſeveraſſe . Unde enim hoc colligit ? Quia Chriſtus loquitur de ſola perſecutione,quam Apoſtoli paſſuri erant in Synagogis Judæorum ? At loquitur etiam de perſecutionibus , quas paſſuri erant à Regibus & Præſidibus v. 18. *Et ad Præſides & ad Reges ducemini propter me , in teſtimonium illis & gentibus* . Ergo dum ſubjungit : *Cùm autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam* , non de ſola perſecutione Judaica , ſed gentili etiam loquebatur . Tertiò , quia ratio , ob quam dicit fugere in perſecutione præceptum fuiſſe initio Apoſtolis , fuit , ne eorum morte *Evangelii quoque diſſeminatio perimeretur* . Sed hoc quovis tempore periculum evenire poteſt , nimirùm ſi in aliqua regione aliquis, vel plures Evangelium ſpargere incipientes , in perſecutione morte ſuccumbant , Evangelii diſſeminatio perimetur : & iſtis tunc perſecutionem vitare licebit , ac ſe meliori tempori reſervare , interea etiam abſentes in Evangelio fideles confirmando , quod Apoſtoli fecerunt , & S. Cyprianus cum aliis præſtitit . Quo completo , tempore à Deo ſtatuto , ſicut Apoſtoli vitam pro Chriſto dederunt , ita & S.Cyprianus , aliique pro eodem pati non dubitarunt .

VI. Hinc idem Cyprianus in Lib. de lapſis: *Primus eſt* , inquit, *victoriæ titulus gentilium manibus apprehenſum Dominum confiteri . Secundus ad gloriam gradus eſt cautâ ſeceſſione ſubtractum Domino reſervari . Illa publica , hæc privata confeſſio eſt . Ille judicem ſæculi vincit , hic contentus Deo ſuo judice conſcientiam puram cordis integritate cuſtodit . Illic fortitudo promtior , hìc ſollicitudo ſeverior . Ille appropinquante horâ ſuâ jam maturus inventus eſt : hic fortaſſe dilatus eſt , qui patrimonio derelicto idcirco ſeceſſit , quia non erat negaturus ; confiteretur utique ſi fuiſſet & ipſe detentus .*

Quantum utilitatis Eccleſiæ advenerit ex fuga in perſecutionibus , fusè S. Athanaſius oſtendit in Apologia de fuga ſua, exemplis Jacob , David , Eliæ , & Pauli : unde infert num. 21. *Nequaquam vituperanda igitur eſt aut inutilis Sanctorum fuga : nam ſi à per-*

perſecutoribus non declinaſſent, quomodo ex ſemine David ortus eſſet Dominus? aut quinam prædicaſſent Verbum veritatis? Perſecutores quippe ea de cauſa Sanctos perquirebant, ut nullus ſupereſſet Doctor veritatis, prout Judæi Apoſtolis præcepere; qui tamen nihil non pertulere, ut Evangelium prædicaretur. Et infra num. 22. *Sic igitur Sancti, ut dictum eſt, dum fugerent, maximâ providentiâ & curâ in uſus indigentium ſervabantur. Aliis autem & planè omnibus nobis hominibus hæc poſita lex eſt, ut fugiamus perſecutores, noſque occultemus dum inquirimur, neque ita præcipites & temerarii ſimus, ut tentemus Dominum: ſed expectemus, ut ſupra dixi, donec definitum mortis tempus adveniat, aut judex ipſe id de illis ſtatuat, quod ſibi viſum fuerit: ſintque parati, ut vocante eos ſtatuto tempore, apprehenſi, ad uſque mortem decertent pro veritate. Hæc obſervarunt beati Martyres in perſecutionibus quæ ſuis occurrere temporibus, in perſecutione ſcilicet fugere ſolebant, in latebriſque permanere, deprehenſi autem martyrium fortiter ſubire. Quod ſi ex illis quidam perſecutoribus ſeſe offerrent, non temerè illud agebant: martyrium quippe ſtatim perferebant, palamque omnibus erat, eam alacritatem, eumque ad perſecutores acceſſum Spiritum Sanctum auctorem habere.* Hæc Athanaſius.

VII. Dicit ulteriùs Tertullianus, perſecutionem eſſe à Deo. Quo ſuppoſito cap. 7. *Si à Deo perſecutio eſt, quale eſt, ut idem fugiendam eam mandet, qui & infert? quam ſi evadi vellet, meliùs non immitteret, ne voluntatem ſuam aliâ voluntate prævaricari videretur. Aût pati enim nos voluit perſecutionem, aut fugere. Si fugere, quomodo pati? Si pati, quomodo fugere?*

Reſpondeo, quòd perſecutio à Deo eſt, & à Deo volita, eo modo quo à Deo fuit & ab eo & Chriſto volita paſſio Chriſti. Sicut autem paſſio Chriſti alio modo à Deo & Chriſto volita fuit, ac volita fuit à Judæis, à Juda, & à Pilato, & ideo ut à Deo & Chriſto bona fuit, & laudabilis, ut à Judæis autem, Juda, & Pilato, fuit mala & vituperabilis juxta S. Thomam 3. p. q. 47. art. 3. ad 3. dicentem: *Quòd eadem actio diverſimodè judicatur in bono vel in malo ſecundùm quod ex diverſa radice procedit. Pater enim tradidit Chriſtum, & Ipſe ſemetipſum ex caritate; & ideò laudantur: Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate, Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæſarem; & ideo ipſi vituperantur:* Ita eadem actio perſecutionis, ut à Deo volita in exercitium patientiæ, & meritum fidelium conſtanter ipſum confitentium, bona eſt, & in hoc ſenſu dicitur Deus tradidiſſe Martyres perſecutoribus, ſicut dicitur Chriſtum tradidiſſe pro nobis: ut autem volita à tyrannis perſecutoribus in odium Chriſti mala eſt, & ſic nec à

Deo

Deo volita, ſed ſolum permiſſa. Et ideo ſicut laudat & coronat fideles eam fortiter tolerantes, ita deteſtatur & punit tyrannos eam inferentes. Uno verbo perſecutio quatenus à Deo, & ex parte fidelis eam perferentis, bona eſt; quatenus verò à tyranno illata mala & à Diabolo excitata.

Ex ea parte autem, quâ perſecutio bona eſt, malè infert Tertullianus, Deum velle ut Chriſtianus ſe coram tyranno ſiſtat, ut non liceat ei perſecutionem fugâ declinare; ſed ſolùm Deus vult, ut fidelis paratus ſit perſecutionem ſuſtinere eo modo quo ipſe decreverit. Qui autem eam fugâ declinant, adhuc perſecutionem patiuntur, eique ſubſunt diuturniora & graviora mala tolerantes, quàm ſi ſemel occiſi fuiſſent. Cùmque hæc omnia patiantur, quia Chriſtum negare nolunt, ſed in ejus fide conſtantes perſeverare etiam ad mortem uſque, ideo Chriſtum coram hominibus verè confitentur. Sic Apoſtoli, dum declinantes perſecutionis furorem huc illucque fugiebant, verè patiebantur, & Chriſtum confitebantur, quod nec Tertullianus negabit.

VIII. Dicit tamen tertiò: Præpoſiti Eccleſiæ fugere in perſecutione non poſſunt, nec debent: ergo neque grex illis commiſſus: ſic enim ait cap. 11. *Si grex fugere deberet, non deberet Præpoſitus gregis ſtare, ſine cauſa ſtatutus ad tutelam gregis, quam grex non deſideraret ex licentia fugæ.*

Reſpondeo, quòd ſi totus grex fugeret, ut nulla ovis permaneret, inutilis eſſet permanentia Paſtoris; ſed falſum ſupponit Tertullianus, dum ait gregem fugere debere. Poſſe quidem licitè gregem fugere dicimus, ſed debere non dicimus. An autem, & quando Præpoſitus fugere poſſit, quando non, dixi citato Tomo 1. in 22. de Fide q. 4. Dub. 8. §. 1. num. 6. & ſequent. unde quæ ibi dixi Lector videat. In præſens ſolùm dicam, quòd alia eſt ratio de Eccleſiæ Præpoſitis, alia de plebe, & privatis Chriſtianis, quibus non ſubeſt animarum cura. Præpoſiti enim Paſtoris officium gerunt, ideoque inſtante perſecutione non debent deſertâ plebe fugâ ſibi conſulere; aliàs Paſtores non eſſent, ſed mercenarii. Ut enim dicit Chriſtus Joan. 10. v. 11. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem & qui non eſt Paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem & dimittit oves & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oves.*

In aliquibus autem caſibus licere Præpoſitis, ut ſe in utilitatem gregis meliori tempore reſervent, ſecedere ingruente perſecutione loco citato dixi: puta ſi remaneant in Eccleſia alii Miniſtri, qui eorum vices implere poſſint: vel ſi à perſecutione ſpecialiter perſona Præpoſiti quæratur, vel ſi Præpoſitus ſuæ infirmitatis con-

conſcius timeat, ſe non fore conſtantem in tormentis. In his & ſimilibus caſibus poterit, & fortè etiam debebit Præpoſitus ſeipſum fugâ reſervare. Sic SS. Petrus & Paulus, Cyprianus, Athanaſius, & alii etſi Eccleſiæ Paſtores, perſecutionem declinarunt. De hoc videri poteſt S. Auguſtinus Epiſt. 180. modò 228. ad Honoratum, ubi præſcribit Regulas, quando Præſes Eccleſiæ poſſit in perſecutione ſecedere, quando verò non.

§. VIII.

Errores Montaniſtis tributi.

I. Montaniſtas hoc alio ferunt fuiſſe infectos errore, quòd Animam humanam corpoream eſſe exiſtimarent, ſubſtantiæ tamen aereæ, levis, & lucidæ. Cui errori occaſionem dediſſe putant viſionem quamdam phanaticæ illius Sectæ feminæ, cui in ecſtaſi talis apparuerat: quo factum fuit ut Montaniſtarum ſaltem aliqui nimiùm viſionibus dediti, animam humanam re verâ in ſe corpoream eſſe exiſtimarint. Factum Tertullianus narrat Lib. de Anima cap. 9. his verbis: *Eſt hodie ſoror apud nos revelationum chariſmata ſortita, quas in Eccleſia inter Dominica ſolemnia per exſtaſim in ſpiritu patitur, converſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit. Jam verò prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur: ita indè materiæ viſionibus ſubminiſtrantur; fortè neſcio quid de anima diſſerueramus, cùm ea ſoror in ſpiritu eſſet. Poſt tranſacta ſolemnia, dimiſsâ plebe, quo uſu ſolet nobis nuntiare quæ viderit (nam & diligentiſſimè digeruntur, ut etiam probentur)* „ Inter cætera, *inquit*, oſtenſa eſt mihi Anima „ corporaliter, & ſpiritus videbatur, ſed non inanis & vacuæ „ qualitatis, imò quæ etiam teneri repromitteret, tenera & lu- „ cida & aerei coloris, & formâ per omnia humanâ „. *Hæc viſio eſt: Deus teſtis & Apoſtolus chariſmatum in Eccleſia futurorum idoneus ſponſor*. Hæc Tertullianus: qui nimiùm credulus muliebri huic viſioni fidem præſtare videtur, dum ſubdit, quòd ſi anima corporea eſt, ſinè dubio non alterius erit coloris, quàm aerii, & lucidi: unde ſic concludit: *Recognita enim, cùm Deus flaſſet in faciem hominis flatum vitæ, & factus eſſet homo in animam vivam, totum utique per faciem ſtatim flatum illum in interiora tranſmiſſum, & per univerſa corporis ſpatia diffuſum ſimulque Divinâ aſpiratione denſatum, omni intus lineâ expreſſum eſſe, quam denſatus impleverat*,

rat, & velut in forma gelaſſe. Indè igitur & corpulentia animæ ex denſatione ſolidata eſt, & effigies expreſſione formata. Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus &c.

II. Ex præfata ergo fallaci viſione Tertullianus exiſtimavit, animam eſſe flatum illum, quem Deus in faciem hominis inſpiravit, qui deinde per omnia membra corporis diffuſus & ibi condenſatus, omnium eorum formam imbuerit, puta in oculo formam oculi, in lingua formam linguæ, & ſic de cæteris, ideoque corpoream formam habere, aeream tamen, & tenuem, quam vocat hominem interiorem, quem habere oculos, manus, linguam, & cæteros artus oſtendere conatur in Divite, Lazaro, & Abraha, qui eſtò ſolùm ſecundùm animam apud inferos eſſent, eis tamen lingua, digitus, & ſinus iu Evangelio tribuuntur; ait enim: *Sic & diviti apud inferos lingua eſt, & pauperi digitus, & ſinus Abrahæ.*

III. Licèt autem ex præfata mulieris viſione, in errore quòd anima corporea ſit, habens oculos, manum, linguam & cætera membra, Tertullianus confirmatus fuerit, illam tamen antea concepiſſe apparet ex his quæ alibi dicit, præſertim in Lib. de Reſurrect. Carnis cap. 17. An autem illum hauſerit à Montaniſtis dubito: potiùs à Philoſophis illum accepiſſe crediderim. Tum quia priuſquam fieret Montaniſta illo laboraſſe apparet ex locis allatis ante ſuum lapſum in Montaniſmum conſcriptis, ut plures credunt. Tum quia factus Montaniſta hunc errorem, ut alios, contra Orthodoxos propugnandum non ſuſcepit. Tum denique quia certum non eſt, Montaniſtas hâc labe fuiſſe infectos, cùm nec S. Auguſtinus, nec Philaſter, nec Epiphanius, nec Theodoritus, nec ullus Veterum de hoc illos accuſent.

IV. Sacram Euchariſtiam funeſto ritu contaminaſſe fama fuit, utendo ſcilicet in ea pane ex farinâ innocentis pueri ſanguine permixtâ. Referunt hoc S. Auguſtinus L. de Hæreſ. c.26., ubi de Cataphrygibus ſeu Montaniſtis: *Sacramenta*, inquit, *perhibentur habere funeſta: nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes eam farinæ, panemque indè facientes: qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre: ſi autem vixerit, pro magno ſacerdote.* Philaſter Hæreſ. 49. loquens de Pepuza Phrygiæ villa, in qua Montanus cum ſuis Prophetiſſis vitam duxit, ait: *Ubi & myſterium Cynicorum* (ſeu Quintillianorum) *& infantis execranda celebratur impietas: Dicunt enim eos de infantis ſanguine in Paſcha miſcere in ſuum ſacrificium, ſuiſque ita emittere perniciosis & falſis ſatellitibus.* Epiphanius item Hæreſ.48. n. 14. *Cæterùm*, inquit, *iidem illi* (Cataphryges) *deſertum quendam*

dam in Phrygia locum præcipuè venerantur, ubi Pepuza quondam oppidum fuit, quod hodie ſolo æquatum eſt. Eò ſiquidem deſcendere Cæleſtem Hieruſalem affirmant. Ergo illò proficiſcuntur, ac myſteria quædam obeunt, ſacriſque cæremoniis pro ſua opinione celebrant. Quænam autem eſſent hæ cæremoniæ inferiùs exponit dicens: *In hac Montani, vel in ejus germana Quintillianorum, aut certè Priſcillianorum & Pepuzianorum hæreſi, horrendum quoddam ac deteſtandum fieri dicitur; nam infantulum per ſolemne quoddam feſtum acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum ſanguinem ſacrificiis ſuis adhibent.*

V. Illi tamen, cùm hoc eis exprobraretur, calumniam eſſe dicebant: unde Theodoritus Lib.3. Hæret. Fab.c.2. ait: *De myſteriis autem nonnulla quidam jactitant. Sed illi non fatentur, & ſui accuſationem calumniam appellant.* Sed præ pudore hoc fateri nolebant. Unde Timotheus presbyter ait: *Iſti ſanguinem miſcent cum farina ad Communionem; verùm hujuſmodi perceptionem præ verecundia negant*: vel quia non omnibus notum erat, cùm clanculum, non in omni illius Sectæ parte, ſed in loco tantùm Pepuza, & quidem in ſolo Paſchate celebraretur; nec inde ad omnes ſed aliquos ex præcipuis pars illius nefandi ſacrificii mitteretur, unde aliquibus eorum, maximè ſimplicibus, poterat eſſe ignotum: apud eos enim hoc erat myſterium; ut autem ait Theodoritus in c.15. 1. ad Cor. *Myſterium dicitur, quod non omnibus declaratur, ſed ſolis amicis creditur.* Quidquid tamen fuerit, S. Hieronymus præ horrore mavult non credere. Sic Epiſt. 27. aliàs 54. ad Marcellam: *Prætermitto*, inquit, *ſcelerata myſteria, quæ dicuntur de lactente puero, & de victuro martyre confarrata. Malo, inquam, non credere: ſit falſum omne quod ſanguinis eſt.*

VI. Alii alios errores Montano, ſeu Cataphrygibus affingunt. Quòd mortuos baptizarent, dicit Philaſter Hæreſ.49. Quòd etiam mulieres ſacris initiari poſſint. Sed hic ſpecialis Pepuzianorum, de quibus infra, error fuit. Quod inceſtuoſos concubitus, & contra Jus gentium & Divinum initos Montanus approbaverit. Sed hoc contra ejus ideam eſt. Quis enim putet, hominem adeo rigidiori diſciplinæ addictum, ut etiam ſecundas nuptias ut illicitas reprobaverit, omnes illicitos concubitus approbaſſe? Hoc fortè putabitur, quia Priſcillam & Maximillam, earum viris adhuc ſuperſtitibus, ut uxores habuiſſe fertur. Dicunt alii inſuper, Montaniſtas quædam fabuloſa nugari de corporum ſtatu, quæ pii & fideles homines ſunt recepturi, definientes, quantâ lucis menſurâ illa noſtra corpora Solem ipſum ſuperabunt, alia nimirum, ut ajunt, centum, alia pluribus, alia paucioribus gradibus; ſed cùm pro his

nullum Veterum aut certum teſtimonium afferatur, tanquam nugæ habenda ſunt ac omittenda.

CAPUT XXIV.

De Pepuzianis, & Artotyritis, & aliis.

§. I.

Qui fuerint Pepuziani.

I. PEPUZIANOS eoſdem fuiſſe ac Montaniſtas & Cataphryges, ſolâ etymologiâ nominis diverſos, cenſet Theodoritus L.3. Hær. Fab. c.2. ubi de Montano agens: *Qui autem*, inquit, *ab ejus doctrina pendent, vocantur quidem ab eo Montaniſtæ, vocantur etiam Cataphryges à Gente, Pepuziani à vico, quem ille nominavit Hieruſalem*. Cùm enim, ut Cap. præced. dixi, Montanus hæreſim ſuam in Phrygia primò effuderit, & quidem in oppido Pepuza, ubi ipſe tanquam in nova Hieruſalem cum Priſca ſeu Priſcilla & Maximilla moram trahebat, & inde commenta ſua ſub Paracleti nomine ſpargere cœperit, factum eſt, ut qui eum ſequebantur Pepuziani etiam vocarentur. Idem ſentit etiam Nicephorus L.4. Hiſt. c.22. Pepuzianos autem ſpecialiter dictos fuiſſe Montaniſtas illos, qui Pepuzæ tanquam in prima ſuæ hæreſis ſede, & apud eos tanquam Cœleſti Hieruſalem habita, reſidebant, ubi infandum illud pueri ſacrificium conficiebant, & inde partes illius, ut ex Philaſtrio dixi, ad alios ſuæ Sectæ per ſatellites tranſmittebant.

II. Pepuzianos tamen, non ſolo nomine à puris Montaniſtis ſeu Cataphrygibus diſcrepaſſe, ſed ab iſtis quidem ortos, & quaſi ſurculum, aliqua de ſuo addidiſſe communiùs exiſtimatur. Nam & Quintilliani etiam dicebantur, quia cujuſdam Quintillæ pſeudoprophetiſſæ, cui Chriſtum in muliebri ſpecie apparuiſſe dicebant, inſanias ſequebantur, & alia addebant ſupra Montaniſtarum deliria. Hinc Epiphanius Hæreſ. 49. num. 1. *Quintilliani qui & Pepuziani vocantur, & Artotyritæ ac Priſcilliani, inter Phrygas cenſentur, & ab iis exorti ſunt. Etenim Phryges iſti, ſive Priſcilliani Quintillam, aut Priſcillam (neque enim utra ſit certò ſcimus) ſed harum alteram dicunt Pepuzæ aliquando ſomno correptam. Tum ad eam deſcendiſſe Chriſtum, & ſimul cum ipſa eodem habitu dormiſſe, ut vana muliercula jactabat.* „ Muliebri, *inquit*, ſpecie, ac veſte „ ſplendidâ venit ad me Chriſtus, mihique ſapientiam indidit, at-

„ atque hunc locum ſanctum eſſe ſignificavit, in eumque ſanctam „ Hieruſalem delabi „. *Ob id nonnullæ ad hodiernum uſque tempus mulieres ac viri eodem initiari cultu ſolent, ut ibidem excubantes Chriſtum contemplentur. Quamobrem ſive apud iſtos, ſive apud Phrygas, Prophetiſſæ feminæ nuncupantur*. Hæc Epiphanius.

S. Auguſtinus quoque Lib. de Hæreſ. c. 27. ait: *Dicunt enim*, inquit, *Quintillæ, & Priſcillæ in eadem Civitate Pepuza Chriſtum ſpecie feminæ revelatum: unde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur*. Damaſcenus quoque de Hæreſ. cap.49. hæc habet: *Pepuziani, qui & Quintilliani dicuntur, quibus accedunt Artotyritæ, hæreſes duæ. Superioribus quidem illis, hoc eſt Cataphrygibus annumerantur, ſed ab eis tamen diverſa nonnulla ſentiunt: ac Pepuzam deſertum quoddam oppidum, Galatiam inter & Cappadociam ac Phrygiam ſitum, Divinis honoribus extollunt, quippe Hieroſolymam eſſe dicunt: eſt autem & alia Pepuza. Mulieribus Magiſtratus & Sacerdotia deferunt. Sacra faciunt, puerum quidem acubus æreis compungentes, ut ſolent Cataphryges, ejuſque ſanguine farinâ admixtâ panem conficientes, oblationis participes fiunt. Fingunt Pepuzæ Chriſtum olim ſe Quintillæ, ſeu etiam Priſcillæ, videndum præbuiſſe muliebri ſpecie. Vetus ac Novum Teſtamentum adhibent, ita tamen ut omnia pro animi libidine ad pravos ſenſus transferant*. Hactenus Damaſcenus.

III. Epiphanius autem Hæreſ.49. num.2. alia præter dicta adjungens ait: *Utrumque porrò Teſtamentum adhibent, & mortuorum reſurrectionem approbant. Quintillam verò cum Priſcilla auctores ſuas prædicant, quam & Phryges aſciſcunt. Multas & vaniſſimas auctoritates circumſcrunt. Singularem Evæ gratiam tribuunt, quòd prima de ſcientiæ fructu comederit. Sororem verò Moyſis Prophetiſſam jactitant; cujus exemplo illi cooptandarum in Clerum mulierum inſtituto ſuffragantur. Quin & quatuor, inquiunt, Philippus Prophetiſſas filias habuit. Sæpenumerò in eorum Eccleſiam ſeptem cum facibus Virgines ingrediuntur candidâ veſte, ut Populo videlicet oracula reddant. Hæ cùm ſpeciem quamdam furoris præ ſe tulerint, adſtantibus illudunt, & ad fletum provocant; ut is pœnitentiæ luctus eſſe videatur. Nam & lacrymas profundunt, & toto corporis geſtu vitam hominis deplorant. Apud eoſdem mulieres Epiſcopi ſunt & Presbyteri, & ad cæteros gradus alleguntur, nullum ut ſexus diſcrimen ſervetur. Nam in Chriſto Jeſu neque mas eſt, neque femina* (Galat.3. v.28.) Ex his ab Epiphanio, Damaſceno, & Auguſtino relatis apparet, in quo Pepuziani cum Cataphrygibus ſentirent, & quid ſupra eorum errores adderent.

IV. His adjungit S. Baſilius in Epiſt. ad Amphilochium Canoni-

nonica 1., Pepuzianos non habuiſſe verum Baptiſma, cùm *in Patrem & Filium & Montanum ſeu Priſcillam baptizarent*. Sed in hoc idem ac ſupra de Montaniſtis dicendum eſt; non omnes ſcilicet in hac forma baptizaſſe, ſed aliquos fortè, qui Montanum vel Priſcillam verum Paracletum eſſe exiſtimantes, loco Spiritus Sancti Montanum vel Priſcillam nominabant, quorum Baptiſma certè irritum erat. Quamvis PP. Maurini in Notis ad hunc locum exiſtiment, Pepuzianos in Baptiſmo nomen Spiritus Sancti non omiſiſſe, ſed eo nomine intellexiſſe ſuum Paracletum, quem Montanum ſeu Priſcillam exiſtimabant. Ut ut ſit, non omnes Montaniſtæ ſeu Pepuziani debitam in Baptiſmo formam omittebant, etſi in fide Trinitatis aliqui errarent, ut ſupra oſtendi.

§. II.

Pepuzianorum errores.

I. PEpuziani ſpecialiter errabant, quia feminas plus æquo extollebant, & hoc in duobus: Primo, quia feminas ad Epiſcopatum & Presbyteratum admittebant. Secundò, quia Evam comedendo de ligno vetito ſingularem ſcientiam acquiſiviſſe aſſerebant. Primum errorem ſupra rejeci cap. 11. ſ. 3. num. 6. & 10. in Marcitis, qui eadem mulieribus concedebant, & infra in Collyridianis refutabo. Una ex Pepuzianis, fortè illa mulier fuit de qua Firmilianus in Epiſt. modò 75. ad Cyprianum ait: *Emerſit iſtic ſubitò quædam mulier, quæ in exſtaſi conſtituta propheten ſe præferret, & quaſi Sancto Spiritu plena ſic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus ſollicitaret, ac deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam & portentoſa perficiens, & facere ſe terram moveri polliceretur*. Et poſt multa ſubdit: *Atque illa mulier, quæ priùs per præſtigias & fallacias dæmonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter auſa eſt, ut & invocatione non contemtibili ſanctificare ſe panem & Eucharistiam facere ſimularet, & Sacrificium Domino ſine Sacramento ſolitæ prædicationis offerret*.

II. Et quidem hæc non ab alio, quàm à Dæmone inſpirari poterant. Qui enim Gentiles induxit, ut in Deos etiam feminas adſcriberent, & primam mulierem promiſſione divinitatis decepit: ſicut Deabus feminis feminas ſacrificare voluit, ut teſtantur Hiſtorici apud Gyraldum in Hiſtoria Deorum Syntagm. 17. de Dea Bona, cui feminæ tantùm ſacerdotio inſerviebant, ſicut & Cereri Eleuſinæ ſcribit Tacitus de Moribus Germanorum: ita aliquas etiam

etiam Chriſtianas feminas ambitione ſacerdotii ſeducere voluit. Sed ſtultè, ne dum impiè. *Quod enim* (inquit Epiphanius ibi num. 3.) *mulieres ad Epiſcoporum aut Presbyterorum ordinem aſciſcunt, idque ob Evam facere ſe dictitant, non audiunt ſanè quod à Domino dictum eſt* „ Ad virum erit converſio tua, & ipſe dominabitur tibi „. Si autem femina ad Presbyteratum, aut Epiſcopatum promoveretur, jam vir ſubjiceretur mulieri, & mulier dominaretur viro, & corpus capiti: quia mulier ex coſta viri formata corpus eſt, & caput eſt vir, dicit enim Paulus 1. Cor. 11. v. 3. *Caput autem mulieris vir*. Et v. 8. *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro*. Si ergo mulier Epiſcopatu vel Presbyterio honoretur, percutitur Ordo à ſummo Opifice conſtitutus.

III. Accedit, quòd, ut ibidem Epiphanius notat, idem Paulus 1. Cor. 14. v. 34. dicit: *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut lex dicit*. Et 1. ad Timoth. c. 2. v. 11. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum ſed eſſe in ſilentio: Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva. Et Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*. Si ergo mulier Epiſcopatu vel Presbyteratu fungeretur, quomodo in Eccleſia docere non poſſet, ſed eſſe in ſilentio teneretur? Imò & loqui & docere ex officio deberet. Quia ergo viri creatio productionem mulieris præceſſit, è contra autem peccatum mulieris præceſſit peccatum viri, conſultò Deus ducatum ad inſtillandam ſacerdotio pietatem mulieri non conceſſit; quæ poſterior creata, prior peccavit, & virum in peccatum traxit. Hæc diſcurſus Pauli vis eſſe videtur.

IV. Adducebant tamen pro ſe Pepuziani, ut ex Epiphanio dixi, locum Pauli ad Galatas 3. v. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus neque liber; non eſt maſculus, neque femina: omnes vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*. Si ergo omnes baptizati, quia ſunt unum in Chriſto capaces ſunt ſacerdotii, cur non & feminæ?

Retorqueo primùm hunc diſcurſum. Si in Chriſto Jeſu unum ſunt maſculus & femina, ut nulla ſit inter eos differentia quoad Eccleſiæ officia aſſumenda, cur Paulus vetat mulieribus in Eccleſiis loqui, & docere, ſed vult, eas eſſe in ſilentio, nec dominari viros ſed eſſe in ſubjectione? Signum eſt igitur, quòd ea quæ in Eccleſia dominationem, & ſuperioritatem ſapiunt, qualia ſunt Epiſcopatus & Sacerdotium, mulieribus etſi Baptiſmo factis unum in Chriſto, non permittit. In hoc ergo ſtat inter baptizatos convenientia, quòd ſicut omnes nec attentâ diverſitate nationum, aut

ſexus,

ſexus, facti ſunt unum in Chriſto, tanquam ejus membra, ita capaces ſunt gratiæ, filiationis adoptivæ, & aliorum, quæ Baptiſmum conſequuntur. Sed ſicut idem Paulus Roman. 12. v. 4. dicit, quòd *ſicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis, differentes.... Sive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in docendo* &c. Ex quo fit, ut ſicut in corpore humano omnia membra conveniunt quidem in participandâ vitâ corporis, alium tamen actum habet manus, alium caput, ut manus ſuo actu capiti quidem inſerviat, ſed imperare aliis membris, qui eſt actus proprius capitis, manus non poſſit: ita in corpore myſtico omnia quidem membra participent vitam, ſed actus alterius participare nequeant, ideoque mulieres actus miniſterii, & doctrinæ, qui capitis proprius actus eſt, incapaces ſint. De hoc locutus ſum in Theol. Tom. 4. in 3.p. Tract. de Ordine qu. 3. de ſubjecto Ordinis Dub. 1., ubi ad rem præſentem aliqua dixi, & præſertim de Diaconiſſis & Presbyteris in Antiqua Eccleſia, quæ videri poſſunt.

V. Alio fundamento ad mulieres ſacerdotio donandas movebantur Pepuziani: quia Legis Evangelicæ privilegium eſt, ut non minùs mulieres, quàm viri ad Sacerdotium aſſumantur, in qua ſine ſexus diſcrimine Spiritus Sanctus ad omnes effuſus dicitur à Petro Apoſtolo juxta Joelis prophetiam Act. 2. v.16. &c. his verbis. *Et hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Joel. Et erit in noviſſimis diebus dicit Dominus: Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ.... Et quidem ſuper ſervos meos & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.*

VI. Sed neque hoc eis favet. Nam allatum ex Joele teſtimonium loquitur de gratiis gratis datis, ut eſt donum Prophetiæ, quæ ſunt gratiæ extraordinariæ, nec pertinent ad ordinarium Eccleſiæ regimen, ac doctrinæ miniſterium. Et has quidem in Lege Evangelica erant credentes ſine ſexus diſcrimine recepturi. Sed non loquitur de ordinario Eccleſiæ miniſterio, quo aliqui præſunt dignitate, vel doctrinâ, à quo, ut dixi, Paulus feminas excludit. De hoc agit S. Thomas in 4.diſt.25.q.2. art.1., ubi poſtquam dixit, quædam requiri in ſuſcipiente Sacramentum, quaſi de neceſſitate Sacramenti, quæ ſi deſint, non poteſt quis recipere Sacramentum, neque rem Sacramenti: quædam verò requiruntur, non de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, propter congruitatem ad Sacramentum, & ſine talibus aliquis ſuſcipit Sacramentum,

tum,ſed non rem Sacramenti;Poſtea ſubjungit:*Dicendum ergo,quòd ſexus virilis requiritur ad ſuſceptionem Ordinis non ſolùm ſecundo modo, ſed etiam primo. Unde ſi mulieri exhibeantur omnia quæ in Ordinibus fiunt, Ordinem non ſuſcipit: quia cùm Sacramentum ſit ſignum, in his quæ in Sacramento aguntur, requiritur non ſolùm res, ſed ſignificatio rei: ſicut dictum eſt, quòd in extrema unctione exigitur quòd ſit infirmus, ut ſignificetur curatione indigens. Cùm ergo in ſexu femineo non poſſit ſignificari aliqua eminentia gradus, quia mulier ſtatum ſubjectionis habet, ideo non poteſt Ordinis Sacramentum ſuſcipere. Quidam autem dixerunt, quòd ſexus virilis eſt de neceſſitate præcepti, ſed non de neceſſitate Sacramenti, quia etiam in Decretis fit mentio de Diaconiſſa, & Presbytera. Sed Diaconiſſa dicitur, quæ in aliquo actu Diaconi participat, ſicut quæ legit homiliam in Eccleſia: Presbytera autem dicitur vidua, quia Presbyter idem eſt quod Senior.*

Deinde ad primum ibi ſubjungit, *quòd prophetia non eſt Sacramentum, ſed donum Dei: unde non exigitur ibi ſignificatio, ſed ſolùm res. Et quia ſecundùm rem in his quæ ſunt animæ mulier non differt à viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris; ideo donum prophetiæ & alia hujuſmodi poteſt accipere, ſed non Ordinis Sacramentum.*

Quia verò opponebatur, mulierem fieri poſſe Abbatiſſam, & Debboram præfuiſſe ac judicaſſe Iſrael, reſpondet: *De Abbatiſſis dicitur, quòd non habent prælationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Debbora autem præfuit in temporalibus non in Sacerdotalibus, ſicut & nunc mulieres poſſunt temporaliter dominari.* Ita S. Thomas.

VII. Alter error, quo laboraſſe Pepuzianos Epiphanius dicit, eſt: quòd *ſingularem Evæ gratiam tribuunt, quòd prima de fructu ſcientiæ comederit.* In hoc errore conveniebant aliqualiter cum Ophitis, quos ſupra Cap. 14. refutavi. Ac debuiſſent potiùs in Evæ lapſu ruinam humani generis deplorare, quæ de fructu vetito comedendo, ſibi ac omnibus veræ ſcientiæ jacturam comparavit. Movebantur fortè ex Geneſ. 3. v. 7., ubi ſtatim poſt comeſtionem fructus vetiti dicitur: *Et aperti ſunt oculi amborum*, quod ſerpens ante v. 5. prædixerat dicens: *Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Sed quis non videt, ſerpentem diabolum fuiſſe malignum deceptorem? Aperti ſunt oculi amborum. Granditatem nempè criminis ſui, & promiſſionum Dæmonis vanitatem tandem noverunt. Intellexerunt bonum quod amiſerant, & quanta in ſe induxerant mala; & cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos, carnis à ſpiritu defectio pudorem in illos induxit de probro, & nudos

ſe

Digitized by Google

ſe eſſe erubeſcere cœperunt. En quid de ligno vetito comedens, ſibi ac nobis Eva lucrata fuit. *Mox ut ergo* (inquit S.Auguſt.L.11. de Geneſ. ad litter. cap.31.) *praeceptum tranſgreſſi ſunt, intrinſecus gratiâ deſerente omnino nudati, quam typho quodam & ſuperbo amore ſuæ poteſtatis offenderant, in ſua membra oculos injecerunt, eaque motu eo, quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti ſunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent.* Sed in hoc errore ab omnibus ſeculis damnato confutando immorari ſuperfluum eſt.

§. III.

Artotyritæ & eorum errores.

I. ARtotyritæ hoc nomine appellantur, quia panem & caſeum in Euchariſtia offerebant. Etenim *Artos* Græcis panis eſt, & *Tyros* caſeus: ideoque hæreſis ab operatione deſumſit nomen. De his S.Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap.28. *Artotyritæ*, inquit, *ſunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit. Offerunt enim panem & caſeum, dicentes, à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuiſſe celebratas.* Philaſter Hæreſ. 74. *Artotyritæ ſunt nomine ex re ipſa impoſito in Galatia qui panem & caſeum offerunt, non illud quod Eccleſia Catholica & Apoſtolica celebrat offerendo.* Epiphanius autem jungens eos Pepuzianis num. 2. ait: *Cæterum Artotyritas eoſdem idcircò vocant, quòd ad celebranda myſteria ſua panem & caſeum adhibent*: quibus indicat, Artotyritas fuiſſe ramum quemdam hæreſis Pepuzianorum, & Cataphrygum. Idem ſentit Damaſcenus de Hæreſ. c.49. dicens: *Pepuziani, qui & Quintilliani dicuntur, quibus accedunt Artotyritæ: hæreſes duæ.* Idem exiſtimat Nicetas L. 4. Theſauri c.16.; Timotheus tamen Presbyter apud Cotelerium Monum. 3. ex Marcionis hæreſi eos deſcendere facit. Horum etiam meminit Iſidorus Lib. 8. Etymol. c.5.

II. Hanc hæreſim in Galatia maximè viguiſſe, ex Philaſtrio apparet, & ex S. Hieronymo, qui in proœmio L.3. in Ep. ad Galatas loquens de Hæreſibus, quæ in Galatia graſſatæ fuerant, etiam Artotyritas recenſet his verbis: *Scit mecum qui vidit Anchiram Metropolim Galatiæ civitatem, quot nunc uſque ſchiſmatibus dilacerata ſit, quot dogmatum varietatibus conſtuprata. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manichæos. Nota enim jam hæc humanæ calamitatis vocabula ſunt. Quis umquam Paſſalorincitas, & Aſcodrobos, & Artotyritas, & cætera magis portenta quàm nomina in aliqua parte Romani Orbis audivit? Antiquæ ſtultitiæ uſque hodie ma-*

manent veſtigia. His indicat Hieronymus, Artotyritarum hæreſim vix extra Galatiam protenſam fuiſſe, & etiam parum duraſſe, ſive ob paucitatem Sectatorum, ſive quia in hæreſi Cataphrygum abſorptam. Quis autem illius Auctor primarius fuerit, ſilent veteres. Si, ut ex ſupra allatis Patribus dixi, ex hæreſi Montaniſtarum prodiit, credibile eſt, poſt exceſſum Montani quòd aliquis phanaticus Montaniſta, ut famam ſibi compararet, hunc aliis erroribus addiderit, ſicut ex dictis Pepuziani fecerunt. Nam, ut ad rem inquit Epiphanius citato loco n. 3. *Ubi ab ſincera religione ſemel aberratum eſt, ridicula ac perturbata, quæ ab hominibus geruntur, eſſe omnia neceſſe eſt, varia ut indè furoris genera Dæmonumque in corpora impreſſiones oriantur*. Quod quæ his temporibus graſſantur hæreſes ad oculum demonſtrant.

III. Peculiaris ergo & unicus Artotyritarum error erat, ex Auguſtino & aliis, quòd in ſuis myſteriis loco panis & vini panem & caſeum, ſive potiùs, ut vult Timotheus presbyter, panem ex farina, non aqua ſed lacte confectum, offerebant. Et hoc fortè magis conſentaneum falſæ eorum opinioni videtur. Dicebant enim, ut ex Auguſtino relato, à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuiſſe celebratas: atqui nullibi legimus, à primis hominibus caſeum fuiſſe oblatum, ſed vel primogenita ovium, vel de adipe eorum. Nam cap. 4. Gen. habemus, quòd Cain obtulit de fructibus terræ munera Domino, quia erat agricola; Abel autem qui erat paſtor ovium obtulit de primogenitis gregis ſuis, & de adipibus eorum.

IV. Sed quomodocumque ſit, erraverunt. Chriſtiani enim in oblatione Euchariſtica imitari non debent, quod primi homines fecerunt, ſed quod fecit Chriſtus, qui eam inſtituens non ſumſit panem & caſeum, ſeu panem & lac, ſed panem & vinum: & potiùs quàm ad primorum hominum oblationes reſpicere debent ad oblationem Melchiſedech figuram oblationis Euchariſticæ, qui obtulit panem & vinum. Hoc demonſtrat S. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcilium his verbis: *In Sacerdote Melchiſedech Sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod Scriptura Divina teſtatur & dicit* (Geneſ. 14.) „ Et Melchiſedech Rex „ Salem protulit panem & vinum: fuit autem Sacerdos Dei ſum„ mi, & benedixit Abraham „. *Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus Sanctus ex perſona Patris ad Filium dicens* „ Ante Luciferum genui te: Tu es Sacer„ dos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech „. *Qui ordo utique hic eſt de Sacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quòd Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, & quòd panem & vinum obtulit,*

quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem? His Cyprianus Artotyritarum inſaniam detegit. An verò præter panem & caſeum offerrent etiam vinum, cùm nemo præfatorum Veterum id expreſſerit, in incerto manet.

V. Abs re non erit hic addere, in primitiva Eccleſiæ diſciplina conſueviſſe, ut fideles in Eccleſiam convenientes oblationes facerent ſuper altare earum rerum, quæ per Sacerdotem conſecrabantur, nimirùm panis & vini: ex quibus à Sacerdote ea tantùm pars conſecrabatur, quæ Sacerdoti ſufficiens videbatur pro Populo; quæ verò ſupererat, vel in uſus pauperum diſtribuebatur, vel diſtribuenda aſſervabatur. Teſtis eſt S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. ad Antoninum pag. 98., ubi fusè deſcriptâ de oblatis pane vino & aqua à Præſide factâ conſecratione, & per ipſum datâ præſentibus, per Diaconos autem miſsâ ad abſentes diſtributione, ſubjungit: *Cæterùm qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt contribuunt: & quod ita colligitur apud Præpoſitum deponitur: atque indè ille opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter morbum, aut aliquam aliam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregrè advenientibus hoſpitibus, &, ut ſimpliciter dicam, indigentium is omnium curator eſt.* Et Cyprianus L. de Opere, & Eleemoſynis, ad Matronam divitem, quæ nihil de ſuo ad altare offerebat, ſed oblatis à pauperibus in ſacrificio participare volebat, ſic ait: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis; quæ in Dominicum ſinè ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?*

VI. Procedente tamen tempore præter panem & vinum cœperunt alia ad altare offerri, ut mel, lac, legumina, carnes & ejuſmodi comeſtibilia, & loco vini aliæ potiones, quæ omnia prohibentur Can. 3. ex iis qui ſub nomine Apoſtolorum perſtant, ubi ſtatuitur, quòd nihil offeratur, præter id quod Dominus ordinavit, excepto oleo pro lampadibus, & thure pro incenſo. Cætera verò nempè cujuſcumque fructus primitiæ ad Epiſcopi vel Presbyteri domum mittantur, utique diſtribuenda. Quia verò videbatur permiſſum novas ſpicas, & uvas maturas ſuo tempore ad altare deferre, non ut in ſacrificium adhiberentur, ſed ut primitiæ: ea cùm aliqui hoc in abuſum vertentes, uvas in altari oblatas unâ ſimul cum Euchariſtia Populo diſtribuere conſueviſſent, ideo Synodus Trullana Can. 28. hunc abuſum proſcripſit. Non defuere

qui mulſum, potionem ſcilicet ex vino & melle confectam, offerrent; quos Concil. Antiſiodorenſe Can. 8. coercuit ſtatuens: *Non licet in Altario in ſacrificio Divino mellitum quod mulſum appellant, nec ullum alium poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre.* Et ad ſimiles tollendos abuſus Concilium Carthaginenſe 3. Can. 24. jam ſtatuerat: *Ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aquâ mixtum, nec ampliùs offeratur in ſacrificiis, quàm de uvis & frumentis.*

Alii quoque eò devenerunt, ut in ſacrificiis lac pro vino offerrent: alii intinctum panem, & inde expreſſum in calice populo porrigebant. Alii non vinum in calice offerebant, ſed uvas populo porrigebant. Aliqui pannum lineum tinctum muſto toto anno reſervabant, & tempore ſacrificii partem ejus in aqua lavabant, & ſic offerebant. Quibus abuſibus occurrere volens Concilium Bracarenſe 3. anno 675. c. 2. Ita loquitur: *Audivimus quoſdam ſchiſmaticâ ambitione deceptos, contra Divinos ordines, & Apoſtolicas inſtitutiones lac pro vino in Divinis ſacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Euchariſtiam Populis pro complemento communionis porrigere: quoſdam etiam non expreſſum vinum in Sacramento Dominici calicis offerre, ſed oblatis uvis populos communicare. Quod quàm ſit Evangelicæ atque Apoſtolicæ doctrinæ contrarium, & conſuetudini Eccleſiaſticæ adverſum, non difficile ab ipſo fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipſa Sacramentorum myſteria proceſſerunt . . . Illud verò quod pro complemento communionis intinctam tradunt Euchariſtiam Populis, nec hoc prolatum ex Evangelio teſtimonium recipit, ubi Apoſtolis corpus ſuum & ſanguinem commendavit: ſeorsùm enim panis, & ſeorsùm calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantùm diſcipulo, quem intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ Sacramenti hujus inſtitutionem ſignaret. Nam quod de inexpreſſo botro, ideſt de uvæ granis Populus communicatur, valde eſt omnino confuſum. Calix enim Dominicus juxta quod quidam Doctor edifferit* (Cyprianus) *vino & aquâ permixtus debet offerri.* His & aliis Concilium hoc abuſus, qui irrepſerant, damnat. Quos proſcriptos legimus etiam Cap. Cum omnes diſtinc. 2. de Conſecrat. ſub nomine Julii Papæ ad Epiſcopos Ægypti, ubi damnantur illi etiam, qui pannum lineum intinctum muſto per totum annum reſervabant, & tempore ſacrificii partem aquâ lavabant, & ſic offerebant.

VII. Hucuſque dicta manifeſtant, quot modis Euchariſtiæ conſecrationem corrumpere in aliquibus Satanas tentarit. Soli

tamen Artotyritæ panem & caſeum offerendi errorem ſibi reſervarunt. Scio modernos Acatholicos præfatis Euchariſtiæ profanatoribus nos conjungere, quòd in ea aquam vino miſceamus: ſed ipſi potiùs tanquam Euchariſtiæ detractores damnandi ſunt; cùm ut ſupra oſtendi cap. 22. de Tatiano & Encratitis §.4. num.13. & ſequentibus, antiquæ & continuatæ Eccleſiæ traditioni & praxi ipſi audeant contradicere. Videantur ibi dicta.

§. IV.

Taſcodrugitæ, Paſſalorinchitæ, Aſcodrogitæ, & Aſcodrytæ.

I. AD Cataphryges refert Epiphanius Hæreſ. 48. n. 14. Taſcodrugitas, qui ſic dicti ſunt, quòd inter orandum indicem digitum manus naſo imponerent, ut affectatæ ſanctitatis ſpeciem in orando præſeferrent. Ita Epiphanius his verbis: *Taſcodrugitæ idcircò cognominati ſunt, quòd* Taſcos *illorum linguâ paxillum ſignificat,* Drugitos *verò naſum ſive roſtrum. Quòd igitur inter orandum indicem manus digitum naſo imponunt, ut animi triſtitiam, & affectatam quamdam ſanctitatem præſeferant, à nonnullis ideo Taſcodrugitæ nominantur, quaſi* Paxillo-naſones *dixeris.* Hos autem ideo Cataphrygibus jungit, quia, præter peculiarem allatum orandi modum, cum Cataphrygibus in cæteris conveniebant. Unde etiam Damaſcenus Hæreſ. 48. eos vocans Aſcodrugetas Montaniſtis adjungens: *Cataphryges*, inquit, *qui & Montaniſtæ & Aſcodrugetæ.*

Hos eoſdem eſſe crediderim, quos Philaſter Hæreſi 76. Paſſalorinchitas appellat, de quibus ait: *Alii ſunt Paſſalorinchitæ, qui digitum imponunt in nares & in ora ſua, & in labia, quaſi ſilentium ſemper exercent, non rei aliæ niſi taciturnitati, quaſi ſtudium commodantes. Hoc autem facientes quaſi Prophetas cupiunt imitari, quia ait David Propheta* „ Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis „. *Et quia jejuniis beati prophetæ vacantes ſilentium ſæpiùs commodabant, inde uſurpantes iſti æſtimant obſervandum, Pythagoricam vanitatem potius quàm Prophetarum cœleſtem vitam & ſapientiam ſequi properantes.* Notiſſima ſunt quæ de Quinquennali Pythagoricæ ſilentio Scholæ feruntur, de quo viri docti ad Gellium L. 1. c. 9. & ad Laertium 8. 10. & Holſtenius ad Porphyrium p. 80. Celebre etiam eſt, quod Harpocrates ſilentii Deus digito labellum compeſcens ab Ethnicis exprimebatur. Hos ergo hi Hæretici, ſive Taſcodrugitæ ſive Paſſalorinchitæ vocentur, imitabantur.

II. Aſco-

II. Aſcodrogitæ tamen, de quibus idem Philaſter Hæreſ. 75., à Taſcodrugitis, ut ſupra Epiphanius appellavit, diverſi ſunt, ſicut diverſa eſt eorum inſania. De eis enim ſic ait: *Alii ſunt Aſcodrogitæ in Galatia, qui utrem inflatum ponunt, & cooperiunt in ſua Eccleſia, & circumeunt eum inſanientes potibus, & bacchantes, ſicut pagani Libero patri, inſanis mentibus more Gentilium furentes, & non intelligentes quod ait Salvator* (Matth. 9. v. 17.) *utres novos ſumendos, inque eos novum vinum mittendum, non in veteres. Et cùm ſuis cæcitatibus properant inſervire, alieni modis omnibus Chriſtianæ ſalutis reperiuntur, cùm Apoſtolus* (2.Cor.5.v.17.) *dejiciat juſtificationem illam Judaicam carnalemque vanitatem, Chriſti autem veram & plenam confirmet ſcientiam dicens* „ Vetera tranſierunt, & ecce nova omnia „ *per Chriſtum facta ſunt. De lege enim & umbra dicebat Dominus & de ſuæ gratiæ plenitudine; duorumque hominum, quod ait Apoſtolus* (1. Cor. 15. v. 47.) „ Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis „. *Quod enim erat per umbram, & quod erat futurum in Domini præſentia majus & melius, & hoc nuntiabat docendo ac rebus teſtantibus confirmando*. His Philaſter refert, & ſimul refellit horum Aſcodrogitarum errorem. Hos emerſiſſe tempore Commodi Imperatoris & Soteri Papæ circa annum 181., putat Prateolus.

Aſcodrogitæ iſti iidem fortè ſunt ac Aſcitæ, de quibus S. Auguſtinus Hæreſ. 62. *Aſcitæ*, inquit, *utre appellati ſunt*, aſcos *enim græcè latinè* uter *dicitur: quem perhibentur inflatum & opertum circuire bacchantes, tanquam ipſi ſint Evangelici utres novi novo vino repleti*. In hoc ſolùm erraſſe dicit Auctor Prædeſtinati: *Iſti cùm in dogmate nihil mali habeant, utrem tamen ingentem juxta altare ponunt, eumque vacuum inflant & linteaminibus velant & adorant, quia confectum cruoris Domini adjiciunt, illud dicentes Evangelicum, vinum novum in utres novos adjiciunt, & utraque conſervantur*. Sed de hoc redibit ſermo infra cap. 58. §. 4. cùm de Aſcitis agam.

III. Ab Epiphanii Taſcodrugitis, & Philaſtrii Paſſalorinchitis & Aſcodrogitis, ſeu Aſcitis, de quibus egi, planè diverſi ſunt ii, quos Theodoritus Aſcodrytos, vel Aſcodrupetas appellat Lib. 1. Hæret. Fab. c. 10. Tum quia iſtos Marcitis adjungit, non Cataphrygibus. Tum quòd longè diverſum errorem eis affingit his verbis: *Dicunt autem, non oportere Divina myſteria, quæ ſunt inviſibilium ſigna, per res quæ videntur peragi, nec incorporea per ſenſibilia & corporea. Eſſe autem perfectam redemtionem veram ejus quod eſt cognitionem*. Indè proſequitur, eos Baptiſmum rejeciſſe, aliaque impia dogmata cum Archonticis profeſſos fuiſſe. Aliqui ex recentiori-

tioribus addunt, eos omnia vaſa ſacra Sacramentis deſtinata fregiſſe, & furioſè in fruſta comminuiſſe. Hæc pro ſtudioſi notitia ſufficiant, ut indè uberiùs ſemper colligat, in quot deliria prolabantur, qui à Veritate Religionis reſiliunt.

CAPUT XXV.

De Teſſareſcedecatitis ſeu Quartodecimanis.

§. I.

Origo & progreſſus controverſiæ.

I. TESSARESCEDECATITÆ nomen græcum eſt à *Teſſares bedeca* quod quatuor & decem, ſeu quatuordecim ſignificat: ideo *Teſſereſcedecatitæ* apud Latinos idem ſunt ac *Quartodecimani*, ſic propterea appellati, quia quartodecimâ Lunâ menſis Martii, die quâcumque incideret, Paſcha celebrandum eſſe etiam à Chriſtianis volebant. Ita S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap. 29. *Teſſareſcedecatitæ hinc appellati ſunt, quòd nonniſi quartadecimâ Lunâ menſe Martio Paſcha celebrant, quilibet ſeptem dierum occurrat dies, & ſi dies Dominicus occurrerit, ipſo die jejunant & vigilant.* Idem cum S. Auguſtino ſentit Damaſcenus Hereſ. 50. *Teſſareſcedatitæ*, inquit, *ſeu Quartodecimani, qui ſtato anni die Paſcha celebrant, ut quamcumque in diem decimaquarta Lunæ incurrerit, ſive Sabbatum ſive Dominica fuerit, eâ die jejunent, & feſtivas celebrent vigilias.*

II. De hoc Philaſter duplici loco agit, ſemel quidem Hæreſ. 58. dicens: *Sunt qui de die Paſchæ ſaluberrimâ ambigunt, aſſerentes, quartadecimâ Lunâ celebrandum eſſe Paſcha, non ſicut Eccleſia Catholica celebrat & menſe Martio ſemper celebrandum aſſerunt: & cùm hoc faciunt, diem non Dominicam ſemper cuſtodiunt Paſchæ non computantes horas & dies, ſed ſecundâ aut tertiâ aut quartâ aut quintâ, aut ſextâ die celebrant: & ex hoc errore non cognoſcunt diem Paſchæ Domini noſtri veram & ſalubrem unam Orbi terrarum ſtatutam, & confirmatam à Domino curſu numerali Lunæ menſibus & emboliſmis, & cum hæc non computant, ignorant, quid celebrant.* Iterum de hoc agens Hæreſ. 87. *Alia*, inquit, *eſt hæreſis, quæ aſſerit cum Judæis debere fieri Paſcha. Iſti in Galatia & Syria & Phrygia commorantur & Jeroſolymis, & cùm Judæos ſequantur, ſimili cum eis errore depereunt. Inque hoc & ſuum Judæi confirmant mendacium, cùm pervident, quoſdam Chriſtianos indoctos legis*

eorum

eorum magìs ſequi vanitatem, quàm regulam Catholicæ veritatis, & nihilominus illi cùm iſtis concelebrant, ut conſortes Judæorum criminis & ſceleris manifeſtantur, atque ab omnibus dignoſcuntur. Quibus Philaſter videtur velle, priores errores ſe quidem in ritu ex ignorantia, ſed non in dogmate, poſteriores verò erraſſe etiam in dogmate, volentes in hoc ſervandam eſſe Judaicam potiùs vanitatem, quàm Catholicam veritatem.

III. De his poſterioribus locutum fuiſſe crediderim S. Epiphanium Hæreſ. 50. dum ait: *Ex his duabus inter ſe commixtis Phrygum & Quintillianorum ſive Priſcillianorum Sectis nova quædam conflata eſt, & in Orbem introducta Quartodecimanorum hæreſis. Qui cæteris in rebus cum Eccleſia conſentientes, hoc ipſo ab omnibus aberrant, quòd non illius inſtitutis doctrinæque conſentanea quædam amplexi ſunt. Nam & Judaicis inſuper fabulis inhærent: neque tamen paria cum illis eademque ſentiunt* „ Quæ enim dicunt, non norunt, nec de quibus affirmant (1.Timoth.1. v.7.) *Quippe ſemel quotannis unum Paſchatis diem præfractè celebrant. Quamquam de Patre, Filio, ac Spiritu Sancto ſinceram cum Catholicis opinionem retinent: ſed & Prophetas & Apoſtolos & Evangeliſtas approbant. Reſurrectionem carnis perinde ut illi futuram non dubitant; quemadmodum neque judicium, vitamque ſempiternam. Sed inter hæc tamen non mediocri calamitate conflictantur, eò quòd id quod Lege ſcriptum eſt perperam accipiunt* „ Maledictus, qui non fecit Paſcha quartadecimâ die menſis „. Hæc Epiphanius. Qui cùm loquatur de Quartodecimanis ortis ex Phrygibus, Quintillianiſque, & qui eâ die celebrandum eſſe Paſcha contendebant, quia ſic in Lege præceptum eſt; propterea par eſt credere, eum fuiſſe locutum de illis quos Philaſter ſecundo loco recenſet, qui inter hæreticos verè computandi ſunt.

IV. Quare in hac controverſia duplicem ſtatum arbitror eſſe diſtinguendum. Primum, quem initio habuit: Alterum, in quem progreſſu temporis tranſivit. Si priorem ejus ſtatum ſpectemus, videbatur eſſe controverſia de ſolo ritu & diſciplina. Nam ſub Aniceto primum exorta, ſub Pio, Hygino, Theleſphoro, atque Sixto in Romana Sede ſucceſſoribus tolerata fuit conſuetudo Aſianorum Paſcha Lunâ quartâ decima in quamcumque incidiſſet diem celebrantium, quamvis Romana Eccleſia oppoſitam conſuetudinem retineret. Tolerata autem non fuiſſet, ſi exiſtimata tunc fuiſſet ad fidem & dogma pertinens. Hâc tolerantiâ motus S. Irenæus Victorem Papam oppoſitum ſentientem, & propterea ab Eccleſiis Paſcha Lunâ quartadecimâ Judaico more celebrantibus ſe ſegregare meditantem, dehortari conatus eſt his verbis apud

apud Euſebium Lib. 5. Hiſt. cap. 24. *Sed & Presbyteri illi qui ante Soterem Eccleſiam, cui tu nunc praes, gubernarunt, Anicetum dico & Pium & Hyginum cum Teleſphoro & Xiſto, neque ipſi unquam obſervarunt, neque his qui, cum ipſis erant, ut id obſervarent permiſerunt. Ipſi tamen cùm hoc minimè obſervarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad ſe veniſſent ex Eccleſiis in quibus id obſervabatur.*

Ac deinde ſubjungit: *Et cum beatiſſimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia, ſtatim mutuo pacis oſculo ſe complexi ſunt, de hoc capite non magnoperè contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo perſuadere unquam poterat, ut obſervare deſineret; quippe qui cum Joanne Domini noſtri diſcipulo & cum reliquis Apoſtolis, quibuſcum familiariter vixerat, eum morem perpetuò obſervaſſet. Neque item Polycarpus Aniceto perſuadere conatus eſt ut obſervaret, cùm Anicetus eorum qui ante ſe fuerant Presbyterorum morem ſibi retinendum eſſe diceret.* En ex dictis, quomodo ex utraque parte ſolùm majorum conſuetudo & obſervantia opponebatur, nihil de Divina Lege tangendo. Quare tunc cenſebatur cauſa meram diſciplinam & ritum concernens, non fidem, ideoque hoc non obſtante ex utraque parte pax ſervabatur.

V. Verùm cùm procedente tempore quidam evulgare cœpiſſent, Paſcha Lunâ quartadecimâ celebrandum eſſe etiam ex præcepto Divino, & in hoc obſervandam eſſe Legem Moſaicam etiam à Chriſtianis, controverſia hæc meræ diſciplinæ & ritus eſſe deſiit, & ad fidei dogma cœpit pertinere. Et hoc puto moviſſe Victorem Papam, ut à tolerantia ſuorum Prædeceſſorum recedens, adversùs oppoſitam ſententiam propugnantes, excommunicationem, vel comminatione, vel facto (de quo hìc agere non eſt) intentarit. Moveor ex eo, quòd Polycrates Epheſiorum Epiſcopus in litteris quas ſuo & totius Aſiæ nomine ad Victorem & Romæ Eccleſiam dedit (apud Euſeb. L. 5. cap. 24.) poſtquam ſuam in celebrando Paſchate decimaquartâ Lunâ praxim auctoritate & obſervantiâ majorum fusè munivit dicens: *Hi omnes diem Paſchæ quartadecimâ Lunâ juxta Evangelium obſervarunt: nihil omninò variantes, ſed regulam fidei conſtanter ſequentes*, addit hoc ſe facere quia Deus ita faciendum præcepit his verbis: *Ego, inquam, fratres, quinque & ſexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto Orbe diſperſis, ſermones ſæpè contuli, qui Scripturam Sacram omnem perlegi, nihil moveor illis quæ nobis ad formidinem intentantur: etenim ab illis qui me longè majores erant dictum ſcio* „ Obedire oportet Deo magis quàm hominibus „. Poſt hæc alia ſubjungit,

git ; quibus aſſerit, hanc eſſe ſententiam omnium quos convocaverat Epiſcoporum.

VI. Ex his apparet, tempore Victoris Papæ ſententiam de Paſchate Lunâ quartadecimâ celebrando habitam fuiſſe ab ejus propugnatoribus non jam ad merum Ritum, & Diſciplinam ſpectantem, ſed ut Dogma Evangelicum à Deo Chriſtianis etiam præceptum, ita ut in hoc Lex Moſaica ab eis eſſet omninò æquè ac à Judæis ſervanda. Hoc permotus Victor talem obſervantiam ampliùs non eſſe tolerandam velut veritati fidei contrariam exiſtimans, toto conatu eam proſcribere tanquam hæreſim aggreſſus fuit. Neque enim ſola ea hæreſis eſt, quæ Deo loquenti non credit, ſed ea etiam quæ pertinaciter credit Deum eſſe locutum, quando re verâ non eſt locutus. Sic Apoſtoli Circumciſionem & alias obſervantias Legis aliquandiu tolerarunt quidem ; ſed cùm viderent aliquos eas ut adhuc ad ſalutem neceſſarias obſervandas velle, ac dicere Act. 15. v. 1. *Niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari* ; coacto Jeroſolymis Concilio earum obſervantiam decreto facto interdixerunt. Quod exemplum imitata Eccleſia Communionem ſub utraque ſpecie per multa ſecula etiam laicis permiſit ; ſed cùm Bohemi duce Joanne Huſs pertinaciter aſſerere cœpiſſent, eam eſſe omnibus de Chriſti mandato ad Sacramenti veritatem neceſſariam, laicis illam prohibuit ac ſolis Sacerdotibus actu ſacrificantibus reliquit.

VII. Porrò quis primus hunc errorem induxerit, Paſcha nimirùm Lunâ quartadecimâ more Judaico de præcepto Domini à Chriſtianis celebrandum eſſe, certò ſtatuere non auſim. Auctor Appendicis ad L. de Præſcript. cap. 53. hoc tribuit Blaſto, qui ut ſcribit Euſebius L. 5. Hiſt. c. 15. unà cum Florino ſchiſma in Eccleſiam fecit. Hi enim, ait Nicephorus L. 4. Hiſt. c. 3., Romæ à petitione presbyterii excedentes, Marcionis hæreſi involuti, Eccleſiaſticas ſanctiones depravare conati ſunt. De hoc Blaſto Auctor præcitatus ſcribit : *Eſt præterea his omnibus etiam Blaſtus accedens, qui latenter Judaiſmum vult introducere. Paſcha enim dicit non aliter cuſtodiendum eſſe, niſi ſecundùm Legem Moyſi quartadecimâ Menſis. Quis autem neſciat, quomodo Evangelica gratia evacuatur, ſi ad Legem Chriſtum redigit?* Quibus videtur Blaſtus obſervantiam Paſchalem juxta ritum Judaicum, non aliter, cuſtodiendam eſſe: ideoque errorem etiam in fide apud aliquos ſaltem inſinuaſſe.

Illum tamen apertè poſt Blaſtum propalarunt illi, quos ex Montaniſtis, Quintillianis, aut Artotyritis hunc errorem amplexos fuiſſe ſupra ex Epiphanio & Philaſtrio obſervavi : hi enim hoc

velut juris Divini dogma (& non tantùm ex Majorum exemplo) evulgare cœperunt (fortè ex nova prophetia aut revelatione; quod ipſis familiare erat) &, ut ex Epiphanio dixi, maledictum à Deo pronuntiantes in eos, qui Paſcha non ſecundùm Legem Moyſi Lunâ decimâquartâ celebrarent, turbas excitarunt, quæ Victoris Papæ zelum moverunt. Colligitur hoc ex Paciano Epiſt. 1. ad Simpronianum de Catholico nomine poſt initium dicente: *Nam puto, & Græcus Blaſtus ipſorum eſt: Theodotus quoque & Praxeas veſtros aliquando docuere: ipſi illi Phryges nobiliores, qui ſe animatos mentiuntur à Leucio, ſe inſtitutos à Proculo gloriantur: Montanum & Maximillam & Priſcillam ſecuti, quàm multiplices controverſias excitarunt, de Paſchali die, de Paracleto, de Apoſtolis & Prophetis.* Quamvis autem quidam ex Montani ſobole in errorem de Paſchate inciderint, Montanum tamen ipſum & puriores ejus diſcipulos eo non laboraſſe crederem: tum quia inter Montani errores hic non recenſetur: tum quia Tertullianus jam Montani aſſecla factus L. de Jejunio c.14. Paſcha ſe cum Catholicis, quos Pſychicos appellat, celebrare teſtatur: *Cur Paſcha celebramus annuo circulo menſe primo?*

VIII. Hæc ſunt quæ Victoris zelum excitarunt, ut pacem cum Aſianis ampliùs habere nollet. Quod licèt Irenæo diſplicuerit, hoc fuit quia ipſe & cæteri Epiſcopi neſciebant, cauſam non eſſe ampliùs in eo ſtatu, in quo erat tempore Polycarpi & Aniceti, ſed fuiſſe in dogma verſam, ut ex litteris Polycarpi ad Victorem ſupra oſtendi. Cæterum cùm Epiſcopi qui erant in Palæſtina, utpotè proximiores, ſtatum præſentem cauſæ apertiùs noſſent, conſcii eorum quæ per Aſiæ Eccleſias in hac cauſa evulgabantur, coactâ Synodo Victoris ſententiam omnibus Eccleſiis promulgarunt. Ita Euſebius L. 5. Hiſt. c. 25. *Epiſcopi verò Palæſtinæ, quos paulò ſupra memoravimus, Narciſus ſcilicet* (Jeroſolymorum) *& Theophilus* (Cæſareæ) *& cum illis Caſſius Tyri & Clarus Ptolemaidis Epiſcopi, & qui ſimul cum ipſis convenerant, poſtquam de traditione diei Paſchatis, quæ jam indè ab Apoſtolis ad ipſos continuâ ſucceſſione manaverat, multa in ſuis litteris diſſeruerunt, tandem ad finem epiſtolæ his utuntur verbis. Date operam, ut epiſtolæ noſtræ exemplaria per omnes Eccleſias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas ſuas à recto veritatis tramite facilè abducunt: Illud etiam vobis ſignificamus, eodem quo apud nos die Paſcha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, & viciſſim ab illis ad nos litteræ perferuntur; ita ut uno conſenſu & ſimul ſacroſanctum peragamus diem.* De quo etiam Nicephorus L.4. cap.36.

Aſiani autem in ſua oppoſita ſententia perſiſtebant, eis patro-

cinan-

cinante Epheſiorum Epiſcopo Polycrate, de quo ſupra, in eaque perſeverarunt uſque ad tempora Magni Conſtantini, cujus pietate ac zelo promovente, tandem in Concilio Nicæno I. Eccleſiæ omnes in celebrando Paſchatis die ad unitatem redactæ ſunt. De quo in ſequentibus.

§. II.

Catholica de die Paſchatis deciſio.

I. Quantum Eccleſia in hujuſmodi diſſidio laborarit, exponit Euſebius Lib.3.de Vita Conſtantini cap.5., ubi hanc unam fuiſſe ex cauſis, quæ ad Concilium Nicænum convocandum moverunt, dicit his verbis: *Alius quoque bis antiquior ſuberat morbus longè graviſſimus, qui Eccleſias jampridem infeſtabat, diſſenſio ſcilicet de ſalutari Feſto. Quippe alii conſuetudinem Judæorum ſequi oportere aſſerebant: alii tempus ipſum accuratè obſervandum eſſe ajebant, nec errantibus aſſentiendum, qui ab Evangelica gratia hac etiam in parte alieni eſſent. Itaque cùm omnes ubique Populi jamdudum inter ſe diſſiderent, & ſacri Religionis noſtræ ritus conturbarentur (quippè in uno eodemque Feſto temporis diverſitas maximum diſſidium inter feriantes excitabat, cùm hi jejuniis & ærumnis ſeipſos attererent, illi otio ac lætitiæ indulgerent) mortalium quidem nemo erat, qui huic malo remedium poſſet adhibere, cùm utrimque inter diſſentientes velut æquatá lance controverſia penderet. Soli Omnipotenti Deo perfacile erat iſtis malis mederi. Unus porrò in terris exſtabat Conſtantinus, qui ad hæc bona perficienda idoneus Dei miniſter eſſe videretur.*

II. Conſtantinus igitur, aſſumto hoc miniſterio, operam impensè dedit, ut etiam ſuper hac controverſia in Concilio Nicæno I. judicium ferretur, & finale decretum prodiret. Quod factum eſt; in eo enim ſententia Victoris, & aliorum Romanorum Pontificum, ac totius ferè Occidentis approbata fuit, & ſancitum, ut Dominicâ proximè ſequente Lunam decimamquartam poſt æquinoctium vernum illuceſcentem, feſtum Paſchatis ab univerſis Eccleſiis celebretur. Œcumenicum hoc decretum Magnus Conſtantinus Epiſtola ſua Eccleſiis notum fecit his verbis: *Cum de ſanctiſſimo etiam Paſchæ die quæſitum fuiſſet, communi omnium ſententiâ decretum eſt, eam feſtivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere. Quid enim pulchrius, quid honeſtius nobis eſſe poſſit, quàm ut hæc feſtivitas, à qua ſpem immortalitatis accepimus, uno eodemque ordine & certâ ratione ab omnibus inoffensè obſervetur?*

Digitized by Google

vetur? Deinde ſubjicit rationes, quibus moti fuere Patres Concilii ad contrarium Judæorum praxi ſtatuendum.

Harum prima eſt: Quia indignum planè videbatur, ut ſacratiſſimum iſtud Feſtum, Judæorum ritum & conſuetudinem imitati, ageremus: qui quidem quoniam ſuas manus deteſtabili ſcelere polluerunt, cæco animarum errore irretiti meritò tenentur. In noſtra enim ſitum eſt poteſtate, ut illorum more rejecto, veriore ac magis ſincero inſtituto (quod quidem uſque à prima Paſſionis die hactenus recolimus) hujus feſti celebrationem ad poſterorum memoriam propagemus.

Secunda ratio eſt: Quia ſi Paſcha Lunâ decimâquartâ celebretur more Judæorum, periculum eſt, ne uno eodemque anno duplex Paſcha, altero verò nullum celebretur. Nam qui Lunâ decimâquartâ Paſcha celebrabant de æquinoctio nihil curantes, quandoque illud peragebant uno anno poſt æquinoctium, & altero anno ante æquinoctium, quia in illud tempus Luna decimaquarta incurrebat.

Tertia ratio eſt: Quia maximum abſurdum eſt, ut in tanto & tam ſolemni Religionis noſtræ feſto regnet inter ejuſdem profeſſores diſſenſio; maximèque indecorum eſt, ut iiſdem diebus alii jejunent, alii agitent convivia; & poſt dies Paſchatis alii in feſtis & animorum remiſſione gaudeant, alii in macerationibus mœreant. Cùm enim Chriſtus Catholicam Eccleſiam unum corpus eſſe voluerit, voluit ut ejus membra tametſi in multa & diſſita loca diſperſa ſint, uno tamen ſpiritu invicem conveniant.

Quarta Conſtantini ratio eſt omnium Eccleſiarum in hoc decretum conſpirantium ſententia. Sibi enim perſuaſum eſt, ut quod in Urbe Roma, in Italia, in tota Africa, in Ægypto, Hiſpania, Gallia & Britannia, in Lybia & univerſa Græcia, in diœceſi Aſiatica & Pontica, in Cilicia denique unâ & conſentiente ſententiâ conſervatur, omnes lubenti animo acceptent; & quod in locis, ubi major Eccleſiarum numerus eſt, colitur, quodque ſanctiſſimum inſtitutum eſt, conſilio omnes amplectantur, ut, quod recta ratio poſtulare videtur, Eccleſia Chriſti cum Judæorum perjurio nihil habeat commune.

III. Hæc pro ſua pietate & pacis zelo Conſtantinus, concludens: *Quæ cùm ita ſint, Cæleſtem gratiam & planè Divinum mandatum libenter ſuſcipite. Quidquid enim in ſanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, id omne ad Divinam referendum eſt voluntatem. Quamobrem ubi ea quæ geſta ſunt dilectis fratribus noſtris intimaveritis, ſupradictam rationem & ſanctiſſimi diei obſervantiam ſuſcipere & conſtituere debetis, ut cùm in dilectionis veſtræ conſpectum jampridem*

dem à me deſideratum venero, uno eodemque vobiſcum die ſanctam feſtivitatem peragere poſſim, utque de omnibus unà vobiſcum gaudeam, cernens Diaboli crudelitatem Divinâ potentiâ nobis operam navantibus eſſe ſublatam, florente ubique terrarum veſtrâ fide & pace atque concordiâ. Deus vos ſervet, fratres cariſſimi. Hujus Epiſtolæ exemplum legere eſt apud Euſebium L. 3. de Vita Conſtantini à capite 17. uſque ad 20. Et apud Nicephorum Lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 25., & Theodoritum L. 1. Hiſt. c. 10.; apud quem ibidem c. 9. adeſt quoque Nicænorum Patrum Epiſtola Synodica, in qua de die Paſchatis hæc ſcribunt: *Nuntiamus præterea vobis de concordia ſanctiſſimi Paſchæ: hoc etiam negocium precibus veſtris adjuvantibus, feliciter confectum fuiſſe, cunctoſque qui in Oriente ſunt fratres, qui antea cum Romanis & vobiſcum, & cum omnibus jam indè ab ultima antiquitate Paſcha obſervantibus minimè conſentiebant, deinceps vobiſcum eſſe celebraturos.* Hæc Nicæna Synodus Alexandrinæ & cæteris per Ægyptum Lybiam, & Pentapolim Eccleſiis.

IV. Ita Eccleſiæ auctoritate & Imperatoris Conſtantini brachio diſſenſio de die Paſchatis, quæ per aliquot ſecula Eccleſiam ſciderat, penitùs ſublata eſt, & generalis conſonantia introducta. Quod fatentur S. Athanaſius in Epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ, S. Epiphanius Hæreſ. 70. quæ eſt Audianorum: & S. Ambroſius Epiſt. 83. ad Epiſcopos Æmiliæ eos de celebritate Paſchali inſtruens: *Non mediocris*, inquit, *eſſe ſapientiæ, diem celebritatis definire Paſchalis, & Scriptura Divina nos inſtruit & traditio majorum: Qui convenientes ad Synodum Nicænam inter illa fidei ut vera ita & admiranda decreta, etiam ſuper celebritate memoratâ, congregatis peritiſſimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quaſi quemdam conſtituêre circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida* (ideſt decemnovennium ſeu Cyclum decem & novem annorum) *nuncuparunt.*

V. A Nicæni Concilii temporibus ſummam vigilantiam Eccleſia adhibuit, ne in celebrando Paſchate aliquis error obreperet, vel aliqua diſſenſio inter Chriſtianos ſuboriretur. Unde quotieſcumque de Cyclo Paſchali orta fuit dubitatio, exacta illum conficiendi cura Pontifici Romano reſervata eſt, ſicut & quæcumque alia de legitima diei Paſchatis celebratione controverſia. Quem morem etiam ante Concilium Nicænum viguiſſe conſtat ex Concilio Arelatenſi I. anno 314.; ſic enim Canone 1. ad Sanctum Silveſtrum Romanum Pontificem cum cæteris directo habet: *Primo loco de obſervatione Paſchæ Dominici; ut uno die & uno tempore per omnem Orbem à nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem, Literas ad omnes tu dirigas.*

VI. Poſt

VI. Poſt Nicænum autem Concilium idem apparet ex facto S. Leonis I., qui anno Chriſti 444. cùm aliquam de ſolemnitatis Paſchalis legitima die controverſiam exortam videret, in eam dirimendam ſedulò incubuit. Is autem erat difficultatis cardo. Legerat S. Pontifex in Theophili Alexandrini Paſchali Cyclo, anno Chriſti 444. Paſcha rejectum ad diem 23. Aprilis. In Occidente vulgò creditum eſt, vitium eſſe in Cyclo, nec Paſchalem diem eò uſque differendum. Super hoc S. Leo Cyrillum Alexandrinum conſuluit, necnon Paſchaſinum Lilybei Epiſcopum. Uterque Cyclum Theophili confirmavit. Et Paſchaſinus in Epiſtola (quæ eſt inter Opera S. Leonis pag. 239. novæ edit.) id approbat, tum ex computo Hebræorum, tum ex miraculo, quod ſub Zozimi Pontificatu accidit, quod in præfata Epiſtola narrat.

Simile dubium eidem S. Leoni occurrit anno 455., quo anno cùm in Cyclo Paſchali Theophili dies Paſchatis notaretur 8. Kalendas Maji, dubitarunt S. Leo aliique Occidentales, an errarit Theophilus. Qua de re conſulere peritos voluit S. Leo, & ad Marcianum Imperatorem Epiſtolam ſcripſit, quæ eſt 64. vel 94. in nova editione. Cùmque non multò poſt à Marciano reſponſum accepiſſet, rectè aſſignatum eſſe Paſchalem diem ad 8. Kal. Maji, acquievit S. Pontifex, & contra ſuam priorem ſententiam dictâ die Paſcha eo anno celebrandum indixit Epiſt. 108. ad eundem Marcianum: *Non quia hoc ratio manifeſta docuerit, ſed quia unitatis, quam maximè cuſtodimus, cura perſuaſerit*; de hoc enim à Proterio Epiſcopo Alexandrino literas quoque acceperat.

VII. Hujus ſollicitudinis de feſto Paſchali legitimâ die celebrando, quæ in Romanis Pontificibus ſemper viguit, recens exemplum præbuit Gregorius XIII. anno 1582. Is intelligens, ad rectam Paſchalis feſti celebrationem juxta Sanctorum Patrum ac veterum Romanorum Pontificum præſertim Pii & Victoris, necnon magni Concilii Nicæni, & aliorum ſanctiones, tria neceſſaria conjungenda eſſe & ſtatuenda: primùm certam verni æquinoctii ſedem: deinde rectam poſitionem Lunæ decimæ quartæ primi menſis, quæ vel in ipſum æquinoctii diem incidit, vel ei proximè ſuccedit: tertiò primum diem Dominicum, qui Lunam quartamdecimam ſequitur; adhibitis viris ex omnibus Chriſtiani Orbis regionibus ſideralis ſcientiæ peritiſſimis, curavit, non ſolùm æquinoctium vernum in priſtinam ſedem, à qua jam à Concilio Nicæno decem circiter diebus receſſerat, reſtituendum, & decimam quartam Paſchalem ſuo loco, à quo quatuor & ampliùs dies diſtabat reponendam; ſed eam quoque tradendam rationem quâ caveretur, ut impoſterum æquinoctium, & quartadecima Luna propriis ſedibus nunquam dimoverentur. Quare

Quare ut vernum æquinoctium, quod à Patribus Nicænis ad 12. Kal. Aprilis fuerat conſtitutum, priſtinam in ſedem reſtitueretur, præcepit, ut de menſe Octobris ſubſequenti anni 1582. decem dies eximerentur incluſivè à tertio Nonas uſque ad pridie Idus. Deinde ne deinceps à 12. Kalendas Aprilis æquinoctium recedat, ſtatuit biſſextum quolibet quarto anno, ut moris erat, continuari debere, præterquam in centeſimis annis, qui quamvis Biſſextiles antea fuiſſent, qualem etiam voluit eſſe annum milleſimum ſexcenteſimum, qui tamen deinceps conſequerentur centeſimi, Biſſextiles non eſſent omnes, ſed ſolùm quartus: itaut in quatuor centeſimis Biſſextilis eſſet ſolus quartus. Tertiò, ut Luna decimaquarta Paſchalis rectè inveniretur, loco Aurei Numeri Cyclum Epactarum ſubſtituit. Tandem loco Cycli 28. annorum ſubrogavit Cyclum 26. annorum. Hæc omnia, aliaque conſtant ex ejuſdem Gregorii XIII. Diplomate, quod incipit *Inter graviſſimas* dato Tuſculi ſexto Kal. Maji anno 1582., quod inter ipſius Conſtitutiones extat ordine 74. Sed hæc ad abundantiam dicta ſint, ut appareat magis Romanorum Pontificum vigilantia, ne in tempore Paſchatis aliquis error obrepat.

§. III.

Pro Quartodecimanis aliqua.

I. Dicere poterant Quartodecimani primò, ſe celebrando Paſcha Lunâ quartadecimâ primi Menſis ſequi exemplum Chriſti, qui eâdem die, quâ Judæi ultimum Paſcha & conſequenter Lunâ decimaquartâ cum Apoſtolis celebravit, ac proinde ſe reprehendendos non eſſe.

Reſpondeo, quòd ſi exemplum Chriſti ad hoc trahendum eſt, fiet, ut ſicut Chriſtus ſecundùm Legem circumcidi voluit, & Paſcha celebravit agnum comedendo, ac cætera quæ Lex præcipiebat, obſervavit, hæc eadem Chriſtiani facere poſſent. Chriſtus ergo hæc omnia fecit, quia, ut ipſe proteſtatus fuit, venerat, non Legem ſolvere, ſed adimplere; quia ea quæ in Lege figuratè fiebant, in ipſo erant conſummanda. At modò Lege jam conſummatâ, & abrogatâ, ſicut non in cæteris ita nec in Paſchate celebrando Judaicos ritus ſequi debemus. Sed ſicut Judæi Lunâ quartadecimâ Paſcha ſuum celebrabant, quia eâ die à ſervitute Ægyptiaca liberati fuerunt: ita Chriſtiani ſuum Paſcha celebrare debeat Dominicâ die Lunam quartam decimam ſequente, quia eâ die reſurgente Chriſto genus humanum à ſervitute Dæmonis ereptus

ptus fuit. Unde Paulus 1. Cor. 5. v. 7. *Paſcha noſtrum*, inquit, *immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*.

II. Hinc Quartodecimani tueri ſe non poterant imprecationibus à Moyſe factis Deuteron. 27. iis, qui in hoc verba Legis non cuſtodirent. Nam, ut ſuperiùs dicebam, & confirmat Epiphanius Hæreſ. 50. num. 2. *Moyſes quidem Legislator, cùm univerſam Legem edixiſſet, mandato divinitùs recepto, ut in poſtremo Deuteronomii Libro ſcriptum eſt, imprecationes omnes propoſuit, non modò quæ ad Paſchatis celebrationem, ſed etiam quæ ad Circumciſionem, ac Decimas & Oblationes ſpectabant. Quare dum unum imprecationis genus devitant, in alias complures ſemetipſos inducunt. Execrabiles quippe eos oportet eſſe, qui neque circumcidantur ampliùs, neque decimas penſitent, neque Jeroſolyma quicquam offerendi gratiâ ſubmittant.* Si ergo ſe non execrabiles reputant, quòd iſta amplius non ſervent, cur execrabiles ſe judicabunt ſi Paſcha ſecundum diem à Lege præſcriptum non obſervent?

III. Dicere tamen poterunt ſecundò, ſe Circumciſionem & alia omittere, quia ea legunt in Scriptura Novi Teſtamenti præſertim in Pauli Epiſtolis expreſsè abolita. At quod Paſcha celebrandum non ſit, ut olim, Lunâ quartadecimâ quâcumque die evenerit, nemo Sacer Scriptor dixit, nec ex Scriptura colligi poteſt. Imò nec ex Traditione Apoſtolica. Primò, quia id quod ex Traditione Apoſtolicâ manavit, idem fuit in omnibus Eccleſiis: Tempus autem celebrandi Paſchatis non fuit idem obſervatum in omnibus Eccleſiis, ut patet.

Secundò. Aſiatici morem ſuum ex Traditione à S. Joanne Apoſtolo acceptâ derivabant, & hanc Polycrates Epheſiorum Epiſcopus Victori Papæ opponit apud Euſebium Lib. 5. Hiſt. c. 24. Ergo vel Apoſtolorum Traditiones ſecum ipſæ pugnabant: vel Romanæ Eccleſiæ conſuetudo oppoſita ex Traditione Apoſtolica non manavit.

IV. Reſpondeo, nullam quidem ab Apoſtolis Legem fuiſſe ſcriptam de Paſchatis celebrandi tempore: ex iis tamen, quæ de aliis Judaicis ritibus ſcriptum reliquerunt, colligitur, nec eſſe in Paſchate celebrando Judaicum morem retinendum, cùm ob aliam ſignificationem Paſcha ſuum celebrarent Judæi, ob aliam celebrent Chriſtiani.

V. Ad primùm ergo dico, ritum celebrandi Paſchatis ex Traditione apud aliquas Eccleſias manaſſe; nec propterea ſequi quòd eam in omnibus Eccleſiis ſervata ſemper fuerit. Nam eſtò Traditio

tio Apoſtolica, ſi ad Fidem ſpectet, ab omnibus Eccleſiis ſervari debeat, ſecùs tamen ſi meram Diſciplinam concernat. Sic trina immerſio in Baptiſmate ex Traditione Apoſtolica derivaſſe credita fuit; non tamen ab omnibus Eccleſiis nec ſemper obſervata fuit: imò in quibuſdam Eccleſiis unica tantùm immerſio fuit præcepta, ut de Hiſpanienſi conſtat ex Concilio Toletano IV. Can. 5., quia trinâ immerſione ad ſuum confirmandum errorem Ariani abutebantur. Quâ ratione, ut dixi, Eccleſia Communionem ſub utraque ſpecie laicis vetuit. Sic Paſchatis certâ die obſervandi aſſertam Traditionem ut ad meram diſciplinam ſpectantem, cauſis ſupra allatis, abolere potuit.

VI. Ad ſecundum dico, Traditionem quam ex S. Joanne Aſiatici jactabant, non fuiſſe propriè dictam & quaſi lege latam ab ipſo, ſed meram conſuetudinem in exemplo ipſius fundatam. Non enim diffiteor, S. Joannem celebraſſe Lunâ quartadecimâ, quâ Judæi celebrabant. Cùm enim Apoſtolis curæ eſſet Evangelium propagare, ea quæ non erant contra fidem & religionis ſanctitatem, nedum in aliis tolerabant, ſed interdum obſervabant ipſi, quatenus ad Evangelii promulgationem & concordiam conciliandam proficere videbatur; hâc ratione S. Paulus votum Nazareatus profeſſus fuit. Ideoque S. Polycarpus, Polycrates, & Aſiatici eam conſuetudinem S. Joannis & ſui temporis virorum Apoſtolicorum exemplo munire poterant. At Romanæ & aliarum Eccleſiarum diſciplina obſervandi Paſchatis Dominicâ Lunam quartam decimam proximè ſequente ex Traditione Apoſtolica propriè dictâ, nempè ex inſtitutione & mandato Apoſtolorum Petri & Pauli, derivatam habebat. Hinc Polycrates in Epiſtola ad Victorem apud Euſebium L. 5. Hiſt. c. 23. conſuetudinem quidem urget, ſed nullius legis ac mandati meminit, licèt eam Evangelio, & regulis fidei conſonam prædicet. Ideoque Euſebius ipſe 5. Lib. Hiſt. c. 23. eam vocat *Antiquam quamdam Traditionem*; Traditionem autem quam Romana & aliæ Eccleſiæ ſervabant appellat *Traditionem Apoſtolicam*. Ex quibus ſequitur, Apoſtolorum Traditiones contrarias non fuiſſe; quia una in ſolo Joannis facto fundata Traditio Apoſtolica dici non poterat, benè tamen altera, quæ factum & legem Apoſtolicam ſupponebat.

Hanc veritatem quamplures Eccleſiæ etiam Aſiaticæ ante Nicæni celebrationem Concilii agnovere, quæ proinde ab ea conſuetudine celebrandi Paſcha Lunâ quartadecimâ jam receſſerant, & cum Eccleſia Romana & aliis conveniebant: quod Euſebius L. 3. de Vita Conſtantini c. 19. fatetur, ubi Epiſtolam Conſtantini ad Synodum recitans, inter Eccleſias, quæ celebrationem Paſchatis

ut in Urbe Roma obſervabant, recenſet Aſianas. His tamen non obſtantibus Aſianorum conſuetudo contraria aliquo tempore tolerata fuit. Sed cùm ejus propugnatores ut ſupra dixi eò deveniſſent, ut eam tueri vellent tanquam Divino præcepto injunctam, & in hoc Legem Moſaicam eſſe retinendam: propterea in Concilio Nicæno tandem proſcripta fuit.

VII. Pro Aſianis afferri tertiò poterant Conſtitutiones Apoſtolorum ſic decernentes: *Vos temporum rationes ne ſubducite, ſed eo tempore celebrate, quo fratres veſtri, qui ex circumciſione prodierunt. Cum iis itaque Paſcha peragite*: ergo Aſiaticarum Eccleſiarum diſciplina celebrantium cum Judæis Paſcha Lunâ quartadecimâ potiùs ex Apoſtolica Traditione ſtrictè tali prodivit.

Certè ſi Conſtitutiones illæ verè eſſent Apoſtolorum, & non potiùs illis falsò ſuppoſitæ, validum pro Aſiaticis præberent argumentum. Sed cùm à viris doctis velut ſpuriæ & apocryphæ rejiciantur, nihil præſidii Aſianorum opinioni præbere poſſunt: eo vel maximè, quod ſi genuinæ eſſent, fuiſſent in publica hominum luce tempore Victoris Papæ; ac illas procul dubio in ſui tutelam Victori Romano Pontifici objeciſſent, ut ab avertendo anathema quod intentabat eum deterrerent; & ſuarum Eccleſiarum conſuetudinem nedum exemplo S. Joannis, Polycarpi, & aliorum ſanctorum virorum, ſed hujus etiam legis auctoritate vindicaſſent.

VIII. Quia dixi, conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, & aliarum quæ cum ea Paſcha celebrabant, ex Apoſtolica Traditione manaſſe, contrarium videtur aſſerere Socrates Lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 22., ubi rem hanc fusè tractans, inter plura ait: *Propoſitum id fuit Apoſtolis, non ut de diebus feſtis Leges ſervarent, ſed ut rationem rectè vivendi veramque pietatem oſtenderent. Ac mihi quidem videtur, ut alia multa variis in locis uſu quodam invaluerunt, ſic etiam Paſchale feſtum apud ſingulos ex inolita quadam conſuetudine peculiarem obſervantiam habuiſſe, propterea quòd nullus ex Apoſtolis, uti dixi, de illo feſto quidquam lege ſancivit. Quòd verò jam indè à priſcis temporibus ex uſu potiùs, quàm ex lege obſervatio iſta profluxerit, res ipſæ declarant*. Inde procedit ad diverſitatem oſtendendam, tum in hoc tum in jejuniis & aliis Ritibus.

IX. Reſpondeo primò, ex iis quæ dicit Socrates ſolùm inferri, quòd nulla extet ſcripta lex de die celebrandi Paſchatis, quod ſupra dixi: nego tamen Apoſtolos de hoc nec voce tenus, nec doctrinâ non ſcriptâ quidquam præcepiſſe. Aſſentior itaque Socrati dum dicto capite ait: *Quartodecimani obſervantiam quartidecimi diei à Joanne Apoſtolo ſibi traditam eſſe affirmant. Romani verò, & qui* *Occi-*

Occidentis partes incolunt, conſuetudinem quæ apud ipſos viget, à Paulo Petroque Apoſtolis recepiſſe ſe dicunt. Neutri tamen ad hujus rei confirmationem ſcriptum aliquod teſtimonium proferre poſſunt. Non aſſentior tamen, conſuetudinem unâ vel alterâ die Paſcha celebrandi, ut Socrates putat, æquè legitimam eſſe; cùm conſuetudo Romanæ & aliarum Occidentis Eccleſiarum in Nicæno Concilio tanquam ex Traditione verè Apoſtolica procedens approbata ſit, & omnibus Eccleſiis ſervanda propoſita, Aſianorum autem diſciplina rejecta.

X. Reſpondeo igitur ſecundò, in hoc Socrati fidem non eſſe adhibendam. Cùm enim eſſet Sectâ Novatianus, & Novatiani ut ipſe teſtatur cap.21. in hoc errarent, aliis uno tempore, aliis diverſo, & ritu qui ſibi placebat, celebrantibus, ideo Symmiſtas ſuos damnare nolens, imò ipſis patrocinari, ſtatuit, rem eſſe indifferentem de tempore, quo Paſcha celebretur. Imò ibidem cap. 22. audacter dicit: *Nugantur itaque, qui Nicænam Synodum Paſchalem feſtum immutaſſe calumniati ſunt. Nam qui in ea Synodo convenerunt, in eo præcipuè elaborarunt, ut Populos, qui à majore numero Eccleſiarum diſſidebant, ad unitatem concordiamque revocarent.* Attamen Concilium Nicænum rem non reliquiſſe ut indifferentem, ſed Paſcha die Dominico poſt æquinoctium vernum ab omnibus celebrandum tanquam Traditionem Apoſtolicam ſtatuiſſe, apparet ex Epiſtola Epiſcoporum Palæſtinæ in Concilio data, qui *poſtquam de Traditione diei Paſchatis, quæ jam indè ab Apoſtolis ad ipſos continuâ ſucceſſione manaverat, multa in ſuis literis diſſeruerunt, tandem in fine Epiſtolæ, his utuntur verbis: Date operam, ut Epiſtolæ noſtræ exemplaria per omnes Eccleſias mittantur, nec nobis crimen imputent, qui animas ſuas à recto veritatis tramite abducunt.* Sic apud Euſebium Lib. 5. Hiſt. cap.25. Quibus apparet, Nicænos Patres diem celebrationis Paſchatis, ut rem ab Apoſtolis ſtatutam, & veritatis regulam, toti Eccleſiæ propoſuiſſe. Sed de hoc ſatis locuti ſumus.

CAPUT XXVI.

De Alogis, ſeu Alogianis.

§. I.

Quis fuerint, & cur ſic dicti.

I. ALOGI ſeu Alogiani dicti ſunt, ideſt ſinè Verbo, quia Verbum à S. Joanne initio ſui Evangelii celebratum reſpuebant: & hoc nomine etiam Evangelium Joannis unà cum Apocalypſi repudiabant. Ita S. Auguſtinus L. de Hæreſibus c. 30. *Alogiani*, inquit, *propterea ſic vocantur, tanquam ſinè Verbo* (*Logos enim græcè Verbum dicitur*) *quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium reſpuentes, cujus nec Apocalypſim accipiunt, has videlicet Scripturas negantes eſſe ipſius*.

II. De his fuſè agit Epiphanius Hæreſ. 51. qui num. 1. eos ponit poſt Cataphryges & Quartodecimanos fuiſſe exortos, his verbis: *Poſt Cataphrygum, Quintilianorum, & Quartodecimanorum Sectas nova quædam in Orbe terrarum erupit hæreſis*. Contra quam poſtquam varia dixit, & præcipuè quòd à S. Joanne in Ebione & Cerintho fuerat jam præfocata, eam num. 3. deſcribens: *Hæc igitur*, inquit, *Alogorum eſt opinio. Nam ejuſmodi eis nomen imponimus, nec à nobis deinceps aliter vocandi ſunt. Et vos mecum, ò cariſſimi, Alogos illos nominate. Quorum hæreſis Joannis Libros repudiat. Quamobrem cùm Verbum à Joanne prædicatum reſpuant, Alogi, hoc eſt, à Verbo alieni nuncupandi ſunt. Ergo illi à vera doctrina funditus abhorrentes ſinceram fidem abnegant, nec Joannis Evangelium aut Apocalypſim approbant*.

Deinde ſubdit: *Atqui, ſi Apocalypſi dumtaxat rejectâ Evangelium admitterent, dici id poſſent ſubtili quodam & accurato judicio feciſſe, ut apocrypha reſpuerent; quòd pleraque in Apocalypſi altiſſimos & obſcuros ſenſus habeant: ſed cùm univerſos Joannis Libros propriè rejiciant, dubitare nemo poteſt, quin ii, eorumque ſimiles, illi ipſi ſint, quorum in Catholicis Epiſtolis Joannes meminit* „ Noviſſima hora eſt, *inquit*, & audiſtis, quoniam Antichriſtus venit: „ & nunc, ecce Antichriſti multi &c. „. Hæc Epiphanius.

III. Nolim tamen, ut ex his Epiphanii verbis quiſquam exiſtimet, eum in opinione fuiſſe, quòd Liber Apocalypſis non eſſet verè Canonicus & Divinus, ſed apocryphus. Nam talem ſuſpicionem à ſe depellit infra num. 32. & ſequentibus, ubi cùm Alogi ali-

aliqua ex Apocalypſi impudenter reprehenderent, aliqua irriderent velut fabuloſa, eorum audaciam validè redarguit, & concludit num. 33. *Ex quo omnis illa ad oppugnandam veritatem comparata ratio corruit: cùm Apocalypſis ille Liber Prophetici eſſe generis, & à Spiritu Sancto veriſſimè profectus oſtenditur*. Solùm ergo minùs culpabiles Alogos fore pronuntiat, ſi Apocalypſim rejeciſſent, tanquam aliqua apocrypha continentem, obſcuros qui in ea latent ſenſus non percipientes, quàm dum etiam Joannis Evangelium reſpuerent. Et jure quidem. Nam Joannis Evangelium tanquam genuinum ejus fœtum Eccleſia Catholica ab initio ſuſcepit ac venerata eſt, ideoque inter Libros Proto-canonicos ſemper habuit. At Apocalypſis Librum non ſtatim Eccleſia ut legitimum Joannis fœtum & verè propheticum agnovit, ſed de eo aliquandiu dubitavit, ut oſtendi Tom.1. hujus Operis c.3. de Libris Deutero-Canonicis §.7. Cùmque eo tempore, quo hæc Alogorum hæreſis ſurrexit, Eccleſia de hoc nihil adhuc ſtatuiſſet, licèt major & melior pars antiquitatis Apocalypſim ut veram revelationem S. Joanni factam agnoſceret, idcircò Epiphanius Alogos illam reſpuentes minùs culpabiles pronuntiat.

IV. Quia verò norant Alogi, ſemel admiſſo, quòd Evangelium præferens Joannis nomen verè eſſet Apoſtoli Joannis, ſe ſe abſque blaſphemiæ nota illud non poſſe rejicere, delirando dixerunt, Evangelium nomen Joannis gerens hunc non habere auctorem, ſed hæreſiarcham Cerinthum: cùm niſi cæci fuiſſent, advertere debuiſſent, illud à Joanne contra hæreſim Cerinthi fuiſſe exaratum. Ita refert Epiphanius num. 3. dicens: *Quamquam illi nonnihil ad excuſandam ſuam audaciam conantur afferre. Pudet enim palam B. Joanni contradicere; quòd & ipſum inter Apoſtolos fuiſſe numeratum, & à Domino præcipuè dilectum non dubitent: qui & ſacra myſteria pro rei dignitate patefecit, & ſupra Domini pectus incubuit. Quare aliam damnandorum Apoſtoli ſcriptorum cauſam commenti ſunt. Negant hæc Joannis eſſe, & Cerintho tribuunt; nec eſſe digna putant, quæ ab Eccleſia probentur*.

Hoc delirium corrigere volens Epiphanius num. 4. *Qui enim*, inquit, *fieri poteſt, ut hæc à Cerintho ſcripta ſint, quæ Cerintho potiſſimùm repugnent? Hic enim recentem ac nudum hominem eſſe Chriſtum aſſerit. Contrà Joannes perpetuò fuiſſe Verbum, atque è Cælo delapſum, & carnem eſſe factum pronuntiat. Quocirca ſtatim aditu ipſo deprehenditur, vanam iſtorum calumniandi licentiam meram eſſe ſtultitiam, nec unde redargui poſſit ſatis animadvertere*. Imò contra Cerinthum S. Joannem ſuum ſcripſiſſe Evangelium, teſtis eſt inter alios S. Hieronymus, qui in L. de Script. Eccleſ. in Joan-

Joanne: *Noviſſimus*, inquit, *omnium ſcripſit Evangelium rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, adversùs Cerinthum, alioſque Hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe*.

V. De hujus Sectæ Auctore diſceptatur. Ittigius Sect.2. c.15. & alii Recentiores Alogorum parentem faciunt Theodotum, non illum Montani diſcipulum, de quo ſupra cap.23. §.1. & 2. aliqua dixi, ſed Theodotum patriâ Byzantinum, arte coriarium, de quo Euſebius Lib.5. Hiſt. c. 28. ex antiquo Scriptore dicit, defectionis illius Deum abnegantis parentem & auctorem fuiſſe, & Chriſtum nudum eſſe hominem primum aſſeruiſſe, ac proinde per Victorem Papam à communione Eccleſiæ ejectum fuiſſe. Sed ne iſtis aſſentiar facit primò, quia S. Auguſtinus Theodotum Coriarium non hujus hæreſis Alogorum (de cujus auctore ſilet) ſed alterius, quam Theodotianorum appellat, interiùs facit Auctorem. Quòd ſi Theodotus hujus Sectæ auctor fuiſſet, non in duas hæreſes Alogos, & Theodotianos diſtinxiſſet. Secundò, quia S. Epiphanius, qui pariter Alogos à Theodotianis ſecernit Hæreſ.54.num.1., dum ait, hæreſim Theodotianam hæreſim Alogorum appendicem fuiſſe: *Theodotus*, inquit, *neſcio quis emerſit, velut appendix quædam illius hæreſis, quam Alogorum nomine comprehendimus*. Si ergo Secta, quæ Auctorem habet Theodotum, fuit appendix Sectæ Alogorum; ergo iſta ante Theodotum erat, & ſic Theodotus poterit quidem dici Sectæ Alogorum propagator, ſed non auctor & fundator.

VI. Addo, quòd Alogi dicebantur, quia Verbum Dei negabant, & Joannem, qui in ſuo Evangelio Verbum Dei celebrat, ejuſque Apocalypſim rejiciebant: ex quo infertur, Chriſtum eſſe Dei Verbum ac Deum, ipſos negaſſe; & in aliis cum Catholicis ſentiebant, teſte Epiphanio num. 4., qui Alogorum præfato de Verbo errore relato, ſubdit: *Nam & illi alioqui nobiſcum eadem ac paria ſentire videntur*. At Theodotus Chriſtum quidem nudum hominem eſſe fatebatur; ſed Dei Verbum & Joannis Evangelium & Apocalypſim rejeciſſe non legitur. Inſuper Ittigio ipſo referente, Theodoti Coriarii alii errores Catholicæ veritati contrarii apud Clementem Alexandrinum ſub Eclogarum nomine narrantur: nempè quòd docuit, Filium Dei & Angelos materiales eſſe: ſexus differentiam in ſingulis dari: Animas etiam, Dæmones corporales eſſe: ipſi Jeſu redemtione opus fuiſſe, quam columbæ poſt Baptiſmum immiſſæ beneficio obtinuerit: Deum Patrem in Chriſto patiente paſſum eſſe: à Chriſto ante paſſionem Animam Divinam & ſpiritualem, quam à materiale diſtinxit, receſſiſſe: aſtra

aſtra fatum rebus inducere : & alia verè blaſphema, quorum nihil ab Alogis prolatum audivimus. Quomodo ergo cenſet Ittigius, hunc Theodotum Alogorum ducem & Auctorem extitiſſe?

VII. Minùs aſſentiri poſſum aliis, qui Alogorum Sectæ principatum tribuunt Artemoni cuidam, quem putant Theodoti fuiſſe præceptorem, & Chriſtum purum hominem eſſe aſſeruiſſe. Cui opinioni adhæret Lambertus Danæus in L. de Hæreſ. cap. 30. Minùs, inquam, aſſentiri poſſum. Nam conſtat Theodotum præceptorem Artemonis extitiſſe, non è converſo. Euſebius enim L.5. Hiſt. cap.28., ubi Artemonis mentionem facit, expreſsè dicit, hæreſis ponentis Chriſtum eſſe nudum ac purum hominem primum auctorem fuiſſe Theodotum, & proinde per Victorem fuiſſe ab Eccleſia pulſum. Cùm enim quidam præfatæ hæreſis Sectatores jactarent, priſcos Eccleſiæ Patres ab Apoſtolis uſque ad Zephyrinum eandem de Chriſto recepiſſe doctrinam, eamque à Zephyrino, qui Victori ſucceſſit, fuiſſe poſtea adulteratam, refert Euſebius, Scriptorem quemdam Anonymum inter alia eos ſic confutaſſe. Ubi enim oſtendit, omnia retrò ſecula Patrum qui in eis vixerunt teſtimonio Chriſtum Deum atque hominem ſemper prædicaſſe, Verbum Dei concelebraſſe Divinitatem ei tribuendo, ait : *Quomodo eos non pudet ejuſmodi calumniam adversùs Victorem concinnare, cùm certò ſciant, Theodotum Coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens & auctor fuit, primuſque Chriſtum nudum eſſe hominem aſſeruit, per Victorem à communione Eccleſiæ ejectum fuiſſe? Nam ſi, ut ajunt, Victor eadem ſentiebat quæ illorum docet impietas, cur Theodotum opinionis illius auctorem ab Eccleſia removit?* Si ergo hujus hæreſis Artemonis primus auctor fuit Theodotus, non hic ab illo, ſed ille ab iſto eam didicit. Quòd ſi, ut oſtendi, Alogi anteriores fuerunt Theodoto, à fortiori & Artemoni. Ergo Artemon Alogorum princeps non fuit.

VIII. Quis ergo Alogorum auctor fuit? Ignorare me fateor. Fortè fuit aliquis, vel aliqui ignoti & obſcuri nominis fuere, qui Cerinthi & Ebionis hæreſis ſemina in corde adhuc foventes, Chriſto Divinitatem eripere conabantur. Sed quia Joannis Evangelium ſibi obſtare nimis apertè videbant, in quo Verbum Patris Deus verus in Chriſto inhabitans deſcribitur, contra Verbum & Joannis Evangelium arma movere cœperunt, negando illud eſſe genuinum Apoſtoli fœtum, & cum Apocalypſi hæretico Cerintho inſanâ arte adjudicando. Quos poſtea imitati Theodotus & ſubinde Artemon, erroremque publicè ſpargentes, turbas in Eccleſia excitarunt; quare Victor ab Eccleſia Theodotum ejecit. Quo factum fuit, ut Alogorum hæreſis, non diù proprium nomen retinue-

Digitized by Google

nuerit, ſed in Theodotianam tranſierit. Ita quaſi divinando me loqui compellit ſilentium Veterum, qui hæreſi Alogorum nullum deſignant Auctorem.

§. II.

Alogorum errores confutati.

I. PRimò ergo Alogi negabant Deum Verbum, ſeu Verbum Deum eſſe & æternum, quale illud deſcribit S. Joannes in Evangelio. Hinc Damaſcenus L. de Hæreſ. n. 51. *Alogi*, inquit, *à nobis ita nominati, qui Joannis Evangelium ejuſque Apocalypſim rejiciant, propterea quòd Verbum Deum, qui ex Patre progrediendo ſemper exiſtit* &c. In quo viſi ſunt ſuperaſſe Cerinthum; is enim ſicut & Ebion, Jeſum quidem purum hominem eſſe blaſphemabant, ſed Verbi Dei Divinitatem, atque æternitatem apertè aggredi auſi non ſunt, ut oſtendi cap.6. §.3. & cap. 8. Primi fuerunt Alogi, quos deinde imitati ſunt Paulus Samoſatenus, & Arius, de quibus infra ſuis locis. Interim dicam cum Athanaſio Orat. 1. contra Arianos n.9. *Pater ſemper fuit & eſt, & numquam non fuit: cùm enim Pater æternus ſit, ejus quoque Verbum & Sapientiam æternam eſſe neceſſe eſt*. Quod doctè ut de more probat S. Thomas in 4. contra Gentes cap.11.

At quia Alogi, ut poſtea Ariani, dicebant Verbum Dei non eſſe Deum, ſed factum à Deo, audiat, quiſquis ſit, S. Auguſtinum Tract. 1. in Joann. eum ſic alloquentem: *Quomodo poteſt fieri, ut Verbum Dei factum ſit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipſum factum eſt, per quod aliud Verbum factum eſt? Si hoc dicis, quia eſt Verbum Verbi, per quod factum eſt illud, ipſum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi; concede non factum, per quod facta ſunt omnia. Non enim per ſe ipſum fieri potuit, per quod facta ſunt omnia. Crede ergo Evangeliſtæ. Poterat enim dicere: In principio fecit Deus Verbum: quomodo dixit Moyſes, In principio fecit Deus Cælum & Terram, & omnia ſic enumerat: Dixit Deus, Fiat, & factum eſt. Si dixit, quis dixit? utique Deus. Et quid factum eſt? Creatura aliqua. Inter dicentem Deum & factam creaturam, quid eſt, per quod factum eſt, niſi Verbum? quia dixit Deus: Fiat, & factum eſt. Hoc Verbum incommutabile, quamvis mutabilia per Verbum fiant, ipſum incommutabile eſt*.

Et infra: *Evangeliſta dicit* „ In principio erat Verbum „ *& tu dicis, In principio factum eſt Verbum. Ille* „ omnia per ipſum facta

facta ſunt ,, *dicit : & tu dicis , quia & ipſum Verbum factum eſt . Poterat dicere Evangeliſta, In principio factum eſt Verbum : ſed quid ait ?* ,, In principio erat Verbum ,, . *Si erat , non eſt factum , ut iſta omnia per ipſum fierent , & ſine ipſo nihil .* Ita S. Auguſtinus Alogis & Arianis acutè jugulum petit . Quæ pro præſenti ſufficiant .

II. Videntes ergo Alogi , admiſſo S. Joannis Evangelio , os ſibi in æternum claudi , in alium errorem prolapſi negaverunt , Evangelium illud S. Joannis eſſe , ac proinde ullius eſſe auctoritatis . Sed contra eos omnium ſeculorum Eccleſia clamat , quæ , ut ait Auguſt. Lib.2. de Conſ.Evang. cap.6., Joannem in Evangeliſtis eminentiſſimum ſemper prædicavit ; unde Euſebius L.3.Hiſt.c.24. de Joannis ſcriptis agens , ait : *Et primò quidem Evangelium ipſius univerſis per Orbem terrarum Eccleſiis notiſſimum ſine ulla dubitatione ſuſcipiendum eſt .* Ejus conſcribendi cauſam inter alios notat Cyrillus Alex. in c.1. Joannis fuiſſe erroribus , qui ab eo tempore de Verbi æternitate apud aliquos oriebantur, occurrere . *Cùm autem* (inquit Cyrillus) *non parùm in his fidelium mentes turbarentur, & ſimpliciorum animos inſtar peſtis ſcandali lues depaſceretur (putabant enim nonnulli nugis illorum à vera doctrina abducti , in rerum naturam tum vix prodiiſſe Verbum cùm homo factus eſt) qui inter eos ſapientiâ præſtabant in unum congregati venerunt ad Salvatoris Diſcipulum , ipſum nempè Joannem , & morbum , qui fratres invaſerat, nuntiarunt , atque Hæreticorum nugas detexerunt , & ſibi confeſtim adeſſe ſpiritualibus illuſtrationibus rogarunt , ut jam diabolicis retibus involutis ſalutarem manum porrigeret . Eorum igitur qui perierant & mente corrupti erant dolore tactus diſcipulus , abſurdum item eſſe ratus nullam poſterorum curam habere,ad hujus Libri ſcriptionem ſe contulit : & quæcumque ad generationem carnalem & naturalem pertinent reliquit aliis Evangeliſtis latiùs enarranda ; Ipſe verò ardore quodam animi , in eorum qui talia in medium afferunt petulantiam invehitur dicens* ,, In principio erat Verbum ,, . Hæc Cyrillus . Ex quibus apparet , quòd Alogi ideo Evangelium Joannis repudiabant , quia videbant , ſuam inſaniam ab eo configi .

III. Alogi tamen prætereuntes hanc veram cauſam quâ Joannis Evangelium reſpuebant , alias quaſdam ratiunculas opponebant , quas Epiphanius Hæreſ. 51. refert , & diſſolvit , ut infra videbimus . Prima erat diſcordantia Evangelii Joannis ab aliis Matthæi , Marci , & Lucæ . Nam Joannes prætermittit Joannis Baptiſtæ conceptionem , Beatæ Virginis Annuntiationem , Chriſti Nativitatem in Bethlehem , Circumciſionem , Magorum adventum , Pueri fugam in Ægyptum, reditum ex Ægypto , Pueritiam ſub parentibus exactam , Joannis Baptiſtæ prædicationem, Chriſti Jeju-

Jejunium, Diaboli in Deſerto tentationem, & alia multa, de quibus alii Evangeliſtæ ſcripſerunt.

IV. Sed hæc inſulſa ſunt. Cùm enim nec cæteri Evangeliſtæ omnia narrent quæ ab alio narrata ſunt, ut ſingula Evangelia conferenti conſtabit, ſi hæc ratio valeret, omnia explodi deberent. Reſpondet ergo Epiphanius num. 19., quòd ſummo in errore, ac mentis cæcitate verſantur: *Etenim Sanctiſſimus hic Evangeliſta ordine ac ſucceſſione quartus, ac tametſi primus eſſet omnium, ſcribendi tamen tempore poſtremus, quæ ante ſe præclarè erant aliorum operâ digeſta repetere noluit: ſed ante ea quæ jam dicta fuerant, quæ non erant dicta propoſuit. Matthæus quidem ab Abrahamo ſcribendi initio facto, poſt incunabula Chriſti, & alterum à natali ejus annum narrationem pertexit. Marcus verò ab anno 15. Tiberii, circumſcriptis medii temporis rebus geſtis, exorſus eſt. At Lucas altiùs iſta repetens, ab eo tempore cœpit, quod Chriſti ortum anteceſſit, & tam hujus quàm Joannis in Mariæ atque Eliſabeth utero conceptum expoſuit.*

Joannes denique poſtremus accedens, altiſſimè omnium narrationem arceſſit, & quæ Chriſti temporariâ illâ generatione priora ſunt, ſtabilire ac munire inſtituit. Spiritalia enim fermè ſunt, quæ ille memoriæ commendavit, cùm quæ ad corpus attinerent, abundè eſſent aliorum ſcriptis corroborata. Quamobrem ſpiritalem de Divino illo dono narrationem aggreditur, quod initio carens omni ab Cœleſti in nos Patre tranſfuſum eſt, & de hujus conſilio ac voluntate in B. Virginem illapſum, atque in Virgineo ejus gremio cum carne conjunctum. Cæteri porrò ita iiſdem illis conſentanea dixerunt, ut id quod erat neceſſe, potiſſimùm ſpectarent. Joannes verò ejus, quod ſibi propoſuerat, rationem habuit. Ita fit, ut ex quatuor Evangeliis, eorum quæ ad Chriſti carnem & ad Divinitatem attinent, accurata nobis veritas ac certiſſima conſtet. Hactenus Epiphanius.

V. Idem ſentit Euſebius L. 3. Hiſt. c. 24., ubi narratâ aliorum Evangeliſtarum hiſtoriâ: *Proinde*, inquit, *Joannes quidem res à Chriſto geſtas, priuſquam Joannes Baptiſta cuſtodiæ mancipatus fuiſſet, Evangelio ſuo complectitur. Reliqui verò tres Evangeliſtæ res Chriſti geſtas, ex quo Baptiſta conjectus eſt in carcerem, perſequuntur. Quod quicumque attentiùs obſervaverit, nequaquam Evangelia inter ſe diſſidere poſthac exiſtimabit: quippe cùm Joannis quidem Evangelium initium actuum Chriſti, cætera autem Evangelia ſequentis temporis hiſtoriam contineant. Et ſeriem quidem ipſam generis Chriſti ſecundùm carnem à Matthæo & Luca prius traditam Joannes meritò prætermiſit. Ab ipſa verò ejus Divinitate ſumſit initium, quippe quæ à Spiritu Sancto ipſi tanquam præſtantiori fuiſſet reſervata.*

VI. Hu-

VI. Hujus in ſcribendo inter Evangeliſtas varietatis ex fine, quem ſibi quiſque præſtituerat, colligit S. Auguſtinus L. de Conſ. Evangel. cap.3. his verbis: *Cum Matthæus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis perſonam gereret intentionem, utrique humanitatem Chriſti maximè commendarunt. Secundùm hominem quippe Chriſtus & Rex & Sacerdos effectus eſt, cui dedit Deus ſedem David Patris ſui, ut Regni ejus non eſſet finis, & eſſet ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominem homo Chriſtus Jeſus. Non habuit breviatorem conjunctum Lucas, ſicut Marcum Matthæus. Et hoc fortaſsè non ſinè aliquo Sacramento, quia Regum eſt non eſſe ſine comitum obſequio: unde ille qui regiam perſonam narrandam ſuſceperat, habuit ſibi tanquam comitem adjunctum, qui ſua veſtigia quodammodo ſequeretur. Sacerdos autem, quoniam in Sancta Sanctorum ſolus intrabat, propterea Lucas, cujus circa Sacerdotium Chriſti erat intentio, non habuit ſocium ſubſequentem, qui ſuam narrationem quodammodo breviaret. Tres autem illi Evangeliſtæ in his rebus maximè diverſati ſunt, quas Chriſtus per humanam carnem temporaliter geſſit. Porrò autem Joannes maximè Divinitatem Domini, quâ Patri eſt æqualis, intendit* &c. Hactenus Auguſtinus.

VII. Altera Alogorum objectio erat. Joannes tanquam primum à Chriſto editum miraculum refert converſionem aquæ in vinum in nuptiis Canæ: *Hoc enim*, inquit, *initium ſignorum Jeſu in Cana Galilææ*. At Lucas aliud miraculum longè ante à Chriſto adhuc puero factum recenſet, cùm ſcilicet ſapientiam ſuam in medio Doctorum ſedens & diſputans, magno omnium ſtupore manifeſtavit. Rurſus Joannes ut ſecundum miraculum proponit, ſanationem filii Centurionis paralytici, cùm Lucas alia multa ante hoc facta miracula deſcribat.

VIII. Reſpondet Epiphanius, converſionem aquæ in vinum referri à Joanne tanquam primum miraculum, non abſolutè, ideſt à tempore quo natus fuit, ſed primum poſt ſuſceptum à Joanne Baptiſma, & poſtquam diſcipulos aſſumſerat: *Hoc*, inquit S. Epiphanius num.21., *primum ſignum fecit Jeſus in Cana Galilææ: non ante Baptiſmum, ut ſæpè dixi; ſed tum primùm id accidit, poſtquam à tentatione reverſus eſt, tertiâ die poſt biduum illud, quo ambo apud ipſum hæſere Joannis diſcipuli, qui & audierunt illum & ſecuti ſunt. Statim enim poſt biduum, quo apud illum iſti commorati ſunt, ſubjicit* „ Et abiit in Galilæam, & inveniens Philippum dixit, ſequere me „. *Deinde* „ Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ „. De hoc miraculo, quomodo fuerit primum, aliqua dixi ſupra Tom.4. par.2. cap.20. §.2. num. 24.

Hâc eadem ratione & ordine ſanationem filii Reguli paralytici

lytici vocat S. Joannes ſecundum, relatè ſcilicet ad ſignum in nuptiis patratum, quod appellat primum. Et in hoc ſenſu Joannes c. 4. v. 54. dicit: *Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Jeſus*, nimirùm poſt primum in nuptiis factum, vel ſecundum in Galilæa patratum, unde ſubdit: *Cùm veniſſet à Judæa in Galilæam*.

IX. Tertia Alogorum objectio erat. Joannes duo à Chriſto celebrata Paſcha commemorat, cùm unius dumtaxat cæteri Evangeliſtæ meminerint.

Reſpondet Epiphanius num. 22., non duo ſed tria Paſchata Chriſtum celebraſſe, his verbis: *Nec illud ineptiſſimi homines animadvertunt, non duo ſolùm in Evangeliis Paſchata comprehendi: ſed ad priora illa duo tertium accedere, in quo Salvator eſt paſſus, ut omnino tria ſint toti illi prædicationis tempori tribuendi*. Imò quatuor Paſchata Chriſtum ſuæ prædicationis tempore celebraſſe, ſuperiùs Tom.4. par.1. cap.19. §.5. à num.40. probabile oſtendi, quò Lectorem remitto.

X. Contra Librum Apocalypſis opponebant Alogi, quòd in Apocalypſi legitur c.2. v.18. *Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe*. Atqui nulla Thyatiræ Chriſtianorum Eccleſia tunc erat: qui igitur ad eam, quæ nuſquam erat, Eccleſiam ſcripſit?

Reſpondet Epiphanius n. 33., debuiſſe illos advertere S. Joannem in eo libro multa propheticè fuiſſe locutum. Et proinde licèt dum ſcriberet, nulla Thyatiræ Eccleſia eſſet: quia tamen poſtea futura erat, & hæreticorum, maximè Phrygum, & Prophetiſſarum eorumdem erroribus inquinanda, ideo S. Joannes ſpiritu prophetico eam præarguit. Non tædeat audire S. Epiphanium: *Nam*, inquit, *ut illud opponant, nullam jam eſſe Thyatiris Eccleſiam; planè Joannem afflatu prophetico futura prævidiſſe ſignificant. Cùm enim illic tam hæretici illi, quàm Phryges habitaverint, & eorum fidelium qui ſimpliciores ſunt animas luporum more diripuerint, oppidum univerſum ad ſuam hæreſim traduxerunt. Qui cum Apocalypſim atque omnem illam doctrinam reſpuerent, ad evertendam religionem vires ſuas ac velut exercitus compararunt. Jam verò ſingulari Dei beneficio his temporibus accidit, ut poſt centum ac duodecim annos illic Eccleſia creſceret, ad quam aliæ deinceps accederent. Tunc verò Eccleſia omnis ſe ſe in Phrygas exhauſerat. Quamobrem Spiritus Sanctus id aperire potiſſimùm ſtuduit: Eccleſiam poſt Apoſtolorum, hoc eſt Joannis ac cæterorum tempora ad errorem eſſe declinaturam, annis poſt Aſcenſum Chriſti tribus & nonaginta, quo tempore in errorem incidere, atque in Phrygum hæreſim velut eliquari illius loci deberet Eccleſia. Unde & coarguendi gratiâ ſtatim ita Dominus loquitur*,, Scribe Angelo Eccleſiæ quæ eſt Thyatiris. Hæc dicit qui habet

Digitized by Google

habet oculos ſicut flamma ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco. Novi fidem tuam & caritatem, & miniſterium, & opera tua noviſſima plura prioribus. Sed habeo adversùs te, quia permittis mulierem Jezabel ſeducere ſervos meos; quæ ſe dicit Propheriſſam docentem manducare idolothyta & fornicari. Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua „ *Num illud videre tandem poteſtis, de mulieribus illum loqui, quæ falsá prophetici ſpiritus perſuaſione deceptæ quamplurimos deceperunt: hoc eſt de Priſcilla, Maximilla, & Quintilla, quarum fraus latere Spiritum Sanctum minimè potuit, ſed per Beati Joannis os fore iſta prædixit, quæ poſt ejus obitum acciderunt?* His ab Epiphanio devictos Alogos, ſeu veriùs Amentes, dimittamus, ad alios ſimiles tranſituri.

CAPUT XXVII.

De Adamitis, ſeu Adamianis.

§. I.

Adamitarum origo & mores.

I. QUis hujus hæreſis Auctor fuerit Epiphanius & Auguſtinus ſilentio prætereunt. Quemdam Adamum nomine ſcribit Damaſcenus Hæreſ. 52., Theodoritus tamen Lib. 1. Hæret. Fab. c. 6. eos conjungit cum Prodico, tamquam ſobolem ab eo exortam. Nam poſt Epiphanem Carpocratis filium de Prodico ſubdit: *Eum verò ſecutus Prodicus, eorum qui Adamitæ dicuntur hæreſim inſtituit*: & hunc decreta Carpocratis confirmaſſe fatetur dicens: *Is apertè & palam ſcortari adjecit decretis Carpocratis*. Et hoc ex Clemente Alexandr. L. 3. Stromat. ſe eruere putat, ut infra dicam.

II. Si hoc verum eſt, aſſerere oportet, ab Epiphanio, Auguſtino, & Damaſceno temporis ordinem in eis recenſendis non fuiſſe ſervatum, cùm non ad Alogorum ætatem, ſed magis ad Gnoſticorum, Valentini, & Carpocratis tempora eſſent referendi. Nam qui à Prodico exierunt, ſe Gnoſticos dici volebant, teſte Clemente Alexandr. L. 3. Strom. pag. 438.: ubi poſt Valentinianos eos ponens: *Talia autem*, inquit, *ſtatuunt Prodici quoque aſſeclæ, qui ſe ipſos falſo nomine vocant Gnoſticos*. Et Tertullianus in Scorpiaco cap. ultimo Prodicum Valentino in errore conjungit, nempè non eſſe ſubeundum pro Chriſto martyrium. Hâc ratione Theodoritus.

tus citato loco refert Adamitas ante Valentinum. Iſidorus Lib. 8. Etymol. cap. 5. eos ſtatuit ante Cajanos, & Sethianos immediatè poſt Archonticos. Et re verâ ſi Prodicum parentem Adamitis tribuimus, multò ætate anteriores eos fuiſſe fateri debebimus.

III. Si eorum mores ac ritus conſideremus, jure pudendos ac turpes eos damnare debemus. Si enim S. Auguſtinum L. de Hær. c.31. conſulimus, ipſe nobis dicit: *Adamiani ex Adam dicti, cujus imitantur in Paradiſo nuditatem, quæ fuit ante peccatum: unde & nuptias averſantur, quia nec priusquam peccaſſet Adam, nec priusquam dimiſſus eſſet de Paradiſo, cognovit uxorem. Credunt ergo, quòd nuptiæ futuræ non fuiſſent, ſi nemo peccaſſet. Nudi itaque mares feminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant Sacramenta, & in hoc Paradiſum ſuum arbitrantur Eccleſiam.* Ita S. Auguſtinus.

IV. Si à S. Epiphanio petimus: is Hæreſ. 52., poſtquam in eis talpæ cæcitatem prolixè deploravit, ac in dubium vertit, an tales adhuc exiſtant, imò an unquam fuerint: quia tamen eorum fama utcumque in Orbe perſonabat, eos ita deſcribit n. 2. *Inprimis enim Hæreticos iſtos, ferunt, Eccleſias ſuas, ſive latibula potiùs & cavernas (ſic enim Hæreticorum libet appellare conventicula) in hypocauſtis* (locis igne calefactis vulgò ſtute) *extruere. Quippe ſubter ignem excitant ad eos vaporandos ac fovendos, qui in illud cubiculum conveniunt. In ingreſſu veſtimentorum cuſtodes pro foribus capſariorum inſtar appoſiti ſunt. Tum intrantium quiſque tam vir quàm femina foris veſtibus exuens ſeſe toto corpore, perinde ut ex utero matris exiit, nudus ingreditur. Sed qui principes inter illos habentur, peræquè nudi conſident, alii in ſuperiore loco, alii in inferiore, promiſcuè ac paſſim. Ad hæc nonnulli ex eorum numero ſunt, qui ſcilicet continentes appellantur, idque præſeferunt, ac virgines habentur, ſeque ipſos hunc in modum decipiunt. Jam verò lectiones, ac reliqua id genus obeunt nudi. Quòd ſi quis, ut dicere ſolent, in culpam lapſus eſſe videatur, hunc in conventum ſuum minimè ampliùs recipiunt. Adamum enim illum eſſe dicunt, qui de ligno comederit, atque è Paradiſo, hoc eſt Eccleſia ſua, exterminandum judicant. Nam Eccleſiam ſuam Paradiſum eſſe ſtatuunt, ſe ipſos verò Adamum & Evam.* Ita Epiphanius.

V. Si Damaſcenum audire volumus, dicet nobis Hæreſ. 52. *Adamiani ab Adamo quodam eâ etate vivente denominati, ridiculum potiùs, quàm veritati conſentaneum dogma profitentur. Porrò rem hujuſmodi factitant. Nudi, quales ex utero matris egreſſi ſunt viri perinde ac mulieres conveniunt, atque ita lectionibus, orationibus, ac cæteris religionis officiis vacant. Solitariam autem vitam agentes,*

ac

ac continentium inſtituta ſervantes, nuptias damnant, Eccleſiamque ſuam Paradiſum eſſe exiſtimant.

VI. Theodoritus, qui Adamitas Prodici ſobolem fuiſſe dicit, inter alias turpitudines promiſcuum feminarum uſum eis affingit. *Prodicus enim*, inquit, *mulieres eſſe communes conſtituit. Quamobrem non ſolùm in conviviis publicis, candelæ lumine paulò longiùs remoto, in quamcumque inciderat, cum ea unuſquiſque coibat, ſed etiam myſtica initia ejuſmodi incontinentiam exiſtimabant*. Cujus rei teſtem affert Clementem Alex. Lib. 3. Stromat. pag. 438. ubi ait: *Talia autem ſtatuunt Prodici quoque aſſeclæ, qui ſe ipſos falſo nomine vocant Gnoſticos, ſe ipſos quidem dicentes eſſe naturâ filios primi Dei. Nobilitate autem & libertate abutentes vivunt ut volunt, volunt autem libidinosè, ſe nullâ re teneri arbitrati, ut Domini Sabbati, & qui ſint quovis genere ſuperiores, filii regales. Regi autem inquiunt, lex ſcripta non eſt*. Unde L. 7. Strom. pag. 722. addit, eos etiam ſuperbè dixiſſe Deum non eſſe orandum. Ubi enim de variis precandi modis locutus fuit: *Hic*, inquit, *mihi veniunt in mentem quidam, qui diverſa ſentiunt, nempè qui Prodici hæreſim ſequuntur, eorumque opinionum quæ docent, non eſſe orandum*. Quem errorem à Philoſophis, qui dicuntur *Cyrenaici*, eos accepiſſe dicit.

VII. Ex hactenus dictis apparet, prælaudatos Patres convenire in hoc, quòd Adamitæ Adamum & Evam ante peccatum imitari volentes, conventus ſuos in Eccleſia, quam Paradiſum vocabant, omnino nudos peregiſſe, & à nuptiis abhorruiſſe. Solùm controverſia eſt, an ſicut à nuptiis, ita ab omni carnali coitu abſtinerent, & prorsùs continentes viverent, ut videtur abſolutè indicare Damaſcenus, vel aliqui ſaltem ex eis, ut dicit Epiphanius: an verò rejecto nuptiarum vinculo liberè ſe invicem carnaliter miſcerent: & inſuper, an Deum orarent, ut dicunt Auguſtinus & Damaſcenus, an verò non eſſe orandum aſſererent, ut dicit Clemens Alex. Et quidem ſi ſupponamus, Adamitas Prodici fœtum fuiſſe, ut ſupponunt cum Theodorito ferè omnes Recentiores, inter quos Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Secul. 2. c. 3. art. 12. & Ittigius Sect. 2. c. 3., aſſerendum eſt, eos continentiam quidem à nuptiis ſervaſſe, ſed promiſcua ac effræni libidine invicem ſe conjunxiſſe, necnon ſuperbo faſtu ſe filios Dei eſſe gloriantes, nullâ ſe egere prece jactarint. Hæc enim duo Prodici ſcholæ impia dogmata fuiſſe, Clemens Alex. teſtatur. Singula igitur confutanda ſunt.

§. II.

§. II.

Adamitarum errores rejiciuntur.

I. PRimus ergo error de nuditate ad imitationem Adami & Evæ ante peccatum ſe ipſo ruit. Nam etſi Adamus & Eva ante peccatum nudi prorſus inceſſerint: ſtatim tamen ac in peccatum lapſi fuere, nuditatis pudore ſuffuſi eam tegere ſtuduerunt. Sic enim legitur Gen. 3. v. 7. poſtquam peccarunt: *Et aperti ſunt oculi amborum: cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Peto ergo ab Adamitis: An ipſi originem traxerint ab Adamo & Eva adhuc innocentibus, an ab eis jam peccato obnoxiis. Puto, primum non dicent; quia Adam non cognovit uxorem ſuam nec filios genuit, niſi poſt peccatum, & ejectus è Paradiſo, ut habetur Geneſ. 4. v. 1. Cùm ergo deſcendant ab Adamo & Eva jam peccatoribus, cur nuditatem, de qua parentes ſui poſt peccatum erubuerunt, ipſi ſervare volunt?

Rurſùs Adam & Eva ante peccatum nudi incedebant, non in uno loco, ſed ubique. Cur ergo ipſi nudi quidem in ſua Eccleſia manent, extra illam tamen nudi incedere erubeſcunt? Fortè quia ſua Eccleſia, ut ajebant, erat illis Paradiſus? At nunquid eas felicitates quas Adam & Eva in Paradiſo, ipſi in ſua Eccleſia experiebantur? Neſciebant, Paradiſum Adamo & toti ejus poſteritati fuiſſe clauſum, & ad ejus cuſtodiam Cherubim cum flammeo gladio, ne quis ingrederetur, fuiſſe à Deo poſitum? (Gen. 3. v. 24.) Si ſua Eccleſia Paradiſus erat, cur eam calore temperare ſtudebant, ne nudata corpora rigerent? Hoc certè in Paradiſo non eguiſſet Adamus. Non in alio Eccleſiam ſuam aſſimilare Paradiſo poſſunt, niſi quòd in eam Diabolus ſerpens ad eos, ſicut primos parentes, decipiendos intrabat.

II. Audiant itaque Epiphanium eos ita irridentem: *Cur igitur ſubter cubiculum illud ignem excitant, ne frigore infeſtentur? Etenim Adamus & Eva neque in hypocauſto degebant, neque ardore ullo atque æſtu premebantur, nec ullus eis frigus erat moleſtum: ſed puriſſimo aere fruebantur, ac mirificè à Deo temperato, qui nec frigoris atrocitate vehementior, nec moleſtiſſimo incendii ardore violentus immineret. Victus iiſdem ambroſia erat à Deo parata. Locus ipſe denique ad omnem erat voluptatem jucunditatemque factus: ita ut neque algori, neque æſtui, quemadmodum diximus, eſſent obnoxii. At illi cùm iſtiuſmodi vitæ neceſſitatibus expoſiti ſint, omnino ridiculi ſunt.*

Quin & illud unà conſiderandum eſt, quemadmodum ex eo refelli

felli omnis iſtorum error poſſit. Nam primi noſtri parentes, non unâ dumtaxat horâ, ſed perpetuò nudi ſine ullo pudore perſeverabant. At iſti, non quòd pudore careant, propterea nudantur; tametſi ita ſibi perſuadeant, ſed id inſatiatæ libidini tribuunt, quæ ejuſmodi oculis illecebras objicit. Siquidem omnem illi verecundiam depoſuerunt, quæ in omnibus Sacris Scripturis eſt laudata ſæpiùs.... Cæterùm poſt illam horam foris rursùm veſtes induunt, & Adami eſſe deſinunt. Neque enim is veſtium ſubinde copiam habuit, ſed primùm ficus folia, deinde pelliceas tunicas. Ita nonniſi longo tempore, quàm creati fuerant, veſtimentorum uſum Divina eos ſapientia perdocuit. Quamobrem omni explodendi ludibrio ſunt homines iſti, qui ſibi Adami conditionem vendicant: in quo partim mentiuntur, partim vera jactitant. Quòd enim Adami non ſunt, multis, ut oſtendimus, eſt argumentis perſpicuum: quòd autem ab intelligibili ſerpente ludificentur, id verò ex affectato illorum habitu ac nuditate, pudendoque ac ridendo illo inſtituto conſtat. Hactenus Epiphanius.

III. Secundus Adamitarum error fuit, quòd à ſuis cœtibus nuptias rejicerent. In hoc errore fuere plures alii, ut Nicolaitæ, Gnoſtici, Marcioniſtæ, Encratitæ, & alii contra quos ſuperiùs egi. In Adamianis tamen nuptias damnandi ſpecialis ratio fuit, quia ſcilicet putabant, Adamum & Evam non fuiſſe nuptiis conjunctos, niſi poſt peccatum; & quòd niſi peccaſſent, nuptiæ non fuiſſent futuræ. At niſi cæci fuiſſent, vidiſſent, nuptias in Geneſi à Deo inſtitutas, & à Chriſto in Evangelio confirmatas Matth. 19. Propterea in adjutorium Adæ Deus ex coſta eduxit Evam, & hoc fuiſſe factum, ut ei eſſet in uxorem ſtatim Adam ipſe cognovit Gen. 2. v. 24., cùm primò eam videns dixit, quòd *relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: & immediatè ſubjungitur: *Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus, & non erubeſcebant*. Licèt ergo Adam maritaliter non cognoverit Evam, niſi poſt peccatum, erat tamen ante uxor ejus nuptiali vinculo conjuncta. Quòd verò etiam in ſtatu innocentiæ, ſi in eo perſeveraſſent, futuræ fuiſſent nuptiæ, oſtendi in Theolog. Tom. 6. in 1. p. Qu. 4. de Stat. Hom. Innoc. quoad Corpus Dub. 3. Videantur ibi dicta.

IV. Tertius error ex iſto conſequens erat, nimirùm quòd mares & feminæ apud illos turpiter mutuò commiſcerentur. Dum enim omnino nudata corpora reciprocis aſpectibus objicerent, & nudi ſimul familiariter convenirent, incredibile eſt, ardore libidinis eo mutuò non fuiſſe accenſos: cùmque conjugali concubitu eam exſaturare eis non permitteretur, brutorum more invicem non commiſcerentur. Etenim ſi Adam & Eva vix in peccatum lapſi

concupiſcentiæ ſtimulos ſentire cœperunt, & cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos, vel ipſis foliis ficus nuditatem tegere curarunt; quis æſtimabit, Adami, non innocentis, ſed peccatoris ſobolem, unâ cum ejus peccato concupiſcentiam origine trahentes, ac nudos invicem converſantes, & nuptias rejicientes carnis caſtimoniam illibatam cuſtodiiſſe? Continentiam utique profitebantur, & ſic virginitatem colere dictitabant, quia à nuptiali concubitu abſtinebant, non quia ab omni illicito congreſſu temperarent. Ideoque jure ſe Gnoſticos appellabant, quia in hoc errore cum eis conveniebant, quem jam in eiſdem & aliis ſuperiùs impugnavi.

V. Quartò errabant, quia, ut ex Clem. Alex. Lib. 3. Strom. ſupra retuli, aſſerebant ſe naturâ eſſe filios Dei nulli legi ſubjectos, tanquam filios regales, pro quibus nulla lex ſcripta eſt; & proinde ſe quæ vellent pro arbitrio facere poſſe. Hâc inſanâ temeritate, quam ſupra in Valentino rejeci, ſuos Adamitas Prodicus imbuit. Hos tamen prælaudatus Clemens dicto L. 3. Strom. ſic redarguit: *Primùm quidem, quòd non faciant omnia quæ volunt: multa enim eos prohibebunt, etſi cupiant & conentur. Quin etiam quæ faciunt, non faciunt ut Reges, ſed ut maſtigiæ: clanculum enim committunt adulteria, timentes ne deprebendantur, & vitantes ne condemnentur, & metuentes, ne ſupplicio afficiantur. Quomodo autem res eſt libera intemperantia, & turpis ſermo?* „ Omnis enim qui peccat, eſt ſervus. „ Rom. 6. *Sed quomodo vitam ex Deo inſtituit, qui ſe ipſum præbuit dedititium cuivis concupiſcentiæ? cum dixerit Dominus* Exod. 6. „ Ego autem dico: Nec concupiſcas „. His & aliis horum inſaniam detegit Clemens.

VI. Quintò, Deum non eſſe orandum effutiebant. Ita Clemens Alex. L. 7. Strom. Hoc errore infectos fuiſſe non legi, niſi Atheos, vel eos qui Deo curam horum inferiorum eripiebant. Cæterùm quotquot Deitatem admiſerunt, eique curam & prudentiam Mundi tribuerunt, precibus & ſacrificiis Numina ſua implorare ab eiſque auxilia petere, etiam Barbari, conſuevere. Vel ergo Adamiani Athei erant, vel Deum rebus iſtis præeſſe negabant, vel ipſum orandum eſſe fateri tenebantur; Deum orandum eſſe oſtendit Clemens Alex. L. 7. Strom. citato. Sed in re adeò certa immorari ſuperfluit.

VII. Sextus Adamitarum error fuit, quòd martyrium ſubeundum eſſe negabant. Contra hunc locutus ſum agendo de Gnoſticis, Valentinianis & aliis. Hunc Tertullianus in Scorpiaco c. ultimo à Valentino traducit ad Prodicum, & proinde ad Adamitas ejus ſobolem: loquens enim de Paulo, qui pro Chriſto multa, & mortem ipſam, paſſus fuit, ait: *Quòd ſi jam tunc* Prodicus, *aut Va-*

Valentinus adſiſteret, ſuggerens, non in terris eſſe confitendum apud homines, quòd nec Deus humanum ſanguinem ſitiat, nec Chriſtus vicem paſſionis, quaſi & ipſe de ea ſalutem conſecuturus expoſcat, ſtatim audiſſet à ſervo Dei, quod audierat Diabolus à Domino: Recede Satanas: ſcandalum mihi es. Quibus apparet Adamitas negaſſe pro Chriſto ſubeundum eſſe martyrium, quia nec Deus humanum ſanguinem ſitit, nec Chriſtus quaſi ex noſtro ſanguine ſalutem ipſe conſecuturus eſſet.

VIII. Nunc à priſcis Adamitis ad Recentiores tranſitum faciam: non defuerunt enim, qui noviſſimis temporibus turpiſſimam hanc Sectam excitarint, ut Seculo 15. in Bohemia Pichardus quidam. Refert hoc Æneas Sylvius in Hiſt. Bohemica c. 41. his verbis „ Pichardus quidam ex Gallia Belgica, tranſmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetravit, qui præſtigiis „ quibuſdam fidem ſibi concilians, brevi tempore non parvam „ mulierum virorumque plebem ad ſe traxit, quos nudos incedere jubens, Adamitas vocavit. Et occupatâ Inſulâ quâdam „ amne Luſmicio cinctâ, filium Dei ſe dixit, & Adam vocari. „ Connubia eis promiſcua fuere; nefas tamen injuſſu Adæ mulierem cognoſcere. Sed ut quiſque libidine incenſus in aliquam „ exarſit, eam manu prehendit, & adiens principem, In hanc, „ inquit, ſpiritus meus concaluit. Cui princeps reſpondit; Ite „ creſcite & multiplicamini, & replete terram. Ajebat cæteros „ homines ſervos eſſe, ſe verò & qui ex eis naſcerentur, liberos. „ Ex iis quadraginta viri Inſulâ exiere, & intrantes vicinas villas, evaginatis gladiis ſuper ducentos agreſtes interfecere, „ quos Diaboli filios aſſerebant. Ziſcha, iis auditis, quamvis „ ſceleratus, ſcelus tamen exhorruit. Habet enim hoc natura „ hominum, ut aliena magis, quàm ſua quiſque vitia perhorreſcat. Neque ſumma mala diù inulta manent, ultoremque mali „ ſæpè malum cernere licet. Direxit igitur in eos exercitum, „ expugnatâque Inſulâ, Adamitas omnes gladio delevit, duobus „ tantùm reſervatis, ex queis gentis ſuperſtitionem cognoſceret. „ Audivi & ego ex Ulrico Roſenſi præſtanti Regulo, cùm agerem in Bohemia, fuiſſe apud ſe viros & mulieres ejus Sectæ „ captivos, & mulieres quidem palam dixiſſe, non eſſe liberos, „ qui veſtibus, & præſertim femoralibus uterentur, eaſque in „ carcere apud ſe peperiſſe, quas cùm anno elapſo ſimul cum „ viris igni tradidiſſet, ridentes cantanteſque flammarum incendia pertuliſſe „. Hæc de recentioribus Adamitis Æneas Sylvius Auctor coævus, poſtea Pius II.: quos Veteribus ſimiles exhibet imo turpiores; nam Veteres in ſua Eccleſia tantùm ſe ſe nu-

nudabant, hi nudi mares & feminæ ubique inceſſiſſe videntur, ut merebantur tamen, deleti.

IX. Præfatos Adamitas redivivos vidit Seculum ſextum decimum ab Adamo Paſtore excitatos, qui Chriſtum inſuper merum hominem profeſſus, eum cum Photino naturâ Deum eſſe negabat. Matrimonium quoquè quaſi per ſe malum damnabat. Fuere & alii Sectâ Anabaptiſtæ, qui quòd nuditatem Adami æmulari geſtirent, Adamitarum nomen accepere. De his Lindanus Ruremondenſis Epiſcopus in Dubitantio Dialogo 2. *Tales*, inquit, *fanaticos vidit Amſtelodamus noſtra. Hos loco honeſtiſſimo natos, & rebus lautis opulentiſſimos, vidit nudos diſcurſitare noſtra Hollandia anno 1535. Horum quidam tam fuere inſani capitis, ut conſcenſis arboribus, nudi Cæleſtem panem fruſtra expectantes, in terram deciderint feminecces.* Ex Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Seculi 15. & 16. cap. 2. art. 3.

CAPUT XXVIII.

De Elceſæis & Sampſæis.

§. I.

Auctor, ortus, progreſſus.

I. HÆRESIS hæc una eſt, duobus tamen appellata nominibus, nempe Elceſæorum ſive Helceſaitarum, & Sampſæorum. Helceſæitæ ſeu Helceſaitæ dicti ſunt ab hæreſis auctore *Helxai*, ſeu, ut alii volunt, *Helceſai*, non *Elei*, ut mendosè irrepſit in textum Auguſtini L. de Hæreſ. cap. 32. Dictos autem fuiſſe etiam Sampſæos, exiſtimat Nicetas à puritate quam affectabant. *Sampſæi vocantur*, inquit, *quaſi puri hebraicâ linguâ.* Licèt autem quidam putent, vocem illam eſſe magis Arabicam & Ægyptiacam, quàm Hebraicam, cùm tamen in L. 1. Eſdræ c. 4. v. 23. fiat mentio cujuſdam Scribæ nomine *Samſai*, non videtur Sampſæorum nomen alienum fuiſſe à lingua Hebraica, vel ſaltem Syriaca.

II. De facto autem Sampſæos, ſive Helceſaitas ab *Oſſenis* celebri apud Hebræos Sectâ originem traxiſſe, ſentit Epiphanius Hæreſ. 19., ubi de Oſſenis hæc habet: *Hi perinde ut illi Judæi ſunt & ſimulandi artifices, atque imprimis callidi. Ferunt iſtos ex Nabatea, Jouræa, Moabitide & Areilitide originem traxiſſe, quæ regiones ultra vallem Salſuginoſam poſitæ ſunt.... Oſſenorum porrò genus iſtud, ſi nomen interpretere, idem eſt ac firmum & ſolidum. Ad hos po-*

poſtea Elxai ſe quidam aggregavit, imperante Trajano poſt adventum Chriſti Domini. Quod repetit Hæreſ. 53. ubi: *Sampſæorum*, inquit, *in ea regione, quæ Peræa dicitur, hæreſis quædam eſt, qui & Elceſæi vocantur, de quibus in ſuperioribus hæreſibus mentionem fecimus. Hi ultra Salſum, ſive Mortuum Mare habitant in Moabitide ad torrentem Arnon, & in ulteriore tractu Ituræa ac Nabaitide, de quo ſæpiùs jam egiſſe me memini. Jactant enim illi conditorem Sectæ ſuæ ac magiſtrum Elxeum*.

III. Ex his apparet, hunc Elxai (ſive dicas Elxeum ſive Elceſai ſive Elceſæum) fuiſſe natione Judæum ſectâ Oſſenum. Hic poſtea nec Judæus nec Chriſtianus Trajano imperante ſectam à ſuo nomine dictam Elceſeitarum fundavit, ac falsò ſe Prophetam jactans, librum quem prophetico ſpiritu dictatum aſſerebat, ut majorem ſibi famam aucuparetur, publicavit. Ita Epiphanius Hæreſ. 19. de Elxai loquens, ait: *Qui cum falsò Prophetam ſe diceret, librum quemdam velut prophetico ſpiritu afflatus edidit: Divinâ ſcilicet ſapientiâ plenum. Hujus præterea fratrem Jeſæum nomine commemorant. Cæterùm homo ille moribus perditus, atque impoſtor fuit. Nam cùm genere ac ſectâ Judæus eſſet, ad Legis præſcriptum minimè vitam ſuam accommodavit, ſed alia omnia loco ejus obtruſit, ac ſectatores ſuos in tranſverſum abduxit*.

IV. Procedente tempore Elxai Ebionitis ſe conjunxiſſe, novoſque de Chriſto errores in eam ſectam invexiſſe, putat Epiphanius Hæreſ. 30., quæ eſt de Ebionæis num. 3. his verbis: *Ac ſuſpicari ſanè licet, ab eo tempore quo ſe illis Elxeus adjunxit falſus quidam Propheta, qui apud Sampſenos & Oſſenos atque Elceſæos extitit, ab eodem edoctos confictum de Chriſto ac Spiritu Sancto neſcio quid effutire cœpiſſe*. Ut enim ait Hæreſ. 53. num. 1., utebantur Oſſeni, Nazaræi, Ebionæi, & præcipuè Sampſæi pſeudoprophetico Elxai Libro: *Utuntur*, inquit, *hoc eorum libro & Oſſæi, & Ebionæi, & Nazaræi, ut non ſemel antea dixi, ſed Sampſæi potiſſimùm illo nituntur . . . Quin etiam alium habere ſe librum prædicant, quem fratri Elxei* (Jeſæo ut ſupra) *tribuunt*.

V. Quia verò, ut hactenus vidimus, ars Diaboli fuit pernicioſiores hæreſes operâ etiam feminarum promovere, hoc Elceſæitis non defuit. Hujus enim Sectæ profeſſores duas maximè habebant feminas, quas veluti Deas venerabantur, ut ex S. Auguſtino & Damaſceno inferiùs dicam. Harum una Martho (ſeu ut vult Nicetas Maltha) appellabatur; Marthana (ſeu Malthana) altera. Has Epiphanius Hæreſ. 53. num. 1. è ſtirpe Elxai fuiſſe dicit: *E' cujus ſtirpe duas ad hoc tempus mulierculas tanquam Deas adorabant, quòd ex benedicto ſemine eſſent oriundæ*. Et infra: *Cæterùm per id tem-*

tempus audieram, unam è duabus illis feminam obiiſſe, quæ Marthο nominabatur; ſuperſtite adhuc Marthanâ, niſi jam & ipſa deceſſerit. Deinde honores, quibus eas afficiebant referens: *Ambas illas*, inquit, *quoties domo progreſſæ aliquò ſe conferrent, ingens hominum multitudo comitabatur, qui non modò pedum pulverem, ſed & ſputa morborum ad remedia colligentes, non ſinè magno ludibrio ad amuleta & phylacteria reſervabant.* Imò, vide Lector, quò prorumpat inſana cæcitas? Qui, ut infra dicam, mortem pro Chriſto ſubeundam eſſe negabant, inquit Epiphanius ibi: *Pro Elxai verò ſtirpe morti ſe ſe committere non dubitant.*

VI. De hac hæreſi S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap. 32. ait: *Elceſæos & Sampſæos hìc tantùm ordine ſuo commemorat Epiphanius, quos dicit à quodam pſeudopropheta eſſe deceptos, qui vocabatur Elci* (veriùs Elxai) *ex cujus genere duas mulieres tanquam Deas ab eis perhibet adoratas. Cætera Ebionæis tenere ſimilia.* Damaſcenus Hæreſ. 53. *Sampſæi*, inquit, *ſive Elceſæi, ad hunc uſque diem in Arabia degunt juxta Mare Mortuum, Elxæ cujuſdam falſi prophetæ diſcipuli. Ex cujus ſtirpe Marthus & Marthina feminæ duæ ætate noſtrâ prodierunt, quas Dearum inſtar hæreſis iſta coluit. Eadem porrò cum Ebionæis omnino ſentiunt.* Quibus ea quæ ex Epiphanio dixi confirmantur. Difficile tamen captu mihi eſt, quomodo duæ illæ mulieres, quarum unam jam ſua ætate obiiſſe dicit Epiphanius, de altera verò an eſſet ſuperſtes ſe dubitare, potuerint dici à Damaſceno quatuor ferè ſeculis Epiphanio poſteriore ætate ſuâ prodiiſſe: niſi fortè intelligatur, eas ætate ſuâ prodiiſſe, non quoad perſonas, ſed quoad cultum & venerationem apud Elceſeitas ſui ævi innovatam vel auctam.

VII. De tempore quo exorta primò fuit hæc hæreſis, difficultas & quidem ardua eſt. Nam ex una parte omnes præfati Veteres ejus Auctorem faciunt Elxai ſeu Elceſai, qui Sectæ Oſſenorum Epiphanio teſte Hæreſ. 19. ut dixi ſe aggregavit imperante Trajano. Quo poſito dici debet, hanc hæreſim ortum ſuum habuiſſe ineunte ſeculo ſecundo. Ex alia autem parte præfati Patres poſt hæreſes valdè eo tempore poſteriores eam recenſent. Scio ad hoc reſponderi poſſe, Epiphanium, Auguſtinum & alios non ſervaſſe ordinem temporis. Sed quid reſpondebitur illis, qui ejus ortum uſque ad tempora Origenis, ideſt uſque ad tertium ſeculum protrahunt? Ita ex Origene refert Euſebius L. 1. Hiſt. c. 38. *Alius quoquè tunc temporis error exortus eſt. Helceſeitarum ſcilicet hæreſis, quæ quidem ſimul nata, ſimul extincta eſt. Hujus mentionem facit Origenes in homilia ad populum quâ Pſalmum octogeſimum ſecundum exponit his verbis: Quidam, inquit, nuper advenit de ſe ipſe ma-*

magnificè ſentiens, utpotè qui impiam & nefariam Helceſeitarum opinionem, quæ adversùs Eccleſiam recèns exorta eſt, poſſit defendere; cujus Sectæ dogmata ſubinde refert. Idem dicit Nicephorus L.5. Hiſt. Eccl. c.24. Quare Ittigius, qui accuratè hæreſes omnes ſervato ordine temporis diſponere ſtuduit, hanc inter ævi Apoſtolici hæreſes ultimo loco propterea recenſet. Sed alia quoque exurgit difficultas. Si enim hæreſis hæc vix nata extincta fuit, quomodo ad tempora Epiphanii, imò & Damaſceni, ut ipſi teſtantur, adhuc perdurabat? Non aliâ viâ utrique occurri poſſe crederem, niſi dicendo, hanc Sectam poſt ſuam primam originem ſub Elxæo pluries ſepultam, pluries variis in regionibus novis etiam auctam erroribus revixiſſe, & temporibus Origenis, & Epiphanii, & etiam Damaſceni alicubi præſertim in Syria extitiſſe: ubi eam temporibus Origenis quidam Alcibiades Apamæus impugnavit teſtibus Theodorito Lib.2. Hæret.Fab. cap.7., & Nicephoro citato loco.

§. II.

Elceſeitarum errores: de Chriſto, modo orandi & ſacrificiis.

I. PLerique Elceſeitarum errores, cum iis quos in antecedentibus hæreſibus refutavimus, quamvis ſpecialibus induti fabulis, conveniunt. Quæ de Chriſto ſentiebant, vel jam rejecta ſunt, vel adeò ridicula, ut ea exponere idem ac rejeciſſe ſit. In dogmate de uno rerum omnium principio ac opifice cum Catholicis ſentiebant, teſtibus Theodorito L.2. Hær.Fab. c.7. & Epiphanio Hær.53. dicente: *Unum eſſe Deum aſſerunt, ac certis uſurpatis Baptiſmis eundem venerantur.* Quibus apparet in modo Deum illum colendi erraſſe, quia fortè ritu Judaico eum colebant: unde ſubdit: *Judæis porrò in omnibus adhæſerunt.*

II. Chriſtum puram eſſe creaturam dicebat Elxai, & de ipſo quædam portentoſa ſimul ac ridicula effutiebat, ſicut etiam de Spiritu Sancto. Hæc Epiphanius referens Hæreſ.19. n.4. *Deinde*, inquit, *Chriſtum velati vim quandam deſcribit, cujus & menſuras exponit: longitudinis ſchœnos* XXIV., *hoc eſt milliaria* XCVI. *Latitudinis ſchœnos* VI. *milliaria* XXIV. *nec minùs portentosè de craſſitudine nugatur, deque pedibus ac cæteris omnibus fabulam pertexit. Ad hæc Spiritum Sanctum eſſe demonſtrat ſexu feminam, ac Chriſti ſimilem, inſtar ſimulacri ſupra nubem, atque inter montes duos ſtantem.* Quam dementiam Hæreſ. 30. num. 17. idem Epiphanius no-

notat, Elxeum Ebionitis inſtillaſſe. Hanc & Sampſæos hauſiſſe dicit Hær. 53. num. 1. his verbis: *Chriſtum verbo-tenus confitentur, quem creaturam eſſe putant, & identidem apparere. Ac primum Adami corpus fabricaſſe, rursùmque cùm ei viſum eſt induere. Ei Chriſto nomen eſſe: bujus ſororem Spiritum eſſe Sanctum muliebri videlicet ſpecie. Vtrumque verò tam Chriſtum, quàm Spiritum Sanctum nonaginta ſex milliarium altitudine, viginti quatuor latitudine conſtare.*

III. Quis ad hæc riſum contineat? Si Chriſtus & Spiritus Sanctus, ille mas iſte femina, ille frater iſte ſoror corpora tantæ altitudinis habent, ut nonaginta ſex milliaria, tantæ latitudinis ut viginti quatuor ſpatii impleant, ſi dicunt eos identidem apparere; oportuit, ut corpora tantum ſpatium occupantia, ut montem quemcumque altiſſimum ſuperarent, ab aliquibus interdum viſa fuerint. Quis ergo ea unquam vidit? Chriſtus ex Virgine natus eſt, ab hominibus viſus eſt, ſed habens corpus magnitudinis, quâ cæteri homines: Spiritus Sanctus in Jeſum viſus eſt deſcendere, ſed velut Columba. Ubi ergo immenſa illa corpora reliquerunt? Certè non alibi, quàm in ſtulta Elceſeitarum imaginatione.

IV. Ut hæc declinarent, in alios errores inciderunt. Duos Chriſtos confinxerunt, ſupernum, & infernum, & hunc deſcendiſſe in Jeſum. Et ſic Chriſtum à Jeſu diſtinguebant, quibus alias ſtultitias adjiciunt, quas Theodoritus L. 2. Hæret. Fabul. cap. 7. refert, & Nicephorus L. 5. Hiſt. c. 24., nimirùm „ Unum ſiquidem & ipſi rerum omnium conditorem aſſerunt: non unum autem Chriſtum, ſed plures & diverſos. Ac unum quidem ſursùm eſſe, alium autem deorſum: quem in multis antea inhabitaſſe, deinde verò etiam in Mariæ filio Jeſu incoluiſſe dicunt. Jeſum verò aliquando ex Deo eſſe, aliquando Matrem habuiſſe virginem referunt. Nonnunquam autem ne hoc quidem ajunt. Spiritum porrò ipſum quoque tranſcorporari, atque in diverſa ingredi corpora, & unoquoque tempore variè exhiberi ſentiunt „. Hæc Nicephorus, quæ breviori ſtylo Nicetas: *Chriſtum creaturam eſſe, atque in Adam formatum fuiſſe fabulantur, cujus corpus pro ſuo arbitratu indueret, poſteaque exueret.* Sic plures in unum coacervabant errores: duos Chriſtos confingebant, quorum unum dicebant conſcendiſſe in Jeſum, & ita Chriſtum à Jeſu diſtinguebant: Chriſtum eſſe creaturam aſſerebant, quibus cum Cerinthianis & Ebionitis & aliis ſuperiùs refutatis ſentiebant. Jeſum vel ex Maria natum dicebant, & inſuper eo modo quo Chriſtus in corpus Jeſu deſcendit, antea in alios deſcendiſſe,

& adhuc

& adhuc deſcendere pro libito. En everſa omnia Chriſtianæ Religionis myſteria. Unde benè dicit Epiphanius, quòd Chriſtum verbo-tenus confitentur.

V. Ut fidem hiſce & aliis nugis adſtruerent, refert Theodoritus citato loco, & ante ipſum ex Origene Euſebius L.6. Hiſt. c.38. *Librum etiam proferunt, quem è Cælo delapſum affirmant, eoſque qui auſcultaverint illi & crediderint, peccatorum veniam conſecuturos, & quidem diverſam ab illa peccatorum remiſſionem, quam Jeſus Chriſtus impertiit*. Quem librum refert etiam Nicephorus Lib. 5. cap.24. citato. Epiphanius hæreſi 53. duos libros eos habuiſſe dicit: unum à ſuo magiſtro Elxai compoſitum, alium ab ejus fratre; utroque uſos fuiſſe dicit Samſæos: *Qui cùm nec Chriſtiani ſint, nec Judæi, nec Gentiles, medii cujuſdam generis, ſive potiùs nihil omnino ſunt. Quin etiam alium habere ſe librum prædicant, quem fratri Elxai tribuunt*. Ex libris autem Chriſtianorum Secta hæc, inquit ex Origene Euſebius L.6.c.38., *ex univerſo Sacræ Scripturæ Canone quædam rejicit, quibuſdam verò utitur teſtimoniis, tum ex Vetere Inſtrumento, tum ex Evangelio. Paulum quidem Apoſtolum integrum repudiat*.

VI. Quandam orandi formam ab Elxai præſcriptam, & ab ea quam Salvator Matth. 6. docuit valdè diverſam, in uſu Elceſeitæ habebant: *Ita enim* (inquit Epiphanius Hæreſ.19. n.4.) *orare jubet*:
„ Abar, Anid, Moib, Nochile, Daaſim, Ane, Daaſim, Nochi-
„ le, Moib, Anid, Abar, Selam „. *Quæ hunc ſenſum continent*: Tranſeat abjectio à patribus meis propagata, condemnationis ipſorum, & conculcationis ipſorum, & laboris ipſorum, conculcatione in condemnatione per patres meos ex abjectione quæ præteriit in Apoſtolatu perfectionis.... Quod ſi quis ſingulorum verborum interpretationem deſideret, eam ſubjicit Epiphanius hoc modo: Abar *tranſeat*, Anid *abjectio*, Moib *à Patribus meis propagata*, Nochile *condemnationis ipſorum*, Daaſim *& conculcationis ipſorum*, Ane *& laboris ipſorum*, Daaſim *conculcatione*, Nochile *in condemnatione*, Moib *per patres meos*, Anid *ex abjectione*, Abar *quæ præteriit*, Selam *Apoſtolatu perfectionis*. Hanc inanem precandi formulam ex præfato ſuo libro, ut fucum faceret Elxai, tradidiſſe idem Epiphanius refert. Quid hâc prece peteret, nec ipſe auctor fortè novit.

VII. In modo etiam orandi ſe à Chriſtianis ſecernere voluerunt; ubi enim primitiva Eccleſia verſâ ad Orientem facie orare conſueverat, ipſi Elxai magiſtri ſui præcepto ad Orientem verſâ facie orare prohibebant; non tamen quòd abſolutè ad Orientem orare non poſſent, ſed quòd ſemper verſâ facie Jeroſolymam ora-

rent. Ita Epiphanius Hæreſ. 19. num. 3. *Nam*, inquit, *& ad Orientem converſo vultu precari prohibet, negatque intentos in eam partem nos eſſe oportere: ſed Jeroſolymam versùs undequaque proſpicere; ut qui ad Orientem Jeroſolymam reſpiciunt, in eam ad occaſum faciem obvertant, qui verò ad Occidentem ſiti ſunt eòdem ad Orientem vertant* &c. Volebat ergo ut omnes versâ Jeroſolymam facie ſemper orarent, ita ut qui Jeroſolymam ab Occidente habebant ad Occidentem orarent: qui verò eam ad Orientem reſpicerent, orarent ad Orientem. Hoc, quod abſolutè ad merum ritum & diſciplinam ſpectabat, ex malitia tamen & fine illud præcipientis ad dogma referebatur. Volebat enim, ut hoc facto Judaicum morem retinerent, & Judaiſmum in hoc profiterentur, & à ritu Chriſtianorum diſcederent, ſicut qui modò vellet ritus Eccleſiæ omittere, ut Proteſtantibus ſe conformaret, nedum contra Ritum, ſed contra Dogma peccaret.

VIII. Porrò Judæos versâ Jeroſolymam facie ſemper orare conſueviſſe, imò debuiſſe, apparet tum ex Danielis cap. 6. v. 10. tum Ezechielis c. 8. v. 15., ubi inter majores abominationes recenſetur illa ſenum, qui verſo dorſo à Templo, ad Orientem, & ad Solis ortum orabant, quia hoc facto imitabantur Gentiles, qui Solem adorantes, ad Orientem adorabant. Quare S. Hieronymus in dictum caput dicit eos reprehendi: *Eò quod contemto Domino adorarent Solem, ideſt Domini creaturam, præcipiente ipſo Domino per Moyſen: quòd nequaquam in morem Gentilium contra Orientem Deum adorare deberent; ſed in quacumque fuiſſent Orbis parte, ſive ad Orientem, ſive ad Occidentem, ſive ad Meridiem, ſive ad Septentrionem, adorarent contra Templum, ubi Sancta Sanctorum habitare Dominus credebatur. Quod quidem & Danielem in Babylone feciſſe legimus, qui apertis feneſtris Cœnaculi ſui adorabat Dominum contra Templum, quod erat in Hieruſalem.* Hæc Hieronymus. Cum ergo Elxai ſuos præciperet hoc modo adorare, planum eſt voluiſſe ut ritu Judaico adorarent.

IX. Primitiva verò Eccleſia, ut à ritu Judæorum ſecederet, impleto jam de Templo Jeroſolymorum prophetico myſterio, ad Orientem adorare cœpit. Hanc conſuetudinem ex Apoſtolica non ſcripta traditione derivatam dicit S. Baſilius Magnus Lib. de Spiritu S. c. 27.: ubi recenſens conſuetudines, quæ etſi non ſcriptæ ſuo tempore obſervabantur: *Ut ad Orientem*, inquit, *verſi precemur, quæ nos docuit Scriptura?* Damaſcenus etiam Lib. 4. Fidei Orthod. c. 12. ait: *Non temerè, nec ſinè cauſa ad Orientem converſi adoramus*. Deinde aſſignans cauſas primò dicit: *Quoniam igitur Deus ſpirituale lumen eſt ac Chriſtus ſol Juſtitiæ & Oriens in Sa-*

cris Litteris appellatur; idcircò pars illa, quâ Sol oritur, ipſi adorationis ergo aſſignanda eſt. Deinde aliis expoſitis cauſis, nempè quòd Paradiſus, à quo expulſus Adam è regione Paradiſi habitare juſſus fuit: *Quo fit, ut veteris patriæ deſiderio defixis ad eam oculis, Deum adoremus*: Rursùs quòd Moyſis tabernaculum & propitiatorium ad Orientem velum habebat: quòd Tribus Juda cæteris præſtantior ad ortum Solis caſtrametabatur: quòd in Templo Salomonis Porta Domini ad Orientem ſita erat; deinde ſubdit: *Quin imò Dominus cùm in Cruce penderet, verſo ad Occaſum vultu erat: eaque de cauſa ita adoramus, ut in eum oculos intendamus. Rursùs cùm in Cœlum reciperetur versùs Orientem ferebatur, ſicque à Diſcipulis adoratus fuit, atque ita venturus eſt, ſicut eum in Cœlum euntem conſpexerunt. Quemadmodum ipſe Dominus dixit* (Matth. 24. v. 27.) „ Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem, ita erit & adventus filii hominis „. *Quocirca quia ejus adventum expectamus, ad Orientem adoramus. Eſt autem Apoſtolorum hæc traditio in Sacras Literas minimè relata. Complura enim illi nobis tradiderunt, quæ ſcriptis conſignata non fuere.* Ita Damaſcenus.

X. Prædictis rationibus, quarum alias alii Patres addidere, hanc adjungit S. Auguſt. L. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 5. *Cùm*, inquit, *ad orationem ſtamus, ad Orientem convertimur, unde Cœlum ſurgit: non tanquàm ibi habitet & Deus, quaſi cæteras mundi partes deſeruerit, qui ubique præſens eſt, non locorum ſpatiis, ſed majeſtatis potentiâ; ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, ideſt ad Deum, cùm ipſum corpus ejus, quod eſt terrenum, ad corpus excellentius ideſt ad corpus cœleſte convertitur. Convenit etiam gradibus religionis, & plurimùm expedit, ut omnium ſenſibus & parvulorum & magnorum benè ſentiatur de Deo. Et ideo qui viſibilibus adhuc pulchritudinibus dediti ſunt, nec poſſunt aliquid incorporeum cogitare; quoniam neceſſe eſt, Cœlum præferant terræ, tolerabilior eſt opinio eorum, ſi Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in Cœlo potiùs credant eſſe, quàm in terra, ut cùm aliquando cognoverint, dignitatem animæ cœleſte etiam corpus excedere, magìs eum quærant in anima, quàm in corpore etiam cœleſti* &c.

XI. Ad Orientem quoque Veteres Eccleſias & Templa erigere conſueverant. Hinc Tertullianus L. adv. Valentinianos cap. 3. de Eccleſia loquens: *Noſtræ*, inquit, *Columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper & apertis & ad lucem, amat figuram Spiritus Sancti Orientem Chriſti figuram.* Et S. Paulinus Epiſt. modò 32. (aliàs 12.) ad Severum de quadam Baſilica: *Proſpectus verò Baſilicæ*, inquit, *non, ut uſitatior mos eſt, Orientem ſpectat.* Atque adeò tenaces fuere priſci illi Fideles in hoc ritu reſpiciendi Orientem, ut non

ſolùm preces & Eccleſias ad Orientem verterent, ſed etiam ſuorum corpora defunctorum ſupina in ſepulchris facie ad Orientem conversâ collocarent. Atque hoc modo Corpus Chriſti conditum fuiſſe, putat Beda in Cap. 16. Marci, ubi ait: *Introeuntes ab Oriente in domum illam rotundam, quæ in petra eſt exciſa, viderunt Angelum ſedentem ad meridianam partem loci illius, ubi poſitum fuerat Corpus Jeſu: Hoc enim erat in dextris: quòd nimirùm Corpus, quod ſupinum jacens caput habebat ad Occaſum, dexteram neceſſe eſt habere ad Auſtrum.* Eodem modo condita fuiſſe Corpora Apoſtolorum Petri & Pauli, refert Iſidorus Hiſpalenſis de Vita & morte SS, c. 79. & 80. *Ibi contra Orientalem plagam* &c. Quod teſtatur quoque Durandus in Ration. Divin. Offic. cap. 7. dicens: *Debet autem quis ſic ſepeliri, ut capite ad Occidentem poſito, pedes dirigat ad Orientem, in quo quaſi ipſâ poſitione erat; & innuit, quòd promtus eſt, ut de Occaſu feſtinet ad Ortum, de mundo ad ſeculum.*

XII. Ritus iſte ad Orientem orandi etiam Romæ anno 443. ſervabatur; ſed cùm Manichæi & Priſcillianiſtæ tunc Romæ latentes eo abuterentur adorando Solem, S. Leo Magnus ad eos detegendos, ne fideles eorum errori velut communicantes traducerentur, talem Ritum interdixit. Ita ad dictum annum refert ex Baronio Spondanus num. 1, „ Cùm, inquit, ex majorum præſcripto
„ Chriſtiani Deum adorare conſueſcerent ad Orientem converſi:
„ quia tamen etiam idipſum factitabant, impiè Solem colentes,
„ Manichæi, interdixit (S. Leo) tunc Catholicis ejuſmodi ad
„ Orientem Solem uſum adorandi, ne quod commune cum Ma-
„ nichæis haberent, & ex eo ipſi Manichæi faciliùs detegerentur „.
Videri poteſt S. Leo Serm. 7. de Nat. Domini num. 4., ubi colligitur, eum generaliter non damnaſſe hunc ritum; ſed ſolùm in Eccleſia & Baſilica S. Petri, quæ cùm ad Occidentem verteretur, qui in ingreſſu ad Orientem adorare volebant, ad Aram ſeu Arcam terga vertere cogebantur. Hoc S. Leo exponit dicens: *Quod Chriſtiani adeò ſe religioſè facere putant, ut priùſquam ad B. Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant, ſuperatis gradibus quibus ad ſuggeſtum Arcæ ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe Solem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem ſe ſplendidi Orbis inclinent.* Quibus apparet, eum hunc ritum etiam prohibuiſſe, quia apud aliquos in ſuperſtitionem converſus erat, quaſi pluris facerent corporalem lucem, quàm Deum lucis auctorem.

XIII. Sed unde digreſſi ſumus revertamur. Elxai, qui Judaicis ritibus alioquin addictus erat, ſacrificia omnia velut Deo ingrata rejiciebat. Ita S. Epiphanius Hæreſ. 19. num. 3. *Sed cir-*

Digitized by Google

ſulatoris amentiam attende. Etenim Sacrificia penitùs condemnat, & à Deo aliena eſſe pronuntiat; ſimul negat illa unquam Deo in lege vel Patribus oblata, & tamen Jeroſolymam orantes intueri præcipit: ubi & altare quondam & ſacrificia fuerunt. Quibus ſecum pugnare nebulonem iſtum, ſicut & in aliis, ut infra, demonſtrat. Magiſtrum ſuum ſequebantur Elceſaitæ. Hi ergo ſi reprobarent ſacrificia, quæ ſuis Diis immolabant Pagani, de hoc laudandi eſſent: ſed cùm damnarent ſacrificia vero Deo in lege oblata; imò negarent ea unquam fuiſſe oblata, in primo impii erunt, & in ſecundo mendaces, cùm in Veteri Teſtamento paſſim memoria fiat varii ſacrificiorum generis, quæ Deo volenti ac præcipienti offerebantur.

XIV. Sacrificia ergo Deo ingrata non fuere, imò tanquam ſibi ſoli debita præcepit: quod probè ſciens Dæmon, illa Deo eripere, & ſibi uſurpare conatus fuit: quod notans S. Auguſtinus L. 1. contra Adv. Legis & Prophet. c. 18. *Unum*, inquit, *ſciant inſipientes, tardi ad intelligendum & præcipites ad reprehendendum, quòd Dæmon ſibi ſacrificium non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret: Falſus enim Deus ſic ſe vult honorari ab eis quos decipit, quomodo verus Deus ab eis quibus conſulit; & maximè ſacrificium eſt, quod præcipuè debetur Deo. Nam obſequia cætera, quæ Divinitati exhibentur, auſi ſunt ſibi etiam ſuperbiæ faſtu homines arrogare. Rariſſimi autem commemorantur, qui ſibi ut ſacrificaretur, cùm regiâ poteſtate poſſent, auſi fuerint imperare. Quicumque tamen auſi ſunt, per hoc ſe Deos haberi voluerunt. Sacrificiis autem Deum non egere, quis neſcit? Sed nec laudibus noſtris eget. Verùm ſicut nobis, non illi, utile eſt laudare Deum; ſic nobis, non illi, utile eſt offerre ſacrificium Deo.* Ita in Manichæis Elceſaitas confutat Auguſtinus.

XV. Illos etiam tacito nomine aggreditur S. Doctor L. 10. de Civit. Dei c. 19. his verbis: *Qui autem putant, hæc viſibilia ſacrificia Diis aliis congruere, illi verò tanquam inviſibili inviſibilia, & majori majora, melioriſque meliora, qualia ſunt puræ mentis, & bonæ voluntatis officia, profectò neſciunt, hæc ita eſſe ſigna illorum, ſicut verba ſonantia ſigna ſunt rerum. Quocirca ſicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus: ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe noverimus, quàm illi, cujus in cordibus noſtris inviſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus.*

Deveniens verò ad Sacrificia veteris Legis cap. 20. oſtendit, ea fuiſſe Deo accepta, quia & illa fuerunt ſigna veri Sacrificii Chriſti quo ſe ipſum obtulit, & cujus Sacramentum eſt quotidianum Eccleſiæ Sacrificium, dicens: *Unde verus ille Mediator, inquantum formam ſervi accipiens Mediator effectus eſt Dei & hominum homo Chri-*

ſtus

ſtus Jeſus, cùm in forma Dei Sacrificium cum Patre ſumat, cum quo & unus Deus eſt; tamen in forma ſervi Sacrificium maluit eſſe, quàm ſumere, ne vel hác occaſione quiſquam exiſtimaret, cuique ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & Sacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ Sacrificium, quæ cùm ipſius Capitis corpus ſit, ſe ipſam per ipſum diſcit offerre. Hujus veri Sacrificii multiplicia variaque ſigna erant Sacrificia priſca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut ſinè faſtidio multùm commendaretur. Huic ſummo veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falſa ceſſerunt. His S. Auguſtinus nedum Elceſeitas mirè confutat, ſed & monet recentiores Hæreticos, ne Euchariſtiam Eccleſiæ Sacrificium eſſe inficientur.

§. III.

Elceſeitarum errores de Fide, Virginitate, Incantationibus & Juramento.

I. Facto vel voce Deum ac fidem coram hominibus negare exteriùs liberum ac licitum eſſe, Elceſeitarum à ſuo Magiſtro hauſtus error erat. Hic enim, referente Epiphanio Hæreſ. 19. num. 3. *Negare Deum ſequaces ſuos edocuit, cùm execrandorum idololatriæ ſacrorum per ſimulationem participes eſſe ſuaſit. Tum luculentiùs iiſdem impoſuit, cùm ore tenus ejurari poſſe fidem, nec in eo crimen ullum eſſe dixit.* Hunc morbum inſanabilem pronuntiat Epiphanius: *Cùm enim os ipſum, quo confeſſio veritatis exprimitur, ad mendacium ſubornetur; quis iſtis credat, non vehementer ipſos decipi, cùm perſpicuè Divinis in Literis ex Sancti Spiritus afflatu præſcriptum ſit.* (Rom. 10. v. 10.) „ Corde ad juſtitiam credi, ore verò ad ſalutem confeſſionem fieri „ ? Hoc errore eum notat etiam ex Origene Euſebius L. 6. Hiſt. c. 38. his verbis: *Docet præterea, indifferentem rem eſſe Chriſtum abnegare; & eum qui ſapit, ore quidem tenus in ipſo diſcrimine negaturum eſſe, ſed non ex animi ſententia.* Primus qui hunc errorem induxit fuit Simon Magus, quem poſtea ejuſdem furfuris alii ſecuti fuere: contra quos egi.

II. At non adverterunt errones iſti, quòd Chriſtus Matth. 10. v. 33. dixit: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in Cœlis eſt.* Ubi dum ait *coram hominibus*, de eo loquitur, qui facto vel voce ipſum exteriùs negat. Nec eos juvat dicere, ſe corde eum non negare, ſed voce tantùm. Nam ſi licet in corde loqui veritatem in ore mendaci, licebit etiam

coram

Digitized by Google

coram perſecutoribus retentâ in corde veritate mendacium ore proferre, ut ita intùs Chriſtianus ſit maneatque, foris verò Paganus evadat: *Quæ ſententia* (inquit S. Auguſtinus Lib. contra Mendacium c. 2.) *Sanctos Martyres exhonorat, immo verò aufert ſancta omninò martyria. Juſtiùs enim ſapientiùſque facerent, ſecundùm iſtos, ſi perſecutoribus ſuis non ſe confiterentur eſſe Chriſtianos, nec eos ſuâ confeſſione facerent homicidas: ſed potiùs mentiendo & negando quod erant, & ipſi ſalvum haberent carnis commodum, cordiſque propoſitum, & illos conceptum animo ſcelus implere non ſinerent.* Ineptè ergo, ne dicam injuſtè ſecundùm iſtos egiſſent Martyres, qui cùm poſſent exteriùs negando fidem, eâ corde retentâ & propriam tueri vitam, & perſecutorum ſcelus impedire, & hoc ſinè injuria Dei, hoc non fecerunt: ac propterea meritò ſtultos eos (ut alibi dixi ex Lact. L. 5. Divin. Inſt. c. 19.) appellaſſent Pagani, quando cùm poſſent incolumes tribus digitis thura apprehenſa in focum jactare, mallent ſe ipſos perdere.

III. At contra iſtos mendacii patronos inſurgunt tot millia ex omni ſexu & ætate, qui, ut integro Tomo præcedenti demonſtravi, ne Chriſtus coram Patre eos negaret in Cœlis, etiam cum vitæ diſpendio confiteri eum maluerunt coram hominibus in terris; & dicent cum S. Auguſtino L. de Fide & Symbolo c. 1. *In ſempiterna juſtitia regnaturi à præſenti ſeculo maligno ſalvi fieri non poſſumus; niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus.* Et ſanè quantum non ſolum ipſis, ſed univerſæ Eccleſiæ in confitendo fidem ore quam corde geſtabant, profuerint, ea quæ in præcedente Tomo dixi evidenter oſtendunt. Quare meritò Tertullianus in Apologet. cap. 27. contrariam ſententiam non ab alio quàm à Diabolo, Fidelium ſaluti & gloriæ Chriſti invidente, inſpiratam fuiſſe hiſce verbis pronuntiat: *Sed quidam dementiam exiſtimant, quòd cùm poſſimus & ſacrificare in præſenti, & illæſi abire, manente apud animum propoſito, obſtinationem ſaluti præferamus. Datis ſcilicet conſilium, quo vobis abutamur. Sed agnoſcimus unde talia ſuggerantur, quis totum hoc agitet, & quomodo nunc aſtutiâ ſuadendi, nunc duritiâ ſæviendi, ad conſtantiam noſtram dejiciendam operetur. Ille ſcilicet ſpiritus dæmoniacæ & angelicæ paraturæ, qui noſter ob divortium æmulus, & ob Dei gratiam invidus, de mentibus veſtris adversùs nos præliatur, occultâ inſpiratione, modulatis & ſubornatis ad omnem, quam in primordio exorſi ſumus, & judicandi perverſitatem, & ſæviendi iniquitatem.* Ita Tertullianus.

IV. In patrocinium ſui afferebat Elxai exemplum cujuſdam Phinees Sacerdotis, qui ſub Dario Rege, adorans Dianam, periculum

riculum vitæ evaſit. Refert hoc Epiphanius Hæreſ.19. num. 2. his verbis: *Adducit & hujus rei teſtem Veterator Phineem quemdam Sacerdotem è Levitico genere, de Aaronis ac Veteris illius Phinees ſtirpe: qui regnante Dario, in captivitate Babylonica Suſis, adoratâ Dianâ, periculum capitis effugit*,, Sed jure Epiphanius ſubdit,,. *Ita ejus omnia falſa ſunt ac ridicula commenta*. Ubi enim in Sacra Hiſtoria legit, hunc Phineem juniorem ſub Dario vel unquam extitiſſe? ubi ſub Dario aliquem ex Judæis Dianam adorare coactum fuiſſe didicit? Duplicis Phinees Scriptura meminit: unius Eleazari filii, Aaronis nepotis, Summi Sacerdotis tertii; alterius filii Heli: neuter tamen nec ullus ſub Dario vixit. Nec ſub Dario Judæorum quiſpiam Dianam adorare coactus legitur. Ab eo in cauſa Religionis unicum prodiit Edictum,ſcilicet de non adorando Deum, niſi ad mandatum ipſius. Quâ ſtante lege ſolus Daniel inſtigantibus Satrapis, Dario vel invito, ut legitur c.6. in Lacum Leonum miſſus fuit. Cæterùm quàm averſi fuerint Judæi à ſimulanda falſa religione, teſtantur omnes illi, qui L.2. Machab. mortem potiùs ſubire voluerunt. Et maximè factum Eleazari ſcribæ ac ſenis, quod narratur c.6., qui maluit mori quàm ſuillas carnes etiam per ſimulationem guſtare.

V. Afferre poſſunt exemplum Jehu, qui re verâ ſimulavit ſe eſſe cultorem Baal 4.Reg.c.10.;qui tamen à Deo laudatur ibi v.30. *Quia ſtudiosè egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filii tui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael*.

At reſpondetur, laudari à Deo Jehu, non propter ſimulationem, ſed quia paruit Deo præcipienti, ut deſtrueret domum Achab, & ob hoc temporalem ei remunerationem promiſit. Et ideo Deus opus bonum quia à ſe præceptum laudavit, & temporali premio muneravit, non tamen modum & animum quo Jehu illud executus fuit. De hoc egi Tom.1. in 1. 2. q.3. de Act. moralit. Dub.4. §.3. num.11., ubi etiam Dub.7. §. 3. alia exempla, quæ mendacium excuſare videntur protuli, & pro veritate reſpondi. Ac demum materiam hanc fusè tractavi Tomo 1. in 2. 2. Quæſt.4. de actu externo Fidei Dub. 3. & 4. quæ videri poſſunt; dum interim ad ulteriora procedam. Hoc uno concludere placet, quòd Elceſaitæ, qui ſe teneri dare pro Chriſto vitam negabant, eam dare pro quacumque de ſtirpe ſui Elxai parati erant: ait enim Epiphanius Hæreſ. 53. *Pro Elxai verò ſtirpe morti ſe ſe committere non dubitant*. Nec mirum: de Chriſto enim nimis abjectè ſentiebant: *Chriſtum* (inquit Epiphanius ibidem) *verbo tenus confitentur, quem creaturam eſſe putant*, ut ſuperiùs dixi; & de Elxai eorum magi-

magiſtro Hæreſ. 19. n. 3. idem Epiphanius: *Chriſtum*, inquit, *licèt nomine ipſo fateatur, cùm ita loquitur*, „ Magnus Rex eſt Chriſtus „: *utrum id tamen de Chriſto Jeſu Domino noſtro pronuntiaverit, ex fraudolento illo adulterinoque libro, quem de nugis ſuis edidit, nondum animadvertere potui. Neque enim iſtud diſertè ſignificat; ſed Chriſti nomen ſimpliciter appellat; quaſi alterum, quantum intelligimus, indicet vel expectet* (ut Judæi).

VI. Virginitatem inſuper & continentiam nullius eſſe pretii aſſerebant: ita nimirum ab Elxai principe ſuo edocti, de quo Epiphanius Hæreſ. 19. n. 1. *Præterea*, inquit, *virginitatem odit, continentiam damnat, & ad ineundas nuptias compellit*. In hoc errore Elceſeitæ æmulabantur Nicolaitas, Gnoſticos, & maximè Baſilidem de quibus ſupra: quem etiam noſtrorum temporum Hæretici amplexati ſunt. Contra quos cùm fusè egerim in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1. art. 5., & in Colloquiis Theologico-Polemicis Claſs. 1.; propterea paucis hîc me expediam: eo vel maximè, quia cùm Paulum eximium continentiæ præconem repudient, & Chriſti ipſius dictis, qui Matth. 19. ut præſtantiores pronuntiat eos *qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum*, eam, quam volunt, adhibent fidem; tempus inutiliter terere exiſtimarem, ſi ex eorum teſtimonio contra illos agere vellem.

VII. Quid ergo faciam? Paganos adversùs eos movebo, ut videant quanto apud eos in pretio fuerit Virginitas. Romani, qui certè Pagani erant, S. Hieronymo Lib. 1. adv. Jovin. teſtante, Virgines præ cæteris in honore habebant, cujus maximum ſignum eſt, quòd Conſules & Imperatores & in curribus triumphantes, qui de ſuperatis gentibus trophæa referebant, ſolis eis, nempe Virginibus, de via cedere ſoliti eſſent. Veſtales Virgines tanti faciebant, adeòque de earum cuſtodienda virginitate zelatores rigidi erant, ut vel ipſa violatæ ſuſpicio reatus eſſet ad mortem. Unde Claudia Veſtalis de hoc falsò accuſata, ut ſuæ innocentiæ perhiberet teſtimonium, fertur cingulo duxiſſe navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant. Et referente Valerio Maximo Lib. 8. c. 1. Tatia Veſtalis de ſtupro delata, ut injuſti criminis falſitatem demonſtraret, de Tyberi cribro aquam hauſit, & nec guttâ defluente, publicè aſportavit: Deo etiam miraculis atteſtante, Virginitatem quamvis in Paganis feminis poſitam ſibi placere: ideoque Romani Sacerdotes Veſtæ, quæ omnes Virgines erant, præ cæteris venerabantur. Sybillarum etiam, quas decem Varro fuiſſe dicit, *inſigne Virginitas fuit, & Virginitatis præmium divinatio*. Hæc & alia S. Hieronymus: ex quibus apparet, quanti etiam apud Ethnicos fieret Virginitas. quæ ideo ſe collegiſſe dicit, ut

ut os adverſariis obſtrueret, qui dicebant hoc genus, nempe Virginitatis ſervandæ, numquam apud Mundi Sapientes fuiſſe probatum, & novum dogma contra naturam Religionem noſtram prodidiſſe. Cætera apud eumdem S. Hieronymum percurrenda relinquo.

VIII. Virginitatem præſtantiorem eſſe nuptiarum uſu, idem S. Hieronymus dicto L. 1. adv. Jovin. indè oſtendit, quòd Adam & Eva licèt in Paradiſo à Deo conjuncti, in Paradiſo tamen virgines permanſerunt, & ſolùm ejecti è Paradiſo copulati ſunt: unde ait: *Ejiciuntur de Paradiſo, & quod ibi non fecerunt, in terra faciunt, ut ſtatim à principio conditionis humanæ, Virginitatem Paradiſus, & terra nuptias dedicaverit.* Virginitatis præſtantiam toto Libro de Sancta Virginitate extollit S. Auguſtinus, ex quo S. Thomas 2. 2. q. 152. art. 4. ſequentes rationes deducit: poſtquam enim dixit, fuiſſe errorem Joviniani, qui poſuit, Virginitatem non eſſe matrimonio præferendam, ſubjungit: *Qui quidem error præcipuè deſtruitur, & exemplo Chriſti, qui & Matrem Virginem elegit, & ipſe Virginitatem ſervavit; & ex doctrina Apoſtoli, qui 1. ad Cor. 7. Virginitatem conſulit tanquam melius bonum. Et etiam ratione: tum quia bonum Divinum eſt potiùs humano bono: tum quia bonum animæ præfertur bono corporis: tum etiam quia bonum contemplativæ vitæ præfertur bono activæ. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ ſecundùm vitam contemplativam, quod eſt cogitare ea quæ ſunt Dei. Conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod eſt corporalis multiplicatio generis humani, & pertinet ad vitam activam; quia vir & mulier in matrimonio viventes, neceſſe habent cogitare quæ ſunt mundi, ut patet per Apoſtolum 1. Cor. 7. Unde indubitanter Virginitas præferenda eſt continentiæ conjugali.* Ita S. Thomas.

IX. Attamen (inquit idem S. Doctor ibidem ad primum) *meritum non ſolùm penſatur ex genere actus, ſed magìs ex animo operantis. Habuit autem animum Abraham ſic diſpoſitum, ut paratus eſſet Virginitatem ſervare, ſi eſſet tempori congruum. Ex quo meritum continentiæ conjugalis in ipſo æquatur merito continentiæ virginalis in Joanne reſpectu præmii ſubſtantialis, non autem reſpectu præmii accidentalis. Unde Auguſtinus dicit in Libro de Bono conjugali* c. 21. *quòd* „ Joannis cœlibatus, & Abrahæ connubium pro temporum „ diſtributione Chriſto militaverunt: ſed continentiam Joannes „ & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat „. Inſuper ex eodem S. Auguſtino infert S. Thomas ibi ad 2., fieri poſſe, ut conjugatus ex parte perſonæ melior ſit, quàm virgo: puta ſi habeat animum ad virginitatem ſervandam magìs paratum, quàm ille, qui eſt actu virgo. Vel ſi fortè ille qui non eſt actu virgo habeat

beat aliquam excellentiorem virtutem. Hoc ex S. Auguſt. L. de Bono Conjugali c.22. & Lib. de Virginitate c.44.

X. Monet tamen idem S. Th. ibi in arg. Sed contra ex S. Auguſt. Lib. de Virginit. c. 19. Non ita præferendam eſſe Virginitatem nuptiis, ut nuptias damnemus; ſicut enim Elceſeitæ Virginitati contrarii modò apparent, ita ex oppoſito Severus, Tatianus & Encratitæ, contra quos ſupra egi, Nuptias ut Diaboli inventum reprobabant. *Nam* (inquit S. Auguſt. loco mox citato) *cùm error uterque ſit, vel æquare ſanctæ Virginitati nuptias, vel damnare: nimis invicem fugiendo, duo iſti errores adverſâ fronte confligunt, quia veritatis medium tenere noluerunt, quo & certâ ratione, & Sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum eſſe nuptias invenimus, nec eas bono, vel virginalis continentiæ vel etiam vidualis æquamus. Alii quippe appetendo virginitatem, nuptias tanquam adulterium deteſtandas eſſe putaverunt: alii verò defendendo connubium, excellentiam perpetuæ continentiæ nihil mereri ampliùs quàm conjugalem pudicitiam voluerunt; quaſi vel Suſannæ bonum Mariæ ſit humiliatio, vel Mariæ majus bonum Suſannæ debeat eſſe damnatio.* Ita S. Auguſtinus.

XI. Magiæ & Incantationibus, necnon Dæmonum invocationibus deditos fuiſſe Elceſeitas ſcribit Theodoritus Lib. 2. Hæret. Fab. c. 2. his verbis: *Incantationibus autem, & Dæmonum invocationibus & baptiſmatibus hi quoque uſi ſunt in elementorum confeſſione. Aſtrologiam autem & Magicam, & Mathematicum errorem amplectebantur, & ſe ipſos Prognoſticos appellabant.* Ita etiam Nicetas refert. Huic errori facem prætulit Simon Magus, quem poſtea alii & maximè Baſilides imitati ſunt, contra quos ſupra egi. Adversùs dæmoniacam Magiam inſurgit S. Auguſtinus L. 8. de Civit. Dei c. 17. oſtendens ſummam eſſe dementiam aliquâ religione Dæmonibus ſubdi, à quibus ne illis ſimiles ſimus, per veram Religionem liberamur; & poſt multa concludit: *Quæ igitur cauſa eſt, niſi ſtultitia errorque miſerabilis, ut ei te facias venerando humilem, cui te cupias vivendo diſſimilem, & religione colas, quem imitari nolis; cùm religionis ſumma ſit, imitari quem colis?*

Lib. autem 9. de Civit. Dei cap.22., ubi aſſignat differentiam inter ſcientiam Sanctorum Angelorum & ſcientiam Dæmonum, oſtendit, iſtos in cognitione futurorum ſæpè falli, non autem Sanctos Angelos, quia hi eo bono quo boni ſunt ex toto perfruuntur. *Et ideò certiùs temporalia & mutabilia iſta noverunt; quia eorum principales cauſas in Verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt Mundus: quibus cauſis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas temporum cauſas,*

Digitized by Google

& quodammodo cardinales in ſapientia Dei contemplantur, ſed quorumdam ſignorum nobis occultorum majore experientiâ multò plura quàm homines futura proſpiciunt. Diſpoſitiones quoque ſuas aliquando prænuntiant. Denique ſæpè iſti, nunquam illi omnino falluntur. Aliud eſt enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia conjectare, eiſque temporalem & mutabilem modum ſuæ voluntatis & facultatis inſerere, quod Dæmonibus certâ ratione permiſſum eſt: aliud autem in æternis atque incommutabilibus Dei Legibus, quæ in ejus ſapientia vivunt, mutationes temporum prævidere, Deique voluntatem, quæ tam certiſſima quàm potentiſſima eſt omnium, ſpiritus ejus participatione cognoſcere, quod Sanctis Angelis rectâ diſcretione donatum eſt.

XII. Hoc S. Auguſtini ratiocinio magìs magìſque apparet fallacia & vanitas Aſtrologiæ, quam vocant Judiciariam, quâ aliqui ex ſideralibus aſpectibus horoſcopos formare & futuros cuique eventus præſagire conantur. Si enim Dæmones, quamvis majori cognitione præditi, quia tamen eorum cognitio temporalibus, mutabilibus, & non certis cauſis innititur, ſæpè falluntur: quid præſumet homo, qui præfatas cauſas nec certò explorare poteſt, cujus lumen etiam dæmoniaco valdè deficiens eſt? At eſtò cauſas illas exactè penetraret, cùm tamen incertum dicant ordinem ad eventum, qui ab aliis ignotis cauſis impediri poteſt; quomodo de de eo quod eventurum ſit, judicium certum formare poterit? Exponit hoc S. Auguſt. L. 1. de diverſis Quæſt. ad Simplicianum qu. 1. n. 3. in Eſau & Jacob ab eodem patre eodem tempore ſatis, eâdem matre conceptis, eodem tempore natis, & conſequenter ſub eodem ſiderali aſpectu poſitis: nonnè de utroque eoſdem eventus aſtrologus prædixiſſet? Et tamen quanta diverſitas inter utrumque fuit, quia æterna & immutabilis cauſa de uno aliter ac de altero diſpoſuerat.

At Aſtrologorum error (advertit idem S. Doctr L. 5. de Civit. Dei c. 7.) indè etiam procedit, quòd advertere nolunt, ſub eodem ſiderali aſpectu alia plura oriri, quorum tamen diverſus eventus eſt. Cujus naturale & frequens exemplum proponens ait: *Nec illud volunt advertere, quòd electo ad ſeminandum agrum die, tam multa grana in terram ſimul veniunt, ſimul germinant, exortâ ſegete ſimul herbeſcunt, pubeſcunt, flaveſcunt, & tamen indè ſpicas cæteris coævas, atque, ut ita dixerim, congerminales, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. Quomodo iſtis alias conſtellationes fuiſſe dicturi ſunt, quas tam diverſos exitus habere conſpiciunt? An eos pœnitebit his rebus dies eligere, eaſque ad cæleſte negabunt pertinere decretum, & ſolos ſideribus ſubdent ho-*

homines, quibus ſolis in terris Deus dedit liberas voluntates? Quaſi dicat: Si Aſtrologi divinari neſciunt quæ naturaliter eventura ſunt, quomodo prædicere audent ea quæ ex libera hominum pendent voluntate, quæ ſideribus non ſubeſt? Concludit ergo: *His omnibus conſideratis, non immeritò creditur, cùm Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus atque firmare, non horoſcopi notati atque inſpecti aliquâ arte, quæ nulla eſt.* Ita S. Auguſtinus contra Elceſaitas, & alios ſimiles.

XIII. De divinatione & variis eam exercendi modis agit doctè ut de more S. Thomas 2. 2. totâ quæſt.95., ubi art. 1. dicit, quòd futura dupliciter prænoſci poſſunt: uno quidem modo in ſuis cauſis, alio modo in ſe ipſis. Cauſæ autem futurorum aliæ producunt effectus ſuos ex neceſſitate & ſemper, & hujuſmodi effectus poſſunt per certitudinem prænoſci & prænuntiari, ſicut Aſtrologi prænuntiant eclipſes futuras: quædam producunt ſuos effectus, non ex neceſſitate & ſemper, ſed ut in pluribus, rarò tamen deficiunt; & per hujuſmodi cauſas poſſunt prænoſci effectus futuri, non quidem per certitudinem, ſed per quandam conjecturam, ſicut Aſtrologi per conſiderationem ſtellarum quædam prænoſcere & prænuntiare poſſunt de pluviis & ſiccitatibus, & medici de ſanitate vel morte. Quædam verò ſunt cauſæ, quæ ſi ſecundùm ſe conſiderentur, ſe habent ad utrumlibet, quod præcipuè videtur de potentiis rationalibus: & harum effectus in ſuis cauſis prænoſci non poſſunt, cùm non habeant determinatam inclinationem ad ipſos.

Et ideò, pergit S. Doctor, *effectus hujuſmodi prænoſci non poſſunt, niſi in ſe ipſis conſiderentur. Homines autem in ſe ipſis hujuſmodi effectus conſiderare poſſunt ſolùm dum ſunt præſentes, ſicut cùm homo videt Socratem currere vel ambulare: ſed conſiderare hujuſmodi in ſe ipſis antequam fiant eſt Dei proprium, qui ſolus in ſua æternitate videt ea quæ futura ſunt quaſi præſentia ... Unde dicitur Iſaiæ* 41. „ Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos „. *Si quis ergo hujuſmodi futura prænuntiare, aut prænoſcere quocumque modo præſumſerit, manifeſtè uſurpat ſibi quod Dei eſt. Et ex hoc aliqui* Divini *dicuntur. Unde dicit Iſidorus in Lib.*8. *Etymolog. c.*9. „ Divini dicti, quaſi Deo pleni: Divinitate „ enim ſe plenos ſimulant, & aſtutiâ quâdam fraudolentiæ, ho- „ minibus futura conjectant „.

Dicit tamen S. Th. ibidem art. 5. ad 2. *Quòd hoc quod Aſtrologi ex conſideratione aſtrorum frequenter vera prænuntiant, contingit du-*

dupliciter. Uno quidem modo, quia plures hominum paſſiones corporales ſequuntur: & ideo actus eorum diſponuntur ut in pluribus ſecundùm inclinationem cœleſtium corporum; pauci autem ſunt, ideſt ſoli ſapientes, qui ratione hujuſmodi inclinationes moderentur: & idcircò Aſtrologi in multis vera prænuntiant, & præcipuè in communibus eventibus, qui dependent ex multitudine. Alio modo propter Dæmones ſe immiſcentes. Unde Auguſt. in 2. ſuper Geneſ. ad litt. c.17. dicit „ Fatendum eſt, quando à Mathematicis vera dicuntur, inſtinctu quodam occultiſſimo dici, quem neſcientes humanæ mentes patiuntur: quod tamen ad decipiendos homines fit ſpirituum immundorum & ſeductorum operatione, qui quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittuntur „. *Et concludit* „ Quapropter bono Chriſtiano, ſive Mathematici, ſive quilibet impiè divinantium, & maximè dicentes vera, cavendi ſunt; ne conſortio Dæmoniorum animam deceptam pacto quodam ſocietatis irretiant „. Monita hæc ex SS. Thoma & Auguſtino ſufficiant.

XIV. Deſipiebant tandem Elceſeitæ, quia in Juramento non Deum, ſed Aquam, Terram, Salem, Panem, Cœlum, Æthera, & Ventum, & alios adhibendos eſſe in teſtes dicebant. Ita S. Epiphanius Hæreſ. 19. n. 1. ubi de Elxai: *Inter alia*, inquit, *per Salem ac Terram, Panem, Cœlum, Æthera, Ventumque velut Numina dejerare juſſit. Interdum ſeptem alios teſtes definit, nimirùm, Cœlum, Aquam, & Spiritus, Sanctos orationis Angelos, Oleum, Salem, & Terram*. Et Hæreſ. 53. n. 1. ait de Samſæis: *Aquam magnopere venerantur, ac propemodum inſtar Numinis habent, quòd ab ea propagatam eſſe vitam aſſerunt*.

XV. Porrò jurare per alium quàm per Deum vetitum legitur æquè ac adorare alium quàm Deum. Sic Exodi 23. v. 13. *Et per nomen externorum Deorum non jurabitis*. Et generaliter per quamcumque creaturam jurare vetuit Dominus Matth. 5. v. 33. &c. *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis: Reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò neque per Cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per Terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus; neque per Jeroſolymiam, quia Civitas eſt magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum*. Quod ideò dixit teſte S. Hieronymo in dictum cap. 5. Matth., quia *Hanc per elementa jurandi peſſimam conſuetudinem ſemper habere Judæi noſcuntur, ſicut Propheticalis eos frequenter arguit ſermo. Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat. In Lege præceptum eſt ut non juremus, niſi per Dominum Deum noſtrum. Judæi per Angelos, & urbem Hie-*

Digitized by Google

Hieruſalem, & Templum, & elementa jurantes, creaturas reſque carnales venerabantur honore & obſequio Dei. Addit S. Epiphanius Hæreſ. 19. n. 6., quòd Chriſtus etiam hoc dixit: quòd *exiſtere certi homines deberent* (ut Elceſeitæ) *qui alia uſurpare in dejerando nomina ſuaderent*.

XVI. Quomodo autem non liceat per creaturas jurare exponit S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 6. his verbis: *Duplex eſt juramentum. Unum quidem quod fit per ſimplicem conteſtationem, inquantum ſcilicet teſtimonium Dei invocatur. Et hoc juramentum innititur Divinæ veritati ſicut & Fides; Fides autem eſt per ſe quidem & principaliter de Deo, qui eſt ipſa veritas; ſecundariò autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet... & ſimiliter juramentum principaliter refertur ad ipſum Deum, cujus teſtimonium invocatur. Secundariò autem aſſumuntur ad juramentum aliquæ creaturæ, non ſecundùm ſe, ſed inquantum in eis Divina veritas manifeſtatur. Sicut juramus per Evangelium, ideſt per Deum, cujus veritas in Evangelio manifeſtatur, & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt & obſervaverunt*. Judæi autem non hoc modo per creaturas jurabant, ſed ita jurabant, ut eis Divinum honorem deferrent, ut ibi dicit ad primum.

XVII. *Alius autem modus jurandi* (proſequitur S.Th.) *eſt per execrationem. Et in hoc juramento inducitur creatura aliqua, ut in qua Divinum judicium exerceatur. Et ſic ſolet homo jurare per caput ſuum, aut per filium ſuum, aut per aliam rem, quam diligit: ſicut & Apoſtolus juravit 2. ad Cor. 1. dicens* „ Ego teſtem Deum invoco in animam meam „. *Quod autem Joſeph per ſalutem Pharaonis juravit, utroque modo intelligi poteſt: vel per modum execrationis, quaſi ſalutem Pharaonis obligaverit Deo: vel per modum conteſtationis, quaſi conteſtando veritatem Divinæ juſtitiæ, ad cujus executionem Principes terræ conſtituuntur*. Ita S. Thomas rem hanc exponit.

XVIII. Similiter, ne ex illis Chriſti verbis *Ego autem dico vobis, non jurare omninò*, deducat aliquis, omninò non licere, idem S.Thomas dicta q. 89. art. 2. oſtendit, Juramentum ſecundùm ſe eſſe licitum & honeſtum; tum ex origine, quia eſt introductum ex fide, quâ homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem & proviſionum. Tum ex fine, quia juramentum inducitur ad juſtificandos homines, & ad finiendum controverſias, ut dicitur Hebr. 6. Juramentum autem cedit in malum ei, qui malè utitur eo, ideſt ſinè neceſſitate, & cautela debita. Et ibidem ad 1. inducit S.Auguſtinum L. de Mendacio cap. 15. dicentem: *Apoſtolus in Epiſtolis ſuis jurans oſtendit*, *quo-*

quomodo accipiendum eſſet, quod dictum eſt „ Dico vobis non jurare omninò „: *ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate jurandi ad conſuetudinem, & à conſuetudine in perjurium decidatur: Et ideò non invenitur juraſſe niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem.* Ita ex S. Auguſt. S. Thomas qui dictâ q. 89. plura alia de Juramento reſolvit, quæ Lectori videnda relinquo; Cùm rei præſentis ſolùm ſit ſtatuere, quòd jurare per creaturas Elceſeitarum more non liceat.

CAPUT XXIX.

De Theodotianis ſeu Theodotiis.

§. I.

Theodoti lapſus & hæreſis.

I. AUCTOREM hujus Sectæ, à quo nomen accepit & errorem, S. Auguſtinus Hæreſi 33. *Theodotionem* appellat. At S.Epiphanius Hæreſ. 54., Theodoritus L.2. Hæret.Fab., Auctor Append. ad Lib. Præſcript. Tertulliani c. 53., & Euſebius L. 5. Hiſt. c. 28. eum vocant *Theodotum*. Theodotus iſte (de quo ſupra cap.26. §.1. n. 5. aliqua dixi) Patriâ Byzantinus, artè Coriarius, profeſſione Chriſtianus, literis apprimè eruditus fuit. De hoc Epiphanius: *Theodotus*, inquit, *iterum neſcio quis emerſit, velut appendix quædam illius hæreſis, quam Alogorum nomine comprehendimus, quæ Joannis Evangelium, & Deum illum Verbum, quod à principio ibidem fuiſſe dicitur, necnon & Apocalypſim reſpuit. A quo Theodotiani nomen acceperunt ... Theodotus igitur iſte Byzantio oriundus, quæ hodie Conſtantinopolis dicitur, arte Coriarius erat, homo apprimè literis eruditus.* Theodoritus verò ait: *Etiam Theodotus Byzantinus Coriarius, idem cum eo* (Artemone) *ſentiens alii ſodalitati præfuit.* Theodotus autem iſte alius fuit à Theodoto Argentario, qui Coriarii potiùs diſcipulus fuit. Sic enim apud Euſebium L.5. c.28. legitur de Aſclepiodate, & Theodoto Argentario: *Ambo autem diſcipuli erant Theodoti illius Coriarii.*

II. Cauſa defectionis Theodoti Coriarii fuit, quòd vigente perſecutione captus, & à Judice interrogatus Chriſtum negavit: cùmque de hoc argueretur, in ſui excuſationem dixit, ſe hominem negaſſe, non Deum, atque indè Chriſtum eſſe purum hominem effutire cœpit. Ita de Theodoto S. Epiphanius citato loco: *Qui*, inquit, *cum aliis pleriſque ineunte perſecutione comprehenſus (quæ-*

Digitized by Google

nam verò ea perſecutio fuerit nondum comperi) ſed tum ab Vrbis Præfecto cum pluribus correptus, cùm de omnibus quæſitio ob Chriſti nomen haberetur, cæteri ſiquidem Dei famuli reportatá victoriá cæleſte præmium conſecuti ſunt, martyrio pro Chriſto perfuncti: At ille Chriſtum negans, & à ſcopo veritatis excidens, transgreſſor eſt factus. Quá ex re cùm probro omnium appetitus pudorem ſuſtinere non poſſet, relictá patriá, profugus Romam contendit, & illic habitavit.

Sed & Romæ à quodam agnitus in eandem ignominiam incidit; cùm qui illum ob inſignem eruditionem noverant, ob id eum incuſaſſent, quòd homo excellenti doctriná præditus à veritate excidiſſet. Quare ad ſui excuſationem vanum dogma commentus eſt, atque ita jactare cœpit. Ego, inquit, non Deum negavi, ſed hominem. Interrogatus, quem demum hominem? Chriſtum, inquit, hominem negavi. Hinc prædicandæ falſæ hujus opinionis occaſionem accepit, ut & Theodotiani, quorum ille auctor extitit, qui nudum hominem eſſe Chriſtum aſſerunt, atque ex humano ſemine genitum. Hactenus Epiphanius.

III. In hac defectionis Theodoti Coriarii cauſa conveniunt: Auctor Appendicis ad L. de Præſcript. c. 53. *Accedit*, inquit, *his Theodotus hæreticus Byzantinus, qui poſteaquàm pro Chriſti nomine comprehenſus negavit, in Chriſtum blaſphemare non deſtitit; doctrinam enim introduxit, quá Chriſtum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret: ex Spiritu quidem Sancto natum, ex Virgine, ſed hominem ſolitarium atque nudum, nullá aliá præ cæteris, niſi ſolá juſtitiæ auctoritate*. In quo ab Epiphanio ſolùm diſſentit, quòd Chriſtum non ex humano ſemine, ſed ex Spiritu Sancto ex Virgine natum, Theodotum aſſeruiſſe dicit. Quod & Theodoritus Lib. 2. Hæret. Fab. in Artemone Theodoti in errore ſocio aſſerit. S. Auguſtinus L. de Hæreſ. c. 33. *Theodotiani à Theodotione* (in Maurina edit. *Theodoto*) *quodam inſtituti, hominem tantummodo Chriſtum aſſeruerant. Quod dicitur idem Theodotus propterea docuiſſe, quia in perſecutione lapſus iſto modo ſe caſus ſui devitare putabat opprobrium, ſi non Deum negaſſe, ſed hominem videretur.*

Damaſcenus etiam Hæreſ. 54. *Theodotiani*, inquit, *à Theodoto Coriario Byzantino dicti. Hic græcis artibus apprimè inſtitutus cum aliis quibuſdam in ea, quæ tunc ſæviebat, perſecutione, comprehenſus, cùm ſocii ejus omnes propter Deum martyrium ſubiiſſent, fidem ſolus ejuravit. Ob idque probris appetitus, id excogitavit, ut Chriſtum nudum eſſe hominem aſſereret, ne crimini ſibi verteretur, quòd Deum abnegaſſet*. Ferè eadem refert Philaſter Hæreſi 50.

 IV. Cùm

IV. Cùm ergo, ut ſupra cap.26. §.1. indicavi, Theodotus iſte errorem ſuum primus (Romæ quidem) evulgare cœpiſſet, Victor tum Romanus Pontifex, novitate commotus, cùm Romana præſertim Eccleſia ab Apoſtolis uſque ad ea tempora Chriſtum verum Deum & hominem illibatè confeſſa fuiſſet, ut apud Euſebium L.5. Hiſt. c. 28. oſtendit ignotus Auctor (quem Cajum eſſe putat Photius Cod.48.), Theodotum ab Eccleſiæ communione ejecit. Idem refert Theodoritus L. 2. Hær. Fab. dicens: *Eum beatiſſimus Victor Romanorum Epiſcopus abdicavit & excommunicavit, cùm utique decret a Eccleſiæ conatus eſſet adulterare.*

V. Cajus, ſeu quiſquis ſit Auctor apud Euſebium Lib. 5. c. 28., poſtquam dixit, Theodotum ob prava dogmata quæ Romæ ſpargebat, fuiſſe per Victorem ab Eccleſia ejectum, ſubjungit: *Ac de Victore quidem ita res ſe habet. Qui cùm decem annis ſacerdotium adminiſtraſſet, Zephyrinus ei ſucceſſor ſubſtitutus eſt anno Principatus Severi circiter nono.* Ex hoc certum quidem ſit, Theodotum ſub Victore jam factum hæreticum errorem ſuum Romæ ſeminaſſe, ſed æquè incertum manet tempus, quo in perſecutione lapſus hæreſim evulgare cœpit: & adeò incertum, ut Epiphanius ipſe illi ætati vicinior dicere non erubuerit, ſe neſcire in qua perſecutione lapſus fuerit: *Quænam verò hæc perſecutio fuerit, nondum comperi.* Ita Hæreſ.54. num.1. Non enim fuiſſe perſecutionem ſub Severo contendunt aliqui: quia hæc excitata fuit anno Imperii ejus decimo, qui ſecundùm aliquos fuit annus Chriſti 202., quo anno Victor jam obierat: unde ſi in hac perſecutione Chriſtum Theodotus negaſſet, non potuiſſet ſuam hæreſim Romæ pandere ſub Victore ſed ſub Zephyrino, contra ea quæ ſupra ex antiquis retuli. Cenſent ergo alii, Theodotum probabiliter primò fuiſſe lapſum in perſecutione ſub Marco Aurelio Commodo Antonino, qui poſt ann. Chriſti 180. Imperium ſuſcepit. Sub hoc enim Principe adhuc in Chriſtianos perſecutio alicubi ſævitiâ Præſulum continuavit, & anno 187. Romæ aliqui martyrium paſſi leguntur. Unde aliqui lapſum Theodoti, & ejus hæreſis initium conſignant anno 192. & ultimo imperii Commodi. Mihi tamen tutius videtur cum Epiphanio repetere: quænam fuerit perſecutio, in qua Theodotus Chriſtum negavit, nondum ſaltem certò comperi.

VI. Hujus Theodoti Coriarii diſcipuli fuerunt Aſclepiodotus ſeu Aſclepiades, & Theodotus alter Argentarius, de quo infra ſermo erit. De his Cajus apud Euſebium Lib. 5. c. 28. hoc factum narrat: *Erat quidam Natalis nomine, confeſſor, qui non ita pridem, ſed noſtra ætate vixit. Hic fortè in fraudem inductus eſt ab Aſclepio-*

piodoto, & altero quodam Theodoto Argentario. Ambo autem iſti diſcipuli erant Theodoti illius Coriarii, qui primus ob hanc doctrinam, ſeu potiùs inſaniam à Victore, ut dixi, tunc temporis Epiſcopo, ab Eccleſia communione remotus eſt. Hi perſuaſerunt Natali, ut accepto ſalario hæreſis illius Epiſcopus crearetur, eâ ſcilicet conditione, ut menſtruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illorum partibus, ſæpè à Domino corripiebatur in ſomnis. Clementiſſimus enim Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, eum qui paſſionum ſuarum teſtis extiterat, perire extra Eccleſiam nolebat. Sed cùm nocturnas ejuſmodi viſiones negligeret Natalis, utpotè honore primæ apud illos Sedis, & turpis lucri cupiditate (quæ multis mortalibus exitio eſt) ineſcatus, tandem à Sanctis Angelis per totam noctem flagris cæſus, & graviſſimè verberatus eſt. Adeò ut primo diluculo conſurgens, ſaccum induerit, & cinere conſperſus confeſtim cum lacrymis ad pedes Zephyrini Epiſcopi ſeſe abjecerit, non ſolùm Cleri, verùm etiam ſecularium veſtigiis advolutus; & Chriſti miſericordis Eccleſiam ipſam quoque miſericordem fletibus ſuis commoverit atque concuſſerit. Multiſque precibus uſus, oſtenſis etiam vibicibus plagarum, quas pro Chriſti confeſſione pertulerat, vix tandem ad communionem admiſſus eſt. Hæc narrat etiam Theodoritus L. 2. Hær. Fab. in Theodoto.

VII. Quis hujus Theodoti Coriarii fuerit exitus, ignoratur. Duratio hæreſis ſub ejus nomine brevis, ut Epiphanius Hæreſ. 54. num. 1. dixerit: *Jam verò ſitne hodie ſuperſtes hæc hæreſis, planè neſcimus: quæ quidem librorum monumentis ad noſtram memoriam commendata ad nos pervenerunt, ea narrabimus.* At licèt Theodotianorum nomen brevi extinctum fuerit; error tamen ſuperſtes diù manſit. Illum enim proprium ſibi fecerunt Paulianiſtæ à Paulo Samoſateno edocti, quos poſtea ſecuti ſunt Ariani, & noſtris temporibus Sociniani.

§. II.

Theodotianorum errores.

I. PRæcipuus Theodoti & ſuorum error ex dictis fuit, quòd Chriſtum purum hominem eſſe volebant. Quem errorem cap. 6. §. 3. in Cerintho, & c. 8. §. 2. in Ebione ſupra refutavi. An verò eum ex humano ſemine, an de Spiritu Sancto conceptum aſſeruerint; hoc ſecundum ut dixi aſſerit Auctor Appendicis ad Lib. Præſcr. Tertull.; primum verò dicit Epiphanius. Utrumque tamen verum eſſe poteſt, cùm Theodoti diſcipuli (quæ errantium indoles eſt) in erroribus non convenirent. Ut enim apud Euſe-

bium L. 5. c. 28. ſæpè laudatus Auctor ait: *Si quis exemplaria illorum undique conquiſita ſimul inter ſe contulerit, inveniet profectò illa inter ſe plurimùm diſſentire*. Quod & Theodoritus ſæpè citato loco repetit dicens: *Sed aliter quidem Theodotum, aliter verò Aſclepiadem, & aliter Hermophilum, aliter verò feciſſe Apollonidem. Quin etiam unumquemque eorum ſua propria correxiſſe, adeò ut exemplaria plurimùm inter ſe diſſentirent*.

II. Eò autem temeritatis devenerunt, ut Sacras Scripturas in iis maximè quæ eorum erroribus adverſabantur, adulterare & ad ſuum dogma trahere conarentur. Quod laudatus Auctor apud Euſebium L. 5. c. 28. deteſtatus: *Quantæ porrò*, inquit, *audaciæ ſit ejuſmodi facinus, ne ipſos quidem ignorare credibile eſt. Aut enim Sacras Scripturas à Sancto Spiritu dictatas eſſe non credunt, ac proinde infideles ſunt: aut ſemetipſos Spiritu Sancto ſapientiores eſſe exiſtimant, ac proinde quid aliud ſunt, quàm Dæmoniaci?* Quæ Theodoritus confirmat. Quæ verò Sacræ Scripturæ loca ſuo errori favere putabant, ea retinebant. Unde Philaſter Hæreſ. 50. *Iſti*, inquit, *utuntur capitulis Scripturarum, quæ de Chriſto veluti de homine edocent; quæ autem de Deo dicunt, ea verò non accipiunt*. Unde Epiphanius Hæreſ. 54. de Theodoto ait: *Quæ ad erroris ſui patrocinium accommodata reperit, non caſto ac ſincero mentis judicio, ſed ut impietatis ſuæ ſpeciem aliquam & colorem quæreret, undique accerſita collegit*.

III. Contra hunc errorem, Chriſtum eſſe nudum hominem aſſerentem, plura eſſent dicenda; quia tamen dum agerem contra Cerinthum & Ebionem ea protuli, ideò ne inutiliter eadem repetam, ad ibi & alibi etiam dicta Lectorem remiſſo, ea ſolum hìc refellam ex Epiphanio, quæ Theodotus in ſui erroris patrocinium adducebat.

Primò ergo utebatur illo Domini dicto Joann. 8. v. 40. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum*. Cui Epiphanius num. 2. *Verùm*, inquit, *quod in eodem loco Chriſtus uſurpavit, infelix ignorat* „ Veritatem quam audivi à Patre meo „: *Quibus Patrem ſuum appellat Deum, non hominem utique. Nam ſi ab homine illud audiiſſet, nequaquam veritatis teſtimonio gloriaretur, ut ab hominibus veritatem ſe accipere diceret. Sed ideò iſta dixit, ut eſſe ſe Deum oſtenderet, à Patre initio genitum, hominemque noſtrâ cauſâ factum; itaque quod ad carnem attinet, interfectum, ut Divinitate perpetuò viveret*.

S. Auguſtinus quoque Tract. 42. in Joannem ad illa verba *Quæritis me occidere hominem*, in perſona Domini ait: *Non dico Filium Dei, non dico Deum, non dico Verbum, quia non moritur*

Digitized by Google

Verbum: hoc dico quod videtis, quia & quod videtis poteſtis occidere, & quem nòn videtis offendere. Porrò quia Judæi gloriabantur Patrem ſe habere Deum, reſpondit eis Jeſus v. 42. *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me: ego enim ex Deo proceſſi & veni: neque à me ipſo veni, ſed ille me miſit*. Ex his idem S. Auguſtinus ſic infert: *Ergo ab illo proceſſit ut Deus, ut æqualis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris: & venit ad nos, quia Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis: Adventus ejus, humanitas ejus: manſio ejus, Divinitas ejus: Divinitas ejus quò imus: humanitas ejus quà imus. Niſi nobis fieret, quà iremus, numquam ad illum manentem perveniremus*. Ita S. Auguſtinus.

IV. *Addebat*, inquit Epiphanius (Theodotus) *nullum ſe in eo peccatum habuiſſe, quòd Chriſtum negaſſet, quandoquidem ita Chriſtus ipſe locutus eſt* Matth. 12. v. 31. „ Omnis blaſphemia remittetur hominibus, & qui dixerit verbum in Filium hominis remittetur ei. Qui autem blaſphemaverit in Spiritum, non remittetur ei „. Reſpondet tamen Epiphanius: *Sed nimirùm miſerrimus homo non intelligit, Chriſtum Dominum, cùm eorum qui in ſe olim contumelioſi fuerant, & ad pœnitentiam ſe ſe traduxerant, confirmare ſalutem cuperet, ne ullam adversùs eos pœnam conſtitueret, pro ſua incredibili humanitate ac clementia oraculum illud edidiſſe. Quod autem nonnullos fore cognoſceret, qui in Spiritum Sanctum inſurgerent, ac blaſphemiis appeterent; quique ad ſervilem conditionem redigerent & creatum atque à Dei naturâ alienum eſſe dicerent, quò hunc errorem excluderet, adjecit* „ Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque hìc neque in futuro ſeculo „. *In quo non eos qui ſe blaſphemarunt laudare voluit: ſed præſcientiam ſuam humanitatemque monſtravit, quæ eorum, qui poſt blaſphemiam pœnitentiam ſuſcepiſſent, ſtabiliendæ ſaluti conſuleret. Etenim in alio loco dixit* Lucæ 12. v. 9. „ Qui negaverit me coram hominibus, negabitur coram Patre meo „. *Item* „ negabo illum „. *Contra* „ Qui me confeſſus fuerit, confitebor ipſum coram Patre meo „. Hactenus Epiphanius. Quomodo ergo aſſerere ex teſtimonio Chriſti poterat Theodotus, ſe non peccaſſe Chriſtum negando, quando Chriſtus ipſe dicit, ſe qui eum negavit negaturum? aut quomodo ſibi blandiri poterat de venia, qui crimen ſuum novâ ac pœnitenti confeſſione non delevit, ſed in negatione contumax perſtitit? Si Petrum negantem ſecutus fuit, cur non fuit etiam ſecutus pœnitentem?

V. Cur autem Chriſtus dixerit, peccatum in Filium hominis remiſſionis capax eſſe, ſecùs verò peccatum in Spiritum Sanctum, hoc fuit, quia illud ex ignorantia, iſtud ex pura malitia procedit.

Ita exponit S. Hieronymus in cap. 12. Matth. dicens: *Qui verbum dixerit contra Filium hominis, ſcandalizatus carne meá, & me hominem tantum arbitrans, quòd filius ſim fabri, & fratres habeam Jacobum & Joſeph & Judam: & homo vorator, & potator vini ſim, talis opinio abſque blaſphemia, quamquam culpá non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeſtè intelligens opera Dei, quum de virtute negare non poſſit, eadem, ſtimulatus invidiá, calumniatur, & Chriſtum Deique Verbum, & opera Spiritus Sancti dicit eſſe Beelzabub, iſti non dimittetur, neque in præſenti ſeculo, neque in futuro.* Hæc Hieronymus. Quod maximè dicere poterat Chriſtus de Scribis & Phariſæis, quos alloquebatur, & quos præſciebat in blaſphemia uſque ad finem fore perſtituros. De peccato in Spiritum Sanctum quomodo ſit irremiſſibile agunt Patres & Expoſitores. Videri poteſt, ſi placet S. Thomas 2. 2. q. 14. art. 1., ubi exponit quid ſit peccatum in Spiritum Sanctum, & art. 5., ubi exponit quomodo ſit irremiſſibile.

VI. Tertiò arguebat Theodotus ex illo Deuteron. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Quibus Moyſes de Chriſto prænuntiat fore de gente ſua de fratribus ſuis ſicut ſe ipſum: atqui Moyſes purus homo erat, non Deus; ergo qui à Deo ſuſcitatus eſt Chriſtus, iſte non Deus erat, ſed homo, utpotè à Judæis ipſis oriundus, ſicut & Moyſes.

Reſpondet Epiphanius num. 3. *Neſcit impius ille deſertor Theodotus, quàm egregiè unaquæque dictio ſuá cautione munita ſit. Nam quòd è fratribus illum Dominus excitavit, eò referendum eſt, quòd à Maria ſit genitus: quo ſenſu illud accipiendum eſt* „ Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium: Virgo *inquam manens*, in utero habebit, *non ex viri ſemine; filiumque pariet, fœtum utique carne præditum & à Virgine genitum. Ad hæc* „ Nomen ejus vo- „ cabunt Emmanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus „. *Eſt enim homo Deus à Patre, nullo neque principio, neque tempore genitus, & ex Maria factus homo, quatenus carne præditus advenit.*

VII. Opponebat quartò Theodotus, Lucæ 1. v. 35. dici ab Angelo nuntiante Mariæ Chriſti conceptum *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, non verò *Spiritus Domini erit in te*: ex quo inferebat, eam non habuiſſe in utero Deum, ſed purum hominem, licèt Spiritu Sancto ſuperveniente conceptum. Attamen ut benè notat Epiphanius ſtolidè diſcurrit. Debuiſſet enim advertere ea quæ idem Angelus proſequitur, nimirùm: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi illa cauſalis *Ideoque* demonſtrat, quòd ille qui ſuper-

perveniente Spiritu Sancto & virtute Altiſſimi obumbrante ex ea naſcitùrus erat Sanctus, non erat purus homo ſed ſimul Altiſſimi Filius: Verbum nempè ab æterno genitum, quod ex ea carnem ſponte ſuâ eſſet ſumpturum. Et propterea non dixit Spiritus Sanctus *erit*, vel *ingredietur in te*: ne putaretur, quòd Spiritus Sanctus, non Verbum & Filius Dei ex ea carnem ſumſiſſet. Dixit autem *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, ut indicaret, hoc Filii Dei ex ea carnem ſumturi Sacramentum, non viri, ſed ſolius Spiritus Sancti operâ fore perficiendum.

VIII. Opponebat quintò varia Scripturæ loca, quibus Chriſtus homo dicitur. Et primò illud Iſaiæ 53., ubi de Chriſto dicit v. 3. *Vidimus eum & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: Deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum* &c. Secundò, illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*.

Sed præfatis locis, ut obſervat Epiphanius, probatur utique, Chriſtum fuiſſe hominem, quod Catholica Fides confitetur, non tamen oſtenditur, eum ſimul Deum non fuiſſe: imò contrarium evincitur. Iſaias enim eum deſcribit hominem abjectum, virum dolorum, qui dolores noſtros portavit, vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; ſed poſtea v. 8. ſubdit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Si homo nudus eſſet ex Maria genitus, illius utique generatio enarratu facilis eſſet. Sed quia ipſe Joann. 8. v. 58. aſſeruit: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum*. Teſtatus fuit, ſe ante generationem ex Maria, qua carnem ſumeret, aliâ generatione jam ante Abraham, ex quo ſecundùm carnem prodierat, extitiſſe; quâ autem, niſi Divinâ & æternâ à Patre, de qua S. Joannes c. 1. Propterea non dixit *antequam Abraham fieret ego factus ſum*, ſed *ego ſum*; quod proprium Verbi eſt, à quo omnia facta ſunt, ipſum verò à nullo eſt factum, quia Deus eſt, qui ſolus dicere poteſt: *Ego ſum qui ſum*. Exodi 3. v. 14.

Nec oppoſitum ſentit Paulus. Imò mentem ſuam magis aperiens Rom. 8. v. 5. *Nam etſi*, inquit, *ſunt qui dicuntur Dii, ſive in Cœlo ſive in terra (ſiquidem ſunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus per quem omnia & nos in ipſum*. Igitur ſi Chriſtus eſt per quem omnia, & nos per ipſum: nudus profectò homo de Maria natus cenſendus non eſt.

IX. Præter errorem, quem in Theodoto ex Epiphanio, Theodorito, & aliis ſupra retulimus, quo Chriſtum nudum hominem fatebatur; alii, ut c. 26. §. 1. n. 6. indicavi, Catholicæ veritati contrarii ipſi affinguntur, quos refert etiam Gulielmus Cave in Hiſt.

Digitized by Google

Hiſt. Literaria Seculi Gnoſtici pag. 52. velut ex ejus exceptis apud Clementem Alexandr. collectos, nempè Chriſtum à Patre ante Mundum conditum creatum fuiſſe, ut Mundus per eum crearetur. Hunc eſſe quidem imaginem Patris perfectiſſimam, ei tamen ſubſtantiâ diſſimilem, & dignitate inferiorem. Solum Deum Patrem eſſe immaterialem, Filium autem omneſque Angelos, Dæmones, & Animas materiales, ſubtili tamen materiâ conſtantes, licèt nobis inviſibili, aliàs Animæ & Dæmones pœnas ignis Inferni ſentire non poſſent. Chriſtum à primo rerum initio incarnatum fuiſſe. Ipſi Jeſu redemptione opus fuiſſe, quam Columbæ poſt Baptiſmum immiſſæ beneficio obtinuit. Deum in Chriſto patiente paſſum vel à Chriſto ante paſſionem receſſiſſe, ante paſſionem traxiſſe Divinitatem ſuam, recedente ſcilicet eſſentiâ, quâ indutus fuerat in Jordane. Aſtra, ſeu potiùs Angelos aſtra moventes fatum quoddam rebus & humanis actionibus inducere: adeòque Chriſtum carnem induiſſe, ut ab iſto fato & agendi neceſſitate in ſe credentes liberaret.

X. Hæc & alia, ſi verè Theodoti ſunt, blaſphemiæ ſunt ab Hæreticis antecedentibus hauſtæ, & ſupra rejectæ, & in ſubſequentibus maximè Paulianiſtis & Arianis propagatæ, ut videbimus; ideòque in eis ſigillatim refutandis Lectorem non detinebo, ſed partim ad ſupradicta, partim ad dicenda inferiùs remittam. Dixi tamen ſi Theodoti ſunt; quia in eis aliqua apparenter ſuo principali errori contraria & repugnantia videntur. Si enim, ut referunt Epiphanius & alii Veteres, Theodoti error præcipuus erat, quòd Chriſtus nudus homo eſſet ex Maria & ſemine viri genitus, quomodo cohærere poteſt, quòd fuerit à Patre ante Mundum conditum creatus & ab ipſo conditus Mundus: eſſe Patris imaginem perfectiſſimam, etſi eo inferiorem, ab initio rerum incarnatum, & alia ſublimia, quæ de Chriſto velut à Theodoto dicta ſupra narravi? Cæterùm quæ de animabus, eſſe ſcilicet materiales, dicebat, dixerant etiam Montaniſtæ & alii ſupra impugnati, de quo egi etiam Tom. 6. in 1. p. q. 1. Dub. 4. §. 1. Angelos eſſe corporeos, quamvis aliquorum Veterum opinio fuerit, contrarium tamen tenendum eſſe oſtendi Tom. 5. in 1. p. q. 2. de Natura Angelorum Dub. 1. §. 2. Ideoque in præſens hæc dimittenda ſunt.

* * *

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXX.

De Melchiſedecianis.

§. I.

De Auctore & eorum hæreſi.

I. DE duobus Theodotis ambobus hæreticis hactenùs memini: uno Montani aſſecla c.23. §.1., altero patriâ Byzantino arte Coriario Sectæ Theodotianorum auctore, de quo Cap. præcedente. Supereſt tertius Trapezita, Argentarius profeſſione, à quo Melchiſedeciana hæreſis prodiit: talis nuncupata ex errore, quem circa perſonam Melchiſedech profitebatur: Unde Theodoritus L. 2. Hæret. Fab. ait: *Incœpit autem hanc hæreſim Theodotus artificio Argentarius*. Et Auctor Append. ad Lib. Tertull. de Præſcr. c.53. *Alter*, inquit, *poſt hunc* (Coriarium ſcilicet) *Theodotus hæreticus erupit, qui & ipſe introduxit alteram Sectam, & ipſum hominem Chriſtum tantummodò dicit ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptum pariter & natum, ſed hunc inferiorem eſſe quàm Melchiſedech*.

II. Porrò cùm iſte Theodotus Argentarius diſcipulus fuerit alterius Coriarii, ut ſupra ex Lib.5. Euſebii c.28. dictum eſt, ubi hic Theodotus ſodalis & condiſcipulus Aſclepiodoti dicitur, & diſcipulus Theodoti Byzantini, qui unà cum Aſclepiodoto Natalem Confeſſorem decepit; probabile eſt, quòd volens ſpecialem Sectam ſupra eam quam à Magiſtro hauſerat inſtituere, aliquid Chriſto dedit, aliquid ei detraxit? Nam Chriſtum & ipſe nudum eſſe hominem aſſerebat; ſed ubi magiſter eum ex viri ſemine conceptum dicebat, iſte ex Spiritu Sancto conceptum fuiſſe volebat: Chriſto autem detraxit, quia ipſum Melchiſedecho poſuit inferiorem. Ita P. La Quien in Notis ad Damaſcenum ſuper hanc hæreſim ex Opuſc. de Hæreſibus MSS. quod apud ſe habere teſtatur: *Coriarii*, inquit, *iſtius Theodoti diſcipuli fuerunt Aſclepiades, Hermophylus, Apollonius & Theodotus Trapezita, qui cum ſpecialis Sectæ auctor inaugurarì geſtiret, hæreſim iſtam ſtatuminavit. Quatenus Theodotum quidem iſtum auctorem habuerunt, Theodotiani vocantur. Quia verò Melchiſedech virtutem quamdam Divinam maximamque eſſe imaginantur, Melchiſedeciani*; Hinc Epiphanius Sectam hanc à Theodotianis avulſam putat Hæreſi 55. dicens: *Qui Melchiſedecianos appellari ſe ſe volunt, ac, niſi fallor, à Theodotianis avulſi*

 ſunt,

ſunt, Melchiſedecum illum, de quo in Scripturis mentio ſit, cum primis celebrant, & præclaram quamdam eſſe virtutem arbitrantur. Quem etiam in ſupremis atque inexplicabilibus locis conſtituunt. Neque ſolùm virtutem illum eſſe quamdam aſſerunt, ſed ipſo etiam Chriſto majorem eſſe dictitant.

III. His explicatum manet hujus hæreſis ſyſtema. Quibus conſentiunt cæteri Patres: SS. Auguſtinus L. de Hæreſ. c. 34. dicens: *Melchiſedeciani, Melchiſedech Sacerdotem Dei excelſi non hominem fuiſſe, ſed virtutem Dei eſſe, arbitrantur*. Et Damaſcenus Hæreſ. 55. *Melchiſedeciani Melchiſedecum ita venerantur, ut virtutem quamdam eum eſſe jactent, non purum hominem, & ad ejus nomen cuncta referre non dubitent*. Theodoritus etiam citato loco: poſtquam dicit, Theodotum & alios Coriarii diſcipulos inter ſe non conveniſſe, ſubdit: *Melchiſedecianos autem dicunt eorum eſſe partem: in una autem re tantùm diſſentire, quòd Melchiſedech potentiam quamdam & Divinam & maximam exiſtimarent, ad ejus autem imaginem Chriſtum eſſe formatum*. Philaſter etiam Hær. 52. de Melchiſedecianis: *Addunt etiam* (inquit) *Melchiſedech Sacerdotem virtutem Dei magnam eſſe, & nomina quædam diverſa hominum adferunt, à Fide Catholica deviantes*. Nomina ſcilicet parentum Melchiſedech, patris nimirùm *Hieraclæ*, matris verò *Aſtaroth* vel *Aſteriæ*. Ita Epiphanius Hæreſ. 55. n. 2. ait: *Enimverò nonnulli utriuſque Melchiſedeci parentum nomina commemorarunt: ſed ea nuſquam expreſſis Scripturæ verbis & in utroque Teſtamento declarantur. Sunt qui Heraclam patrem, matrem verò Aſtaroth ſive Aſteriam dicant*. Sed in hoc, ut infra dicam, ſecum ipſi pugnabant.

IV. Tradit Epiphanius num. 8., hujus hæreſis ſectatores conſueviſſe oblationes facere Melchiſedeco, utpotè apud Deum internuntio, ejus interventu Deo offerre par eſſe putantes: *Jam verò*, inquit, *in ejuſdem Melchiſedeci nomine etiam oblationes ſuas eadem Secta celebrat, quem apud Deum internuntium eſſe prædicat. Quamobrem hujus, ajunt, interventu offerre Deo par eſt; eò quòd juſtitiæ ſit princeps, & ad idipſum à Deo in Cœlo conſtitutus: utpotè ſpiritalis, ac Dei filius: Itaque primùm ei debemus offerre, ut per eundem pro nobis repræſententur, ac vitam per eum conſequamur. Etenim Chriſtus, ajunt, ob id electus eſt, ut nos ad unam hanc ſcientiam ex multiplici viarum divortio revocaret, & idcircò à Deo unctus & ſelectus eſt, quoniam nos à cultu ſimulacrorum avertit, & iter oſtendit. Unde & Apoſtolus à Deo miſſus iſtud ipſum nobis aperuit* (Hebr. 7. 4.) *magnum eſſe Melchiſedecum, & Sacerdotem in æternum manere* „ Intuemini, *inquit*, quantus eſt ille „. *Tum quoniam*

niam „ quod minus eſt, à majore benedicitur „. *ob id*, *inquiunt*, *Abrahamo Patriarchæ benedixit*, *utpotè eo major*: *cujus nos myſtæ ſumus*, *ut ab illo benedictionem impetremus*. Hactenus Epiphanius.

Ecce quomodo dignitate unici Mediatoris ſpoliabant Chriſtum, ut eam in Melchiſedech transferrent: & Chriſtum nil aliud egiſſe, & ad nil aliud electum dicebant, quàm ut oſtenderet nobis viam, quâ per Melchiſedecum perveniremus ad Deum. Quod confirmat etiam Auctor Append. ad L. Præſcr. Tertulliani c. 53. ubi oſtendit, Chriſtum eſſe inferiorem Melchiſedech: *Eo quòd dictum ſit de Chriſto* „ Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech „. *Nam illum Melchiſedech præcipuæ gratiæ cæleſtem eſſe virtutem*: *eò quòd agat Chriſtus pro hominibus deprecator & advocatus ipſorum factus*, *Melchiſedech facere pro cæleſtibus Angelis atque virtutibus*. *Nam eſſe illum uſque adeò Chriſto meliorem*, *ut apator ſit*, *ametor ſit*, *agenealogicus ſit*, *cujus neque initium*, *neque finis comprehenſus ſit*, *aut comprehendi poſſit*. Ita inani interventu ac mediatione Melchiſedech potiùs, quàm Chriſti ſalutem ſperabant, contra dictum Pauli 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus*: *unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Et Petri Act.4. v. 12. *Non eſt in alio ſalus*: *nec enim aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus*, *in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Sed de hoc magis infra.

V. De tempore quo emerſit hæc hæreſis, non eſt admodum laborandum. Cùm enim à Theodoto Argentario Theodoti Coriarii diſcipulo excitata fuerit, hæreſi Theodotianorum coæva cenſenda eſt, licèt aliquot annis poſterior; Ideoque ſi Theodotiani ſub Victore Pontifice eruperunt, ut dictum eſt, Melchiſedeciani vel ſub finem Epiſcopatus Victoris, vel initiis Zephyrini anno 201. emerſiſſe dicendi ſunt.

Quamdiù verò duraverit, non conſtat, cùm Scriptores de hoc ſileant. Continuaſſe tamen, vel renovatam ab aliquo ignoto Auctore S. Hieronymi ætate, videtur indicare ipſe Epiſt. ad Evangelum (aliàs Evagrium 126. modò inter Epiſtolas Criticas Tom.2. pag. mihi 570.) ubi de quodam anonymi Auctoris manuſcripto ſibi ab Evangelo tranſmiſſo loquens: *Miſiſti*, inquit, *mihi volumen*, *& neſcio*, *utrum tu de titulo nomen ſubtraxeris*; *an ille qui ſcripſit*, *ut periculum fugeret diſputandi*, *auctorem noluerit confiteri*. *Quod quum legiſſem*, *intellexi famoſiſſimam Quæſtionem ſuper Pontifice Melchiſedech illuc plurimis argumentis eſſe perductam*, *ut docere conatus ſit*, *eum qui benedixerit tanto Patriarchæ*, *divinioris fuiſſe naturæ*, *nec de hominibus æſtimandum*. *Et ad extremum auſus eſt dicere*, *Spiritum Sanctum occurriſſe Abrahæ*, *& ipſum eſſe qui ſub*

tium dierum & finem vitæ novimus, ſed Deo ſoli qui æternus eſt convenit.

Quartò, idem Paulus dicit: Melchiſedech *aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in æternum*: quod maximè convenit Spiritui Sancto quem Filii Dei imaginem Græci vocant, non homini.

Quintò, ibidem v.13. de Chriſto dicit: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Sacerdotium ergo Chriſti æternum fuit, quia à ſacerdotio Melchiſedech tanquam archetypo derivatum fuit.

Sextò, ſi Melchiſedech homo fuit, Abraham non eſt dicendus Pater credentium, ſed Melchiſedech. Tum quia ab iſto benedictus fuit, tum quia cùm eſſet Rex & ſimul Sacerdos, habuit fidelem Populum ſibi ſubditum ante Abrahamum. Hæc præfatus Auctor pro Melchiſedecianis.

II. Catholica tamen Fides ſemper tenuit, Melchiſedech purum hominem fuiſſe ut cæteros, ac ſolùm præfatis encomiis honorari, quia typum & figuram geſſit Sacerdotii Chriſti. Porrò Melchiſedech hominem fuiſſe ut cæteros, Scriptura proponit tum Gen.14. v. 18. *At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi) benedixit ei* (Abrahæ). Tum Hebr. 7. v. 1. ubi Paulus eadem repetens: *Hic enim*, inquit, *Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei ſummus, qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diviſit Abraham*. Quibus de Melchiſedech perſona nil aliud dicitur, niſi quòd fuerit Rex Salem, & Sacerdos Dei. Utrumque autem hominis dignitatem refert. Imò eodem Paulo teſte Hebr.5. v.1. Sacerdos homo eſſe debet: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumtus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Quis autem ſit inter Sacerdotes Maximus, dixerat c.4. v.14. *Habentes ergo Pontificem Magnum qui penetravit Cœlos Jeſum Filium Dei*. Et cap.6. v. 20. Ubi *præcurſor pro nobis introivit Jeſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum*. Chriſtus ergo, non Melchiſedech, eſt Pontifex & Sacerdos in æternum, à quò Melchiſedech ſacerdodotium ſublimatum fuit, & cujus tota excellentia ex Chriſti ſacerdotio, cujus typum gerebat, proceſſit.

III. Quoad ea quæ opponuntur ex Lib. Qu. Vet. & Novi Teſt., dico, ea ex parte Auctoris nullius eſſe auctoritatis. Nam Liber ille S. Auguſtini fœtus non eſt, ut Eruditi omnes conſentiunt propter multa, quæ à S. Auguſtini ſtylo & doctrina aliena ſunt, & maximè in re præſenti. Nam opinionem de Melchiſedech quam Auctor ille propugnat, verus Auguſtinus, ut ſupra oſtendi, inter hære-

hæreſes recenſet. Ad rationes ergo, quibus Auctor ille innititur, reſpondendum eſt.

IV. Ad primum dico, Melchiſedech dici Regem Juſtitiæ & Pacis, non quaſi horum bonorum auctor eſſet, ſed ut oſtendatur, inquit S. Thomas in dictum Caput Lect. 1., eum etiam in nomine eſſe typum Chriſti: *Nomen* enim *Melchiſedech*, *interpretatur* Rex Juſtitiæ; *Et ſignificat Chriſtum, qui fuit Rex. Hierem.* 23. „ Et regnabit Rex & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in „ terra „. *Nec ſolùm dicitur Juſtus, ſed etiam Rex Juſtitiæ, quia* „ factus eſt nobis ſapientia & juſtitia „ 1. Cor. 1. *Aliud quod dicitur de ipſo eſt conditio*: *unde dicitur*, Rex Salem, *quod eſt* Rex pacis. *Hoc autem convenit Chriſto* „ Ipſe enim eſt pax noſtra „ *Epheſ.* 2. & *Pſalm.* 81. „ Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis „. Ita S. Thomas.

V. Ad ſecundum dico, Melchiſedech dici ſinè patre, ſinè matre, ſinè genealogia, non quia verè non habuit. Ita Epiphanius Hæreſ. 55. n. 1. *Melchiſedech homo utique fuit. Patris verò ac matris expers dicitur, non quòd ambobus illis caruerit, ſed quòd nulla ſit illorum in Divinis literis expreſſa mentio.* Subdit tamen n. 2. *Nonnulli utriuſque Melchiſedecis parentem nomina commemorarunt: ſed ea nuſquam expreſſis Scripturæ verbis & in utroque Teſtamento declarantur. Sunt qui Heraclam patrem illius appellatum, matrem verò Aſtaroth ſeu Aſteriam dicant.* Et num. 6. dicit, Samaritanos putaſſe, patrem Melchiſedech fuiſſe Sem filium Noe. Sed hoc tanquam fabulam rejicit; quia quocumque computo facto, Sem ad ætatem Melchiſedech pervenire non potuit, qui ſexcentis & ultra annis ante obierat. S. Hieronymus tamen Epiſt. ad Evangelum hanc opinionem abſolutè non rejicit (quæ eſt Judæorum) cùm ſupponatur, ab ortu Sem uſque ad generationem Abrahæ ſolos trecentos nonaginta annos fluxiſſe, quibus Sem in vivis etiam eſſe poterat. Verùm hoc poſito, jam non erit verum id quod dicit Paulus, nempè Melchiſedech eſſe ſinè patre, ſinè matre, ſinè genealogia, in quo iſti adeò gloriantur. Nam ſi Sem ejus pater fuit, jam habuit patrem, matrem, & genealogiam, quæ omnia in Scripturis traduntur. Nec etiam Melchiſedeci parentum nomina Scriptura reticuit, quaſi eſtò vir juſtus & pius ex meretricio concubitu ortus eſſet, quod putant Judæi. Nam ut idem Epiphanius num. 7. obſervat, hoc etiam dato, non eſſet cur matris nomen Scriptura reticeret. *Nam & Raab meretrix fuit, & ejus nihilominus Scriptura meminit. Sed & Zambri & Chasbithæ adulterium ibidem expreſſum, quamvis alienæ ſtirpis hæc eſſet, nec Iſraelitarum ex genere originem traheret.*

VI. Cur

Digitized by Google

VI. Cur autem Sacræ Literæ Melchiſedech parentum nomina omiſerint, variæ cauſæ aſſignantur. Primam tradit S. Hieronymus Epiſt. ſupra laudatâ ad Evangelum dicens, Melchiſedech dici ſinè patre &c. *non quòd abſque patre & matre fuerit, quum Chriſtus quoque ſecundùm utramque naturam & patrem habuerit & matrem: ſed quòd ſubitò introducatur in Geneſi occurriſſe Abraham à cæde hoſtium revertenti: & nec ante nec poſtea ejus nomen feratur adſcriptum*. Quod dicit etiam S. Thomas 3. p. q. 22. art. 6. ad 3. Aliam cauſam affert Philaſter Hæreſi 144., nimirùm Melchiſedech à Scriptura dici ſinè patre, ſinè matre; quia licèt à patre & matre carnem accepiſſet, ſtudium tamen religionis ab eis non acceperat, quo ſenſu dixit Chriſtus Petro Matth. 16. *Caro & ſanguis non revelavit tibi*. Unde Philaſter ait: *Hic igitur beatus Melchiſedech, cùm de alienigenis, ideſt Chananæis impiis fuiſſet editus, contemta impietate parentum, cùm capax Legis Divinæ cœleſtiſque eſſet, & ſuo ſtudio, ut Dei imago, inquiſito Dei myſterio, contemptis impiis parentibus, non ſolùm cognoſcere Chriſtum Dominum ante mandato, inſuper etiam ejus cœleſte myſterium meruit intuens & intelligens celebrare*. Cùm ergo Melchiſedech deſcribatur in Geneſi, non qualis erat ex carne, ſed qualis ex ſpiritu, nempè Sacerdos Dei ſummi, offerens ſacrificium quod ſacrificii Euchariſtici typus erat, omittendi erant ejus parentes, qui nullam in hoc partem habuerant.

Tertiam rationem affert S. Thomas in c. 7. ad Hebr. Lect. 1., nempè Melchiſedech dici ſinè patre, ſinè matre, ſinè genealogia, quia ſpiritualiter typus erat Chriſti, & ut ejus nativitatem tum temporalem, tum æternam exprimeret: in temporali enim habuit matrem, ſed non patrem; in æterna habuit patrem, ſed non matrem, & in hac, quæ eſt ineffabilis, genealogiam non habet: ideoque Iſaiæ 53. dicitur: *Generationem ejus quis enarrabit?*

VII. Ad tertium reſpondeo, quòd de Melchiſedech dicitur *non habens initium dierum neque finem vitæ*, non ad Melchiſedech perſonam, ſed ad Chriſtum, cujus Sacerdotii ipſe typum gerebat. Unde Hieronymus laudatâ Epiſt. ad Evangelum ait: *Affirmat autem Apoſtolus, quòd Aaron ſacerdotium, ideſt Populi Judæorum, & principium habuerit & finem: Melchiſedech autem, ideſt Chriſti & Eccleſiæ, & in præteritum & in futurum æternum ſit, nullumque habuerit auctorem*. Et poſt multa concludit: *Totumque quod ſequitur in laudes Melchiſedech ad Chriſti typum referri, cujus profectus Eccleſiæ Sacramenta ſunt*. Ita etiam Theodoritus in cap. 7. Epiſt. ad Hebr. de Melchiſedech: *Eâ ergo ratione*, inquit, *eſt ſinè patre & ſinè matre & ſinè genealogia, neque initium dierum nec vitæ finem*

finem habens, Divina enim Scriptura nihil horum nos docuit. Dominus autem Chriſtus naturâ & verè habet unumquodque horum. Eſt enim ſinè matre ut Deus, ex ſolo enim eſt Patre genitus. Sinè patre autem ut homo, ex ſola enim matre virgine per partum editus eſt. Sinè genealogia eſt ut Deus: non enim habet opus genealogiâ, qui eſt ex æterno Patre genitus. Non habuit initium dierum, eſt enim æterna generatio. Neque vitæ habet finem: immortalem enim habet naturam. Idem dicit S. Th. in cap. 7. ad Hebr. Lect. 1. Qui omnia quæ Paulus de Melchiſedech dicit, de Chriſto dicta exponit, cujus in Sacerdotio typus ille erat.

VIII. Ad quartum dico, Melchiſedech aſſimilatum eſſe Filio Dei, non ratione ſubſtantiæ, quo pacto ei aſſimilatur Spiritus Sanctus; ſed ratione ſacerdotii, & ſacrificii. Ubi notat S. Th. ibi, quòd cùm Paulus dicit: *Aſſimilatus autem Filio Dei, oſtendit ſimilitudinem quantum ad ſacerdotium. Sciendum eſt tamen, quòd ſolet dici quòd poſteriora aſſimilantur prioribus, & non è converſo. Et ideò ne credatur, quòd ſacerdotium Chriſti ſit poſterius ſacerdotio Melchiſedech, hoc removet Apoſtolus: quia etſi Chriſtus inquantum homo natus ſit poſt eum, & ex tempore, tamen inquantum Deus & Filius Dei eſt ab æterno.* Theodoritus etiam citato loco: *Ea de cauſa*, inquit, *non Dominum Chriſtum, ſed Melchiſedech Chriſto* (Filio Dei) *aſſimilavit. Ille enim eſt hujus typus. Hic verò typi veritas.*

IX. Ad quintum ex dictis patet, Chriſtum dici Sacerdotem in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, non quia ſacerdotium Chriſti ſit participatio ſacerdotii Melchiſedech & ab eo derivatum, ſed ritu & ſimilitudine, quanta inter figuram & veritatem, corpus & umbram intercedere poteſt. Sacrificium enim Melchiſedech Chriſti ſacrificium Euchariſticum adumbravit. Ut S. Auguſt. L. 1. de Civit. Dei c. 22. præclarè dicit: *Ibi quippe primùm apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto Orbe terrarum; impleturque illud, quod longè poſt factum per Prophetam dicitur ad Chriſtum; qui fuerat adhuc venturus in carne* „ Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech „: *non ſcilicet ſecundùm ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus, illuceſcentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.* Quod & S. Cyprianus Epiſt.43. dixerat.

X. Scopus itaque Pauli fuit probare, Chriſtum ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdotem, Leviticis Sacerdotibus ſuperiorem eſſe. Quia tamen multifariam major eſt dignitas Chriſti, quàm Melchiſedech præ Levitis: ideò ejus præſtantiam Apoſtolus v. 2. & ſequentibus explicare voluit. Scilicet Levitæ per ſuum ſacerdotium non poterant conſummatos reddere homines, ideſt juſtos

juſtos coram Deo: at Chriſtus ſalvare poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: illi fuerunt Sacerdotes Veteris Teſtamenti, hic Novi & melioris: illi moriebantur, hic in æternum vivit: illi temporarium habebant ſacerdotium, hic æternum: illi peccatores, hic à peccatoribus ſegregatus: illi priùs pro propriis, deinde pro Populi peccatis, hic non pro ſuis, quæ nulla habuit, ſed tantùm pro Populi: illi quotidie, hic ſemel: illi hoſtias, irrationales nimirùm, hic ſe ipſum obtulit: illi à Lege, hic poſt Legem: illi ſinè jurejurando, hic cum jurejurando: illi homines, hic verò Sacerdos eſt Filius Dei. Hiſce prærogativis extollit Paulus ſupra Levitas Chriſtum Sacerdotem, quibus non extollit Melchiſedech. Nunquid igitur iſte erit præſtantior illo, & typus excellentior veritate, umbra corpore?

XI. Ad ſextum tandem reſpondeo, Abrahamum ſingulari quâdam & eximiâ ratione Patrem credentium prædicari; tum quia mortalium primus fuit, cui venturi Chriſti promiſſio facta eſt, per cujus fidem & gratiam omnes gentes erant benedicendæ; tum quia Hebræi Populi fuit parens, apud quem unum publicus veri Dei cultus uſque ad Chriſti adventum viguit. Melchiſedech tamen Abrahamo præſtantior fuit, quia Rex & Sacerdos, præfigurans ſacerdotio ſuo ſacerdotium æternum Chriſti.

XII. Tandem Melchiſedech fuiſſe hominem, non Spiritum Sanctum, aut Angelum, auctoritate Patrum qui ipſum præceſſerunt probat S. Hieronymus dictâ Epiſt. ad Evangelum, ubi relatâ oppoſitâ ſententiâ: *Verti me*, inquit, *ad Hyppolitum, Irenæum, Euſebium Cæſarienſem, & Emiſſenum, Apollinarium quoque noſtrum, & Euſtathium qui primus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus contra Arium clariſſimâ tubâ bellicum cecinit; & deprehendi horum omnium opiniones diverſis argumentationibus ac diverticulis ad unum computum perveniſſe, ut dicerent, Melchiſedech fuiſſe hominem Chananæum, Regem Vrbis Hieroſolymæ, quæ primùm Salem, poſtea Jebus, ad extremum Hieruſalem appellata ſit: nec mirum eſſe ſi Sacerdos Dei Altiſſimi deſcribatur, abſque circumciſione, & legalibus cæremoniis, & genere Aaron: cùm Abel quoque, & Enoch, & Noè placuerint Deo & victimas obtulerint: & in Job volumine legimus, quòd & ipſe oblator munerum fuerit, & Sacerdos, & quotidie pro filiis ſuis hoſtias immolarit.*

XIII. Hæc S.Hieronymus refert & probat, in hoc tamen diſſentiens, quòd Salem, cujus Rex erat Melchiſedech, non fuiſſe cenſet eam quæ poſtea dicta eſt Hieruſalem, ſed *oppidum juxta Scythopolim, quod uſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi Palatium Melchiſedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnifi-*

gnificentiam. Ac ſubinde in hujus comprobationem aliquibus allatis, ſubjungit: *Hæc ab eruditiſſimis Gentis illius didicimus, qui intantum non recipiunt, Spiritum Sanctum vel Angelum fuiſſe Melchiſedech; ut etiam certiſſimum hominis nomen adſcribant.* Epiphanius tamen Hæreſ. 55. n. 2. in hoc non multum laborandum eſſe putat. Nam de Urbe Salem: *Nonnulli*, inquit, *eam eſſe cenſent, quæ nunc Jeruſalem, olim Jebus vocabatur; alii Salem alteram in agro Sicimitico eſſe putant, quæ Neapolim ex adverſo reſpicit. Sed ſive hinc, ſive illinc veniſſe dicatur, non longè ambo hæc loca à ſe invicem diſtant.*

CAPUT XXXI.

De Bardeſanitis.

§. I.

Bardeſanis conditio & geſta.

I. BARDESANITÆ ſeu Bardeſianitæ à quodam Bardeſane ſeu Bardeſiane auctore eorum hæreſis nomen accepere. De hoc (quem *Bardeſianes* vocat) refert Epiphanius Hæreſi 56. his verbis: *Proximè ab illis Bardeſianes quidam numerandus eſt, à quo Bardeſianiſtarum hæreſis initium accepit. Hic è Meſopotamia oriundus ex urbe Edeſſa principio longè optimus vir fuit, ac libros quamplurimos conſcripſit, cùm adhuc ſanâ atque integrâ mente eſſet. Quippe in Eccleſia Catholica verſabatur, utriuſque linguæ, Græcæ videlicet & Syriacæ peritus. Cùmque Abgaro Edeſſenorum Regulo viro ſanctiſſimo familiaritate conjunctus eſſet, ac cum eo concorditer ſe in omnibus gereret, & ejuſdem diſciplinæ eſſet particeps, poſt ejus obitum ad Antonii Cæſaris uſque tempora perſeveravit, non Pii, ſed Veri. Idem adverſùs Abidam Aſtrologum contra fatum pluribus diſputavit. Nec aliqua pauca illius monimenta feruntur rectæ fidei conſentanea. Quin etiam Apollonio Antonini familiari, ut ſe Chriſtianum negaret ſuadenti, acquieſcere noluit: ac propemodum inter fidei Confeſſores relatus eſt. Etenim pietatis patrocinio fortiſſimè ſuſcepto, ſapienter inprimis reſpondit: negavitque mortem ſe timere, cujus, etſi Imperatori non reſiſteret, ſibi nihilominus neceſſitas immineret. Ita vir ille præclariſſimis ornamentis præditus hactenus fuit, donec infelici fato ſeum illum in errorem incidit; ſimiliter atque egregia navis, quæ infinitis onuſta mercibus, ad portum illiſa, non modò jacturam rerum omnium facit, ſed & vectoribus exitium adfert.*

Digitized by Google

adfert. His Epiphanius in infelici Bardeſianis lapſu exemplum proponit legenti, ne quis de ſua virtute & conſtantia temerè ſibi blandiatur, ne quod Bardeſiani, & Origeni, & Tertulliano accidit, ſibi eveniat, & ad Pauli monitum ad Philippenſes c. 2. v. 12. ſeriò attendat: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*.

II. Eadem refert de Bardeſane Euſebius L.4. Hiſt.c.30.: in hoc tamen ab Epiphanio diſſentiens, quòd eum ab initio Valentini ſectatorem fuiſſe dicit. Poſtquam enim ejus laudes texuit: quòd nimirùm fuerit vir diſertiſſimus ſermone Syriaco, & acerrimus in diſputando: quòd adversùs Marcionem & alios variarum opinionum auctores patriâ linguâ dialogos, & infinita alia Opuſcula, acerrimus Fidei noſtræ defenſor, à diſcipulis ſuis in græcam linguam poſtea tranſlata, & Librum de Fato conſcripſerit, aliaque multa occaſione perſecutionis ediderit, ſubjungit: *Atque hic primùm quidem ſectator fuit Valentini: poſtea verò cùm doctrinam illam improbaviſſet, & pleraque ejus dogmata fictas eſſe fabulas conviciſſet, ipſe quidem ſibi viſus eſt ad rectiorem ſententiam tranſiviſſe: vetuſti tamen atque inoliti erroris ſordes non penitùs exterſit*. Quibus videtur Bardeſanes priſtinum errorem ſincerè & animo penitùs nunquam exuiſſe.

In eamdem ſententiam venit S. Hieronymus Lib. de Script. Eccl. c.33. ubi: *Bardeſanes*, inquit, *in Meſopotamia clarus habitus eſt, qui primùm Valentini ſectator, deinde confutator, novam hæreſim condidit. Ardens ejus à Syris prædicatur ingenium, & in diſputatione vehemens, ſcripſit infinita adversùs omnes penè hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant. In quibus clariſſimus ille eſt & fortiſſimus Liber, quem M. Antonino de Fato tradidit, & multa alia ſuper perſecutione volumina, quæ ſectatores ejus de Syra lingua verterunt in Græcam. Si autem tanta vis eſt & fulgor in interpretatione, quantam putamus in ſermone proprio?* Ita Hieronymus. Quibus verificatur S. Auguſtini dictum in Pſalm. 124. *Non fecerunt hæreſes, niſi magni homines; ſed quantùm magni, tantùm mali montes. Non enim montes erant tales qui ſuſciperent pacem, ut colles juſtitiam: ſed illi diſſenſionem ſuſceperunt à Diabolo patre ſuo*. Ex iſtis fuit Bardeſanes, qui ſive lapſus, ſive relapſus, acri ingenio huc illucque elatus, diſſenſionem tandem ſuadente Diabolo molitus fuit.

III. Ex hactenus adductis colligi poteſt tempus, quo vixerit Bardeſanes, & quo hæreſim ſuam cœperit evulgare. Eum enim imperante Antonino Vero, ſive verè ſive ſpecie Catholicum perſeveraſſe, demonſtrant tum Liber contra Fatum, quod ei in-

ſcripſit; tum plurima, quæ contra tunc emergentes hæreſes edidit Volumina, ac proinde ſub Marco Aurelio Antonino Philoſopho circa ann. Chriſti 172. ſub Soteris Pontificatu. Defeciſſe verò ac ſuam hæreſim condere cœpiſſe poſt annum Domini 174. ſub iiſdem, nempè M. Aurelio Antonino Philoſopho Imperium & Sotere Romanam Sedem tenentibus.

Ejus hæreſim non diù in ſe ipſa duraſſe credibile eſt, quamvis in Priſcillianiſtis poſtea ex parte ſaltem revixiſſe videatur. Bardeſanis interitum, genus, & tempus ſilentio prætereunt Scriptores Veteres. Solùm Theodoritus Lib. 1. Hæret. Fab. ei filium nomine Harmonium Græcis literis apprimè eruditum tribuit his verbis: *Dicunt autem etiam Harmonium, qui fuit ejus filius, Athenis in Græca lingua fuiſſe inſtitutum. An verò patrem in errore ſecutus fuerit, ipſe non memorat.* Sozomenus tamen L. 3. Hiſt. c. 16. dicit eum paterni erroris, vel in totum, vel in partem fuiſſe hæredem; quin & alios ex Philoſophis addidiſſe, ſuper origine animæ, corporum corruptione & regeneratione, ſeu metempſicoſe. Scripſiſſe inſuper Harmonium metricos Hymnos, quos quia ſuis erroribus infectos S. Ephræm Syrus novis Hymnis emendavit. Hæc ex Sozomeno.

§. II.

Bardeſanis errores.

I. Bardeſanem hæreticum factum ſeu hæreticum ſe manifeſtaſſe, Valentini hæreſim quam ante ſcripto rejecerat reſumendo, & ſuam addendo, ſolùm poſt Abgari Edeſſenorum Reguli obitum, probabile eſt. Non enim vir ſanctus ſibi familiarem toleraſſet hominem, quem erroribus inquinatum detexiſſet. Ejus errores fuere, quòd diverſa principia & productiones rerum confinxerit: quòd Mortuorum reſurrectionem negaverit: quòd cum Novo & Veteri Teſtamento apocrypha quædam adhiberet. Ita Epiphanius Hæreſ. 56. num. 2. his verbis: *Nam cùm ad Valentinos miſerrimè ſe applicaſſet, ex eorum improbitate peſtiferum illud virus ac lolium contraxit.. Multa hic perinde & alia principia & productiones invexit. Mortuorum reſurrectionem ſuſtulit: itaque privatam hæreſim condidit. Porrò Legis ac Prophetarum Libros, adeòque Vetus ac Novum Teſtamentum; necnon apocryphos quoſdam adhibet.*

II. De primo, quem Epiphanius ei affingit, errore, nempè de pluribus principiis, ſeu Æonibus Valentini, dubitatur. Nam omnes prænarrati Auctores dicunt, Valentini dogmata, inter quæ hoc de pluribus principiis ſeu Æonibus præcipuum erat, à Bardeſane fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe rejecta, imò tanquam fabuloſa impugnata: quomodo ergo in hunc eundem errorem incidit? Hoc dubium tamen tollitur, ſi cum Euſebio & Hieronymo ſupra relatis dicatur, Bardeſanem Valentini quidem dogmata libris impugnaſſe, ſed ex eis aliqua corde retinuiſſe, quæ poſtea patefecit, aliqua ex eis detrahendo, aliqua de novo aſſerendo. Cum enim: *Primùm Valentini ſectator fuerit, ipſe quidem viſus eſt ad rectiorem ſententiam tranſiviſſe; vetuſti tamen atque inoliti erroris ſordes non penitùs extinxit* (inquit Euſebius). Si ergo vetuſti erroris labem extinxit quidem, ſed non penitùs, ſignum eſt, quòd aliqua de hoc Valentini errore abjecit, aliqua retinuit, ſic, ut dicere potuerit Epiphanius, quòd Bardeſanes privatam hæreſim condidit, & S. Hieronymus, quòd novam hæreſim condidit: quod non dixiſſent, ſi omnia quæ Valentinus, & eodem modo docuiſſet. Verùm cùm, in quo Bardeſanes à Valentino receſſerit, ignoremus, nil aliud addere poſſumus, niſi cum S. Auguſtino Lib. de Hæreſ. cap. 35., quòd Bardeſanes *poſtea, quamvis non per omnia, in Valentini hæreſim lapſus eſt*.

III. Error ſtatuens, non unum, ſed plura principia, ſupra in Valentino cap. 9. & aliis rejectus eſt. Quare cum Epiphanio Hæreſ. 56. num. 3. dicam: *De pluribus verò principiis, quoniam adverſùs alios, qui in eodem errore verſantur, jampridem multa diximus, longam hoc loco diſputationem non inſtituam. Sed illud ex Apoſtolo dumtaxat in memoriam revocabo* (2. Cor. 8. v. 6.) „ Nobis unus eſt „ Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſum: & unus Dominus „ Jeſus Chriſtus, propter quem omnia & per quem omnia, & „ nos per ipſum „. *Quomodo igitur Deorum illa multitudo principiorumque conſtabit?* „ Et unus, *inquit*, Dominus Jeſus Chriſtus, propter quem omnia, & per quem omnia, & nos per ipſum „. *Quamobrem unus eſt tantummodo Conditor, neque plures Dii ſunt, Æoneſve plures. Sic enim dixit* (v. 5.) „ Si ſunt multi, qui dicuntur Dii „, *quam particulam* „ Qui dicuntur „ *adjecit, ideo, ut non eſſe re verà ſignificaret. Sed cùm propter eos, qui ab Ethnicis eſſe dicuntur, quoſque illi Deos conſtituunt, puta Solem, Lunam, Sidera, reliquaque id genus; iſtud protulerit, nullum aberrantium hominum opinioni locum reliquit*. Hæc Epiphanius, quæ Bardeſanem Novum Teſtamentum admittentem lethaliter feriunt.

IV. Iiſdem armis ſecundum ejus errorem de Mortuorum reſurrectione aggreditur num. 2. Epiphanius dicens: *Quod enim ad Mortuorum excitationem attinet, licèt de ea ſæpiùs in aliis hæreſibus diſputatum ſit, non gravabor iterum paucis ad eum refellendum eâdem de re diſſerere. Nam ſi Vetus Teſtamentum & Novum admittis, nonne & corrupiſſe veritatis viam, & à veriſſima Domini vita abhorrere*

rere manifeſtè convinceris? Siquidem Princeps ipſe Dominus; uti nobis reſurrectionis arrhabo quidem eſſet, ac primogenitus è mortuis, noſtrâ cauſâ mortuus eſt, ac reſurrexit: neque ſpecie tenus eſt paſſus: utpotè qui ſit ſepultus, ejuſque corpus nonnulli geſtaverint. Teſtis eſt Joſephus Arimathæenſis. Teſtes illæ mulieres, quæ ad monumentum unguenta detulerunt. Teſtes centum illæ Aloes libræ, non eam inanem opinionem atque imaginem fuiſſe. Teſtes denique Angeli, qui id mulieribus declararint „ Surrexit, *inquiunt*, non eſt hic „. *Quid quæritis viventem cum mortuis? neque verò dixit*, non eſt mortuus, *ſed* ſurrexit, *qui in carne paſſus ſpiritu perpetuò vivit, ac ſecundùm Divinitatem ſuam perpeſſionis omnis eſt expers. Qui è ſupremis ortus, & à Patre genitus perpetuò exiſtit. Idem tamen noviſſimis temporibus ex Maria Virgine homo fieri voluit, ut Paulus teſtatur his verbis* (Galat. 4. v. 4.) „ Factus ex muliere, factus ſub Lege „. *Numquam ne illam Scripturæ ſententiam exaudiſti* (1. Cor. 15. v. 35.) „ Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale „ hoc induere immortalitatem „? *At non tibi Iſaias Propheta perſuaſit, cùm ita loquitur* „ Et mortui reſurgent; & excitabuntur qui in monumentis ſunt „? *Ad hæc Dominus ipſe* (Matth. 15. v. 45.) „ Reſurgent, *inquit*, hi in vitam æternam, & iſti in ſupplicium? „ *Non illud denique Abelis poſt mortem cum Deo colloquium recordaris, atque non illius animam, ſed ſanguinem ſupplicare dicat, ac Deum clamoribus interpellare?* (Gen. 4. v. 10.) *Sanguis porrò nequaquam anima eſt, ſed in ſanguine anima potiùs ineſt. Quippe ſanguis adſpectabile corpus eſt; anima verò, cùm viſum omnem effugiat, in ſanguine reſidet. Ita dogmatis tui, ò Bardeſiane, pravitas ipſius vi veritatis everſa penitus concidit*. Hactenus Epiphanius errorem hunc funditùs evertens. Qui plura optaverit adeat ſupra dicta Cap. 1. contra Simonem §. 6. contra Cerinthum cap. 6. §. 4. Cap. 9. §. 4. contra Valentinum &c. Si verum eſſet quod Auctor ſub nomine Prædeſtinati cap. 35. dicit, quòd Bardeſanes naturam corporis dixerit eſſe malam, hinc fortè cogitari poſſet factum fuiſſe, ut corporis reſurrectionem negaret.

V. Quòd verò Bardeſanes præter Libros Canonicos utriuſque Teſtamenti adhiberet etiam alios Libros apocryphos, ut Epiphanius dicit, mirandum non eſt: hæc enim Hæreticorum ars frequenter fuit, ut ſuos errores, quibus Canonicos refragari videbant, tuerentur, vel Sacros à Canone expungere, vel apocryphorum auctoritate ſe munire, & Sacros Codices eſſe falſatos ex eis oſtendere. Hoc in Manichæis deteſtatur S. Auguſtinus L. 11. contra Fauſtum c. 2. dicens: *Ubi ſic manifeſtâ veritate iſti præfocantur, ut obſeſſi dilucidis verbis Sanctarum Scripturarum, exitum in eis falla-*

Digitized by Google

fallaciæ ſuæ reperire non poſſunt, id teſtimonium quod prolatum eſt, falſum eſſe reſpondent. O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem! Uſque adeò invicta ſunt, quæ adversùs vos de Divinis Codicibus proferuntur, ut non ſit aliud quod dicatis, niſi eos eſſe falſatos. Deinde alia ſubjungens, addit: *Tu es ergo regula veritatis? Quidquid contra te fuerit non eſt verum?* An hæc & alia, quæ ibi contra Manichæos dicit Auguſtinus, intorqueri poſſint contra modernos Acatholicos, qui vel Libros, qui contra ſe faciunt, è Canone expungunt, vel etſi admittant, ſuo privato judicio in contrarium ſenſum ab eo quem Eccleſia intelligit, interpretari volunt, judicet prudens ac pius.

VI. Alio errore ab aliquibus notatur Bardeſanes: Quòd ſcilicet hæreſi Valentini de ſuo adderet, fato ſubjici converſationes hominum; ac putant ſe ex S. Auguſtini auctoritate fulciri, qui de Bardeſane dicit Hæreſ. 56. *Addens de ſuo, ut fato adſcriberet converſationes hominum*. Verùm cùm nec Epiphanius, nec Euſebius, nec Hieronymus, nec Theodoritus hoc errore eum notent, imò contrarium potiùs evincant, dum aſſerunt à Bardeſane editum fuiſſe librum contra Fatum, & Antonino Lucio Vero Imperatori oblatum, cujus fragmentum adhuc extat apud Euſebium L. 6. Præparat. Evang. c. 10.: in quo diſtinguens homines à brutis, iſta quidem neceſſitate duci aſſerit, illos verò proprio arbitrio regi multis oſtendit: propterea veriſimile non videtur, eum fuiſſe in errore, quem tanto ardore & efficaciâ impugnavit. Unde Baronius ad ann. 175. n. 19. cenſet, illa verba non eſſe Auguſtini, ſed in ejus textum alicujus inſcitiâ irrepſiſſe, cùm in veteribus Manuſcriptis deſiderentur: ideoque PP. Maurini in ſua editione illa verba omiſerunt.

VII. Lambertus tamen Danæus in Opuſc. de Hæreſ. cenſet, Bardeſanem in diſputatione habitâ cum Abida Aſtrologo & Fati propugnatore, cujus meminit Epiphanius, hujus argumentis, quamvis falſiſſimis ceſſiſſe, & propriam deferendo ſententiam Fatum approbaſſe. Sed præfati Patres non dicunt, Bardeſanem cum Abida voce diſputaſſe, ſed ſcripto, Librum contra eum edendo, quem poſtea Imperatori obtulit. Non ergo Abidæ ceſſit, ſed in ſua ſententia permanſit.

VIII. Diodorus Tarſenſis apud Photium Cod. 223. pag. 662. ſentit, Bardeſanem à Fato & ſiderali poteſtate animas quidem exemiſſe, ſed non corpora: ſic enim dicitur ibi Diodorus *ſimul dum Fati opinionem convellit, etiam Bardeſanis ſententiam refellit: quæ ipſa ut ex dimidio ab illo refecta, ita ſemiiuſana etiamnum remanſit. Nam etſi animam quidem à Fato, & à natalitia notatione quæ*

quæ dicitur, *liberam dimittit*, *arbitrii libertatem illi conſervando*: *corpus tamen & quæcumque ad corpus ſpectant Fato gubernanda ſubjicit*. *Divitias*, *inquam*, *egeſtatem*, *morbum*, *vitam*, *mortem*, *& quæ in noſtra non ſunt poteſtate*, *eaque omnia Fati eſſe effecta tradit*: Hæc Diodorus de Bardeſane. Quæ non improbabilia de tali homine judicarem. Qui enim poſt impugnatam, & quidem validè, Valentini hæreſim, eam poſtea quaſi moderando, in parte admittere non erubuit; incredibile non eſt, quòd poſtquam ſententiam de Fato prorsùs rejecit, eam poſtea dimidiando, ex parte quidem abjecerit, ex parte autem admiſerit. Sed hoc meliori judicio dijudicandum relinquam.

IX. In mei præſenti argumenti robur pro firmitate Catholicæ veritatis cum Epiphanio num.3. ſic claudam: *Cæterùm cùm ſincera fides undique ſarta tecta cuſtodiatur*, *in eaque fidelium ſalus ac firmamentum ſit poſitum*, *facilè univerſarum hæreſeon conficta mendacia diſſolvuntur*. *Quemadmodum & hæreticus iſte disjectus eſt*, *qui ſe miſerrimum in ſtatum redegit*, *& à vita penitùs alienavit*. *Etenim Propheta* (Iſaias c.54. v.11.) *ita Sanctam Dei Eccleſiam alloquitur*: „ Ponam carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua ſapphyrum, & muros tuos lapides electos, & propugnacula jaſpidem „. *Deinde ſubjicit* v.17. „ Omnis vox, quæ adversùs te conſurget, omnes illos vinces; contra te verò non proſperabitur „. *Nihil enim eſt quod veram fidem expugnare poſſit*, *quia* „ Super Petram ædificata eſt: & portæ inferi non prævalebunt adversùs illam „. *Quod eidem Deus Verbum*, *Rex*, *inquam*, *ipſius ac Sponſus*, *ac Dominus promiſit* (Matth. 16. v. 18.). Hæc attende Lector, & videbis contra omnes hæreſes Chriſti promiſſum impletum, & in futurum etiam implendum. De his vide Hieronymum in Cap. 54. Iſaiæ.

CAPUT XXXII.

De Noetianis.

§. I.

Noeti conditio, *errores*, *& exitus*.

I. NOETIANI à quodam Noeto dicti ſunt. Ita S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 36. *Noetiani à quodam Noeto*. S.Epiphanius Hæreſ.57. *Poſt hunc* (Bardeſanem nempè) *alius quidam hæreticus Noetus nomine prodiit*, *neque multis ab hinc annis*: *ſed ante hos ferè centum ac triginta*, *in Aſia oriundus*, *urbe* Ephe-

Digitized by Google

Epheſo. Quibus, & tempus quo vixit, de quo infra, & patriam refert. Apud Philaſtrum Hæreſ. 53. *Noetianus* mendosè legebatur, in nova autem editione Fabritii *Noetus* ponitur. Licèt autem Noetum hunc genere Aſianum, patriâ Epheſium fuiſſe dicat Epiphanius; Damaſcenus tamen Hæreſ. 57., cæteroquin Epiphanium ſequi aſſuetus, eum patriâ Smyrnenſem facit: *Noetus hic Smyrnenſis ex Aſia fuit*. Et ante ipſum Hippolytus Portuenſis Martyr in Libro contra Noetum ipſi tributo: *Alii quidam*, inquit, *doctrinam ſubintroducunt, facti diſcipuli cujuſdam Noeti, qui genere quidem Smyrnæus fuit non multò ante*. Idem ſentit Theodoritus L. 3. Hær. Fab. cap. 3. *Noetus autem erat genere quidem Smyrnæus*. Imò Epiphanius ipſe in Synopſi Libri 2. Tom. 1. ait: *Noetus hic Smyrnenſis ex Aſia fuit*. Unde Noetum patria Smyrneuſem fuiſſe non eſt dubitandum.

II. Circa tempus, quo Noetus vixit, cùm ut ſupra dixi S. Epiphanius aſſerat, tempore quo ipſe ſcribebat, ante ferè centum ac triginta annos Noetum prodiiſſe; & Panarium ſuum de Hæreſibus inchoaverit anno Chriſti 374. Valentis & Valentiniani Imperii anno XI.: fit, hæreſim ſuam Noetum inchoaſſe circa annum Domini 244. Quod concordare videtur cum iis quæ de Sabellio infra dicam, omnes enim Scriptores & Patres in hoc conveniunt, quòd Sabellius Noeti diſcipulus fuerit, ab eoque eundem errorem hauſerit. Porrò cum Sabellius innotuerit ſub Pontificatu Xiſti & Stephani I., ut tradit Dionyſius apud Euſebium L. 7. Hiſt. c. 7. Gallieno imperante circa ann. Domini 259.; ſequitur, Noetum paucis ante annis agnitum fuiſſe. Hoc ſolùm difficultatem mihi ingerit, quòd S. Hippolytus ſupra relatus dicit, quòd *Noetus fuit non multò ante*. Cùm enim S. Hippolytus communiter credatur floruiſſe anno 220. vel 222.; ſi Noetus hæreſim ſuam prodidit ſolum anno 244.; non video, quomodo potuerit Hippolytus dicere, quòd Noetus non multò ante fuit: cùm potiùs ejus ætate nondum hæreſis prodierit, nec Noetus Hippolytum, ſed Hippolytus Noetum præceſſerit. Dici poſſet cum Lamberto Danæo in Opuſc. de Hæreſ. c. 36., hæreſim hanc ſub Noeto primùm innotuiſſe ſub Pontificatu Soteri, & Imperio Marci Antonini & Luci Veri circa annum 173., octuageſimo & quarto anno antequam à Sabellio recoqueretur. Hanc tamen difficultatem viris eruditis, Hippolyto librum illum adverſùs Noetum adjudicantibus, enodandam relinquo.

III. Duos errores effudit Noetus. Unum, quo dicebat, unam ac eandem Perſonam eſſe Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ideoque Patrem eſſe paſſum. Alterum, quo aſſerebat ſe eſſe Moyſen: fratrem verò ſuum, quem in errore ſocium habebat, eſſe

Aaronem (non *Eliam*, ut apud Philaſtrium Hæreſ. 53. fortè mendoſè legitur). Ita Epiphanius Hæreſ. 57. num. 1. ubi poſtquam dixit, quòd Noetus *alieno ſpiritu afflatus ea dicere ac docere auſus eſt, quæ nec Prophetæ, nec Apoſtoli, nec Eccleſia ab initio tenuit, ac ne cogitavit quidem*. Subjungit: *Igitur velut quâdam elatus inſaniâ, paſſum eſſe Patrem non dubitavit aſſerere. Sed & majori quadam arrogantiâ ac vecordiâ elatus, ſe ſe Moyſen, fratrem verò ſuum Aaronem eſſe dixit*. De primo Noeti errore teſtatur etiam S. Auguſtinus Hæreſ. 36. dicens: *Noctiani à quodam Noeto, qui dicebat, Chriſtum eundem eſſe Patrem & Spiritum Sanctum*. Theodoritus L. 3. Hæret. Fab. c. 3. de Noetianis ait: *Unum dicunt eſſe Deum & Patrem omnium opificem, latentem quidem quando voluerit, rursùs autem apparentem, quando placuerit, & eundem eſſe inviſibilem, & videri, & genitum & ingenitum: ingenitum quidem ab initio: genitum autem, quando naſci voluit ex Virgine: impatibilem & immortalem: rursùs patibilem & mortalem. Cùm enim eſſet impatibilis, crucis, inquit, paſſionem ſuâ ſponte ſuſtinuit. Eum & Patrem & Filium nominant, prout uſus exegerit, vel hoc vel illud appellantes. Noeti autem appellati ſunt, qui hanc ſunt hæreſim ſecuti*. Ita Theodoritus.

De utroque Noeti errore loquitur etiam Hippolytus in præcitato libro contra Noetum his verbis: *Dixit hic, Chriſtum eſſe eumdem Patrem, ipſumque Patrem genitum eſſe & paſſum .... Ajebat hic ſe eſſe Moyſen, & fratrem ſuum eſſe Aaron*. Damaſcenus quoquè Hæreſ. 57. de Noeto: *Is*, inquit, *in currum furoris elatus .... Filio-Patrem, aut Patri-Filium aſſerere Chriſtum auſus eſt, eundem Patrem ac Filium & Spiritum Sanctum profiteri, ſe verò Moyſen eſſe, fratremque ſuum Aaronem venditare*.

IV. Adeò atrocis blaſphemiæ rumore ad Eccleſiam Smyrnæ perlato, Noetum presbyteri advocant, monentque, ut ab inaudita blaſphemia retractatione recedat. Ita Epiphanius: *Inter hæc*, inquit, *beatæ memoriæ presbyteri ejus rei famâ permoti hominem advocant, deque his omnibus interrogant, utrumnam tam contumelioſum in Patrem dogma propoſuiſſet. At ille coram Presbyterorum conſeſſu productus, inficiari primò, quòd ante ipſum nemo atrox illud atque exitiale virus evomuiſſet*: Inde dimiſſus & pervicacior factus, diſcipulos, quorum primi decem fuere, ſibi aggregare curavit. Quo audito iterum Presbyteri congregati, Noetum unà cum diſcipulis, quos in errore pertinaces cognoverunt, à fidelium communione ejecerunt. Ita Epiphanius proſequitur: *Poſtea verò cùm rabiem ſuam nonnullis, ut ita dicam, aſperſiſſet, ac decem ferè homines ſibi adjunxiſſet, majorem in ſuperbiam atque inſolentiam elatus,*

atque audacior factus, palàm hæreſim ſuam diſſeminavit. Proinde rurſùm iidem illi Presbyteri, tam ipſum, quàm qui ſe ad eum infeliciter aggregarant, arceſſunt, atque iiſdem de rebus ſciſcitantur. Ille cum grege ſuo frontem perfricans audacter contradicere cœpit. Ac quid, inquit, mali feci? Unum Deum veneror, unum novi; nec præter ipſum alterum natum, paſſum, mortuum. Ad quam opinionem cùm conſtanter adhæreſceret, eum pariter atque ejus diſcipulos ab Eccleſia pellunt. Hæc Epiphanius. Similia habet Hippolytus Martyr in aſſerto Libro contra Noetum.

V. Porrò quod ibi dicit Epiphanius, Noetum primò negaſſe, quia nemo ante illum tam atrox virus evomuiſſet, intelligi debet reſtrictè; vel quod nemo ibi Smyrnæ id docuiſſet, vel quòd nemo publicè & de hoc ſpecialem Sectam faciendo errorem illum profeſſus fuerit. Cæterùm fuiſſe in ſchola Montani blaſphemiam præconceptam, patet ex iis quæ ſupra cap. 23. §. 2. n. 7. dixi de Praxea ex Auctore Append. ad L. de Præſcr. Tertull. c. ultimo, qui hâc eâdem labe infectus fuit. Hinc Theodoritus L. 3. Hæret. Fab. c. 2. de Montaniſtis: *Nonnulli autem eorum*, inquit, *tres Perſonas Divinitatis ſicut & Sabellius negarunt, eundem eſſe dicentes Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum Aſianus Noetus.* Imò cap. ſequenti dicit, quòd Noetus *renovavit hanc hæreſim, quam quidam Epigonius nomine primus peperit; Cleomenes autem acceptam confirmavit.* Ex quibus apparet, Noetum hujus hæreſis non fuiſſe inventorem, ſed potiùs propagatorem ſeu renovatorem.

VI. Non diu tamen ſupervixit homo infeliciſſimus, ſed brevi unà cum fratre nequitiæ ſuæ conſorte è vivis exceſſit, Fidelium communione & Eccleſiaſticâ ſepulturâ, ut merebatur, privatus. Ita Epiphanius num. 1. *Moritur deinde paulò poſt cum fratre ſuo; neque tamen aut ille pari ac Moyſes olim, aut ejus frater eâdem quâ Aaron honorificentiâ ſepulti ſunt: tanquam enim deſertores abjecti ſunt, nec ab ullo Catholicorum ſepulturæ mandati:* extincto tamen auctore extinctus non fuit error, ſed ab illius aſſeclis iiſdem argumentis roboratus: *Poſt hæc* (proſequitur Epiphanius) *qui corruptam ab eo doctrinam hauſerant, iſtud ipſum dogma corroborarunt, iiſdem, quibus ipſorum magiſter initio, verbis adducti.* Aliqua tamen non minùs impia Caliſtum quendam addidiſſe, refert Theodoritus L. 3. Hær. Fab. c. 4. dicens: *Eam poſt Noetum defendit Caliſtus, qui etiam excogitavit quædam additamenta impietati dogmatis.* Quæ autem iſta fuerint, non dicit.

VII. Brevis etiam fuit ſub Noeti nomine hujus hæreſis duratio, ſive quia in ſubſequentium hæreſum, & præſertim Sabellianæ,

nomen tranſivit, unde Theodoritus citato loco agens de Nepote cap.7. dicit,ſuâ ætate nullam ſub Noeti nomine hæreſim extitiſſe. Sive quia iſta ſicut & omnes aliæ veritate prævalente ſuffocata remanſit. Quare Theodoritus (quod mei præſentis Operis argumentum mirè confirmat) poſtquam ſingulatim oſtendit, omnes hæreſes ad ſua uſque tempora exortas, vel penitùs evanuiſſe, vel vix alicubi reperiri; Catholicam tamen veritatem toto Orbe dominari, & ſuper hoc Prophetarum attulit vaticinia, addit: *Hæ autem prædictiones per Eccleſiam finem accepere. Hæreticorum autem doctrina, partim quidem radicitùs evulſa eſt, partim autem à ſemiaridis arboribus nihil differt, in paucis urbibus & vicis manens, & eorum qui illa compoſuerunt imbecillitatem & falſitatem oſtendens. Dominus enim diſpergit ac diſſipat ſigna ventriloquorum, & divinationes à corde, & ſtatuit verba Filii ſui, & conſilium Angelorum ſuorum verum eſſe oſtendit, & diſſipat conſilia gentium, & infirmat cogitationes populorum. Conſilium autem Domini manet in æternum. Cogitationes cordis ejus in generationem, & generationem. Beatus ergo populus, cujus eſt Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem ſuam.* Hæc, quæ Theodoritus de hæreſibus ad ſua uſque tempora, fiduciam nobis augent, hoc idem Deo patrocinante Catholicæ veritati, hæreſibus noſtrorum temporum eventurum.

§. II.

Errores Noeti confutati.

I. PRimus Noeti error ex dictis Trinitatem Perſonarum à Deo auferebat, aſſerendo, unam eandemque Perſonam eſſe Patrem Filium & Spiritum Sanctum, & proinde Filio pro nobis paſſo Patrem quoque eſſe paſſum aſſerebat: quâ ratione ejuſmodi errore infecti *Patripaſſiani* poſtea dicti fuere. Circa hoc duo extremi errores fuere. Unus neſciens componere cum unitate naturæ Divinæ Trinitatem Perſonarum, ut tueretur naturæ Divinæ unitatem, Perſonarum Trinitatem negavit. Et hic error fuit Noeti & Sabellii. Alter verò neſciens Trinitatem Perſonarum conciliare cum unitate naturæ, ut ſalvaret Trinitatem Perſonarum, ſuſtulit naturæ unitatem. Et hic fuit error Arii. Veritas autem Catholica in medio ſtans, & Trinitatem Perſonarum in Deo ſemper admiſit, & ſimul Unitatem naturæ ſtrenuè propugnavit.

II. Indè autem Noeti error, unde ortus fuit ab oppoſito error Theodoti, de quo ſupra. Quia enim Theodotus legebat in Scripturis

pturis Chriſtum hominem, in ſola humanitate hærens eum nudum eſſe hominem aſſerebat; ſic Noetus audiens in eiſdem Chriſtum Divinam habere naturam cum Patre & Spiritu Sancto, ad hanc ſolam reſpiciens, Chriſtum Filium unum & eundem cum Patre & Spiritu Sancto eſſe affirmabat; non ad alia Scripturarum loca, quibus diſtinctio Chriſti Filii à Patre & Spiritu Sancto apertè demonſtratur. Ita diſcurrit Epiphanius Hæreſ. 57. num. 2. de Noetianis dicens: *Sic igitur ſimplex quiddam Deo, uniuſque formæ tribuunt, ac Theodotum imitantur. Nam ut iſte ad unum extremum declinans, nudum hominem Chriſtum eſſe diſſeruit: ſic ille* (Noetus) *aliud ad extremum deſciſcens, eundem eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, uniuſque Perſonæ ſtatuit: & hunc ipſum paſſum ac natum eſſe exiſtimavit. Sed neque Theodoti ſectatores veri aliquid elocuti ſunt, neque Noetus, aut Noeti diſcipuli, qui Anoetus, hoc eſt* inſipiens, *quod ad vim ingenii & facultatem pertinet, potiùs eſt dicendus, cùm utroſque ac cæteros omnes à veritate aberrantes Sacræ Literæ redarguant.*

III. Propterea Noeto coram Presbyterorum concilio dicenti: *Unum ſe Deum colere*; reſponderunt (apud Epiphanium n. 1.) *Et nos unum quoque Deum colimus: ſed quemadmodum legitimè illum colere novimus. Itidemque Chriſtum habemus unum, ſed quemadmodum novimus, unum Chriſtum Dei Filium, paſſum quomodo paſſus eſt, mortuum quomodo mortuus eſt. Qui & reſurrexit, & in Cœlum aſcendit, & ad Patris dexteram manet, & venturus eſt judicare vivos & mortuos. Hæc nos ab Scripturis Sacris accepta profitemur, quæ & novimus.* Ita Catholici illi Smyrnenſes Presbyteri: ideſt Chriſtum Dei filium eſſe paſſum, mortuum, ſed quomodo Sacræ Scripturæ docent eum eſſe paſſum, & mortuum, nempè ſolum ipſum non Patrem.

IV. At Noetiani dicebant, ſe etiam unum Deum fateri: addebant tamen: ſi Chriſtum confitemur Deum: igitur ipſe eſt Pater, ſi eſt Deus: paſſus verò eſt Chriſtus Deus, Pater igitur eſt paſſus, Pater enim erat ipſe. Verùm hæc aperta inſania eſt. Si enim Chriſtus eſt Filius, ut Noetiani admittunt, non poteſt ipſe eſſe ſui Pater: *Etenim* (inquit Epiphanius n.3.) *qui fieri poteſt ut idem Pater ſit ac Filius? Nam ſi Filius eſt, neceſſe eſt alicujus ſit Filius, à quo ſit genitus. Sin Pater eſt; ſe ipſum generare nihil poteſt. Neque enim idipſum, quod Filius dicitur, ſe ipſum genuit, ſed eſt à Patre genitus.*

Præterea hoc manifeſtè paſſim Scripturæ teſtantur. Pater ipſe de Cœlo Chriſtum filium ſuum eſſe, & quidem perſonam à ſe diſtinctam teſtatus eſt, ſemel quidem in Jordane Matth. 3. v. 16. & 17.

& 17. ubi baptizato Chriſto dicitur : *Et ecce aperti ſunt ei Cœli : & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe . Et ecce vox de Cœlis dicens : Hic eſt Filius meus dilectus , in quo mihi complacui* . Quod repetit Lucas c.3. v. 22. Et iterum in monte Thabor Matth. 17. v. 5. & *Ecce vox de nube dicens : Hic eſt Filius meus dilectus , in quo mihi benè complacui : ipſum audite* . Quæ S.Petrus, qui fuit præſens, & audivit Epiſt.2. c.1. v.17., de Chriſto ait : *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam , voce delapsá ad eum hujuſcemodi à magnifica gloria : Hic eſt Filius meus dilectus , in quo mihi complacui , ipſum audite . Et hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam , cùm eſſemus cum ipſo in monte Sancto* . Super quæ Epiphanius non dixit , inquit : *Ego ſum Filius meus, audite me* , ſed *Hic eſt Filius meus , ipſum audite*, ut oſtenderet Pater, Filium Perſonam eſſe à ſe diſtinctam. Et infra idem Epiphanius n.4. *Ad hæc*, inquit , *Pater ad Jordanem de Cœlo loquutus eſt : Filius verò ad Jordanem deſcendit : Spiritus Sanctus inter utrumque ſub columbæ ſpecie apparuit , & in hunc illapſus eſt . Quamquam Spiritus Sanctus minimè carnem ſuſcepit , neque corpus induit . Sed ne Filius cum Spiritu Sancto coaleſcere confundique crederetur , ſub imagine columbæ videndum ſe præbuit : uti nimirùm Spiritus cum ſingulari ac propria perſona cerneretur* . Sic ergo ibi Perſonarum Divinarum diſtinctio manifeſtè demonſtrata fuit : Patris nempè à Filio , & Spiritus Sancti ab utroque .

V. Se alium eſſe à Patre Chriſtus ipſe teſtatur maximè Joan. 16., ubi v. 5. ſe à Patre miſſum dicit , & ad ipſum redire : *Vado ad eum qui miſit me* . v.16. *Vado ad Patrem* . Et v.28. *Exivi à Patre, & veni in mundum : iterum relinquo mundum & vado ad Patrem* . Hæc certè non diceret , ſi ipſe eſſet Pater . Se quoquè alium eſſe à Spiritu Sancto ibidem demonſtrat ubi v. 7. dicit : *Expedit vobis ut ego vadam : Si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos : Si autem abiero , mittam eum ad vos* . Item v.14. *De meo accipiet* . Unde Epiphanius ait : *De Spiritu verò Sancto ſic loquitur* ,, Si ego abiero , ille Spiritus veritatis ,, . *Sed multò illud apertiùs* ,, Ego vado , & ille venit . Neque verò dixit : Ego vado , & ego venio . *Sed iiſce vocibus* ,, Ego , & ille ,, *tam Filium hypoſtaſi ſuâ conſtare , quàm Spiritum Sanctum itidem ſuâ , demonſtrat . Item* ,, Spiritus veritatis qui à Patre procedit , de meo accipiet ., . *Quibus verbis oſtendit , & hypoſtaſim Patri propriam , & Filio , & Spiritui Sancto eſſe tribuendam* . Ita S. Epiphanius .

Accedit S. Auguſtinus Tract. 94. in Joan. , ubi excitatâ quæſtione , quomodo potuerit Chriſtus dicere , *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* , quaſi præſentia Chriſti impediret S. Spiritus adven-

adventum: eâque ſolutâ dicendo, verba Chriſti ſic eſſe intelligenda: *Non poteſtis capere Spiritum, quamdiù ſecundùm carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum .... Chriſto autem diſcedente corporaliter, non ſolùm Spiritus Sanctus, ſed & Pater & Filius affuit illis ſpiritualiter*. Poſtea ſubjungit: *In nullo autem credendus eſt eſſe Pater ſinè Filio & Spiritu Sancto, aut Pater & Filius ſinè Spiritu Sancto, aut Filius ſine Patre & Spiritu Sancto, aut ſinè Patre & Filio Spiritus Sanctus, aut Pater & Spiritus Sanctus ſinè Filio: ſed ubi eorum quilibet unus, ibi Trinitas Deus unus. Oportebat autem ita inſinuari Trinitatem, ut quamvis nulla eſſet diverſitas ſubſtantiarum, ſingillatim tamen commendaretur diſtinctio perſonarum, ubi eis, qui rectè intelligunt, nunquam videri poteſt ſeparatio naturarum*.

VI. Adducebant pro ſe Noetiani verba Chriſti Joan. 10. v.30. *Ego & Pater unum ſumus*; Sed debuiſſent ad antecedentia reſpicere, ubi dixerat: *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei*. His, quis non videt, Chriſtum fateri ſe non eſſe Patrem, ſed aliam perſonam à Patre, à quo accipit. Ideoque cum ſubjunxit: *Ego & Pater unum ſumus*. Declaraſſe quidem ſe eſſe unum in naturâ cum Patre, non tamen in perſona. Unde S. Hippolytus L. contra Noetum: *Si autem*, inquit, *dicat*: *Ipſe dixit*,, Ego & Pater unum ſumus,, *advertat animum, & intelligat, quòd non dixit*,, Ego & Pater unum ſum,, ; *ſed* unum ſumus. *Illud enim* ſumus *non* dicitur de uno; ſed ſic dixit, quia duas perſonas demonſtravit, unam autem potentiam ſeu virtutem; quam ei dederat Pater per originem, quâ ab eo procedit. Hoc præter multa advertit Tertullianus in Lib. contra Praxeam eodem, quo Noetus, errore infectum c.22., ubi ad illa verba *Ego & Pater unum ſumus*, ait: *Hìc ergo jam gradum volunt figere ſtulti, imò cæci qui non videant. Primò*, Ego & Pater, *duorum eſſe ſignificationem: dehinc in noviſſimo* ſumus, *non ex unius eſſe perſona quod pluraliter dictum eſt: tum quod* unum ſumus, *non* unus ſumus. *Si enim dixiſſet, quod* unus ſumus, *potuiſſet adjuvare ſententiam illorum*: *Unus enim ſingularis numeri ſignificatio videtur. Adhuc cùm duo maſculini generis, unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad ſingularitatem, ſed ad unitatem, ad ſimilitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris qui filium ....* Unum ſumus *dicens*, ego & Pater, *oſtendit duos eſſe, quos æquat, & jungit*. Ita Tertullianus, ubi addit S. Auguſtinus in Collat. cum Maximino Ariano num. 14. *Quando dicitur unum ſunt, etſi non dicatur quid unum, intelligitur una ſubſtantia*. De hoc egi Tom. 4. in 1.p. Qu.1. de Trinit. Dub.2. ſ.2. à num.18.

VII. Addam tamen, per hæc verba *Unum ſumus*, voluiſſe Chri-

Chriſtum duos prævenire errores, Sabellii & Noeti unum, Arii alterum, ut alterum quidem à Patre faceret Filium, ſed Patri æqualem. Quare pulchrè S. Auguſt. Tract. 71. in Joann. *Audi*, inquit, *Sabelliane: uſque adeò non ipſe Pater, ſed alter eſt Filius, ut eum Arianus inæqualem aſſerat Patri. Audi Ariane. Uſque adeò Filius æqualis eſt Patri, ut Sabellianus eundem dicat & Patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple quem minuis, & nobiſcum ambo conſiſtitis: quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui alter eſt à Patre ut convincas Sabellianum, & æqualis Patri ut convincas Arianum. Utriſque enim clamat*,, Ego & Pater unum ſumus,,. *Quod ait* unum, *audiant Ariani: quod ait* ſumus, *audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando ſint vani.*

VIII. Quia verò Noetiani negabant pluralitatem Perſonarum in Deo, clamantes ex Scripturis, unum eſſe Deum; ideo eorum voces ita comprimit Epiphanius num. 4. *Quis non aſſerat, unum Deum eſſe Veritatis Patrem Omnipotentem, à quo Unigenitus Filius verè progreſſus eſt, Deus Verbum, Verbum, inquam, in propria Perſona conſiſtens, & à Patre re verá ſinè ullo initio ac tempore genitum? Unum itaque Deum cautè & prudenter Eccleſia prædicat; Patrem videlicet & Filium*,, Quoniam, *inquit*, ego in Patre, & Pater in me eſt. Et ambo unum ſumus,,; *hoc eſt, una Divinitas, & voluntas una, & una dominatio. Cæterùm ex Patre Spiritus quoque procedit, ſuâpte conſtans hypoſtaſi, ac re ipſâ perfectus Veritatis Spiritus*,, qui illuminat omnia, qui à Filio accipit: Veritatis, *inquam*, Spiritus, Spiritus Patris, Spiritus Chriſti,,. *Itaque unam Eccleſia Divinitatem agnoſcit: eſtque Deus Veritatis Pater, perfectus Pater, hypoſtaſi ſuâ præditus: perfectus Filius, ſuam peræquè habens hypoſtaſim; perfectus denique Spiritus Sanctus, & ſuam ſibi hypoſtaſim vendicans: una Divinitas, unaque dominatio. Quibus de cauſis Deum unum Sacræ Literæ pronuntiant, nimirùm conſubſtantialem Triadem, ac ſemper exiſtentem, cui eadem identitas, idemque dominatus attribuitur*. Ita Epiphanius Catholicam de Trinitate doctrinam Noetianis opponit.

IX. Opponebant inſuper Chriſti verba Joann. 14., ubi petenti Philippo, *Domine, oſtende nobis Patrem*, reſpondit: *Philippe: Qui videt me, videt & Patrem... Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?... Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Dicendo igitur: *Qui videt me videt & Patrem*; & rurſus: *Ego in Patre & Pater in me eſt*, quid aliud demonſtrat, niſi ſe eſſe Patrem factum viſibilem per hominis ſpeciem?

X. Sed ineptè diſcurrunt Noetiani. Si enim Chriſtus Filius erat in Perſona Deus Pater, debuiſſet dicere *Ego ſum Pater*: ſed ſe

ipſum

Digitized by Google

ipſum diſtinguens à Patre dixit, qui *videt me*, & inde *videt & Patrem*. Duo ergo ſunt Filius & Pater, quorum tamen unus naturâ & potentiâ per circumſeſſionem manet in altero: & ideò ſubjunxit *Ego in Patre*, non *Ego Pater*; & *Pater in me eſt*, non dixit *Pater idem ac ego eſt*. *Quare*, inquit Epiphanius num. 10. *cùm ipſe Pater minimè ſit ſed Filius, verè iſtud uſurpavit* „ Qui videt me, videt & Patrem „ *ad refutandam Arii blaſphemiam, quæ Filium alienet à Patre*. Verba hæc *Qui videt me, videt & Patrem* exponens S. Auguſtinus Tract. 70. in Joann. *Non quòd*, inquit, *ipſe eſſet Pater & Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripaſſiani, Catholica fides damnat: ſed quòd tam ſimiles ſint, ut qui unum noverit, ambos noverit. Solemus enim de ſimillimis duobus ita loqui eis qui unum illorum vident & qualis eſt alius volunt noſſe, ut dicamus: Vidiſtis illum, illum vidiſtis. Sic ergo dictum eſt* „ Qui me videt, videt & Patrem „: *non utique ut ipſe ſit Pater qui Filius, ſed quòd à Patris ſimilitudine in nullo prorsùs diſcrepet Filius*.

XI. Similiter Tract. 71. ſubdit: *Item ſi quoniam dixit* „ Pater in me manens ipſe facit opera „ *propterea putatur non alius eſſe Pater, alius ipſe; audiatur quod dixit* „ Quæcumque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit „: *& intelligatur, non bis unus, ſed duo unum. Verùm quia ſic æqualis alter alteri, ut tamen alter ex altero, ideò non loquitur à ſemetipſo, quia per quem & cum quo facit, non eſt niſi ab ipſo*. Hæc & alia peracutè ut de more S. Auguſtinus.

S. Hippolytus quoque contra Noetum ait: *Cùm enim Chriſtus in omnibus ſe Filium dixiſſet & demonſtraſſet, non tamen cognoverant eum, neque virtutem ejus intelligere & intueri potuerunt. Et hoc Philippus cùm capere non poſſet, quoad videre licebat, volebat videre Patrem. Cui Dominus dixit*, „ Philippe, tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti me? Qui vidit me, vidit Patrem „. *Ideſt ſi me vidiſti, per me potes Patrem cognoſcere. Per imaginem enim, quæ ſimilis eſt, poteſt facilè Pater cognoſci. Sin verò imaginem, quæ eſt Filius, non cognoviſti, quomodo vis Patrem videre?* Hæc Hippolytus: qui deinde oſtendit, Filium eſſe alium à Patre, quia in eodem cap. Filius dicit *ſe miſſum eſſe à Patre*, & *ad Patrem ire*. Quibus addi poſſunt alia loca, quibus Chriſtus Filius rogat Patrem, ut Matth. 26. v. 39. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Lucæ 23. v. 46. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Joann. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Non rogaret autem Patrem, ſi ipſe eſſet Pater: quia nemo rogat ſe ipſum. Sed hæc ſufficiant. De eis redibit ſermo cum de Sabellianis agemus.

XII. Alter Noeti error, nempè ſe ipſum Moyſen eſſe, fratrem ſuum verò Aaronem, ſeu (ut apud Philaſtrium) Eliam, contemnendus potiùs & irridendus eſt, quàm impugnandus. Quia verò id fortè concepit ex opinione quâ quidam putarunt, Moyſen nondum mortuum eſſe, ſed quemadmodum Enoch & Eliam, vivum translatum, cui opinioni faviſſe viſi ſunt Ambroſius Lib. 1. de Cain & Abel. c. 2., Hilarius in c. 20. Matth., Hieronymus in c. 9. Amos, Nyſſenus L. de Vita Moyſis, quamvis nec præfati Patres verè hoc ſentiant, & communis ſententia ſit Moyſen reverà mortuum eſſe, & ſolùm ubi ſepulcrum ejus ſit ignorari; ita enim Deuteron. c. 34. v. 5. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino, & ſepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo ſepulcrum ejus uſque in præſentem diem. Moyſes centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt.* Aaronem quoque mortuum eſſe in monte Hor deſcribitur Num. 20. à verſu 26. Deuteron. c. 10. v. 6. & c. 32. v. 50. Si ergo Moyſes & Aaron mortui ſunt; quomodo ſe Moyſen, & fratrem ſuum Aaronem eſſe venditabat Noetus? An quia in eo uterque ſurrexerat? At unde hoc & quo ſigno demonſtrabat? Apage inſaniam!

CAPUT XXXIII.

De Valeſiis.

§. I.

Eorum Auctor, error, & mores.

I. VALESIOS quendam nomine Valentem genere Arabem ſuæ Sectæ Auctorem habuiſſe, ex quo ejus ſectatores in Bacathis Philadelphenæ Provinciæ ſedem habuerint, ſuſpicatur Epiphanius Hæreſi 58. his verbis: *Sæpenumero de Valeſiis audivimus; ita tamen ut de illorum auctore Valente, ubinam is gentium fuerit, aut undenam excitatus fuerit; quæ illius dicta, quæ præcepta ac ſermones extiterint, nondum comperire potuerimus. Quamquam ex ejus nomine, quod Arabicum eſt, nonnulla nobis ſuſpicio eſt, in eadem illum opinione fuiſſe, atque ipſius hoc tempore verſari ſectam, quam eſſe nonnullorum diximus, qui in Bacathis Philadelphenæ Provinciæ ultra Jordanem habitant.* In eandem ſuſpicionem venit Damaſcenus Hæreſ. 58. dicens: *Valeſii. Hi ſunt qui Bacathi, quod Arabiæ Philadelphienſis primarium oppidum eſt, habitant.* Nicetas autem L. 4. Theſaur. Orthod. aſſertivè: *Valens,* in-

inquit, *quidam Arabs natione fuiſſe fertur, ex quo evenit, ut ejus hæreſis in Bacathis pullularet*. Eam tamen, non Valeſiorum, ſed *Valentiorum* appellant. Aliqui tamen non ab Auctore, ſed ab operatione, & errore eam *Eunuchorum* vocitant. Verùm ut ait Epiphanius: *Ab ejus loci incolis* Gnoſtici *nominantur*. *Quamquam minimè Gnoſtici ſint, & ab iis opinionibus varietate diſſentiant*.

II. Æquè incertum eſt tempus, quo hæc hæreſis determinatè emerſerit: cùm enim Epiphanius ipſe illi ætati vicinior ob inopiam documentorum hæſitanter loquatur, & ſubinde pauci de ea ſcripſerint; proinde multa in obſcuro latent. Sunt ergo qui exiſtimant, Sectam hanc ex Origene initia habuiſſe vel ſaltem ex facto ejus, qui, ut fugeret pericula incontinentiæ (teſte Euſebio Lib. 6. Hiſt. c.8. Nicephor. L.5.c.8. & aliis) ſe ipſum eviravit. Hinc Ricciolius p. 3. Chronol. Reform. catal. 2. poſt hæreſim Origenis collocat Valeſianos ſub anno Domini 249. Quam opinionem apertè tuetur Lambertus Danæus in Opuſc. de Hæreſ. cap. 37. ubi ait: „ Extitiſſe verò, & primùm innotuiſſe videtur poſt Origenem, „ cujus ſeculo variæ per univerſam Arabiam hæreſes ortæ ſunt, „ quemadmodum ex hiſtoriis apparet, & cujus exemplo Valeſii „ ſuam fortaſsè ſententiam & errorem confirmarunt „. Deinde enarratâ Origenis eviratione prout eam Euſebius deſcribit, ſtatim ſubjungit „ Quod Origenis factum hi fortaſsè ſecuti, in omnibus „ Chriſtianis idem locum habere voluerunt. Unde niſi me fallit „ conjectura, hujus hæreſis ortus ſub Anthero Romano Epiſco- „ po, & Juliano Philippo Imperatore collocandus eſt circa an- „ num à Chriſto paſſo 216. „ qui eſt annus à Chriſto nato 249. Et ita Danæus cum Ricciolio circa hujus hæreſis exordium concordat.

III. Si tamen Canonibus vulgò dictis Apoſtolorum fides habenda eſt, apparet, in primitiva Eccleſia hunc errorem fuiſſe ante Origenem proſcriptum. Sic enim Can. 22. legitur: *Si quis abſcidit ſemetipſum, ideſt, ſi quis amputavit ſibi virilia, non fiat Clericus, quia ſuus homicida eſt, & Dei conditionis inimicus*. Can. 23. *Si quis cùm Clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omninò damnetur, quia ſuus eſt homicida*. Et Can. 22. *Laicus ſemetipſum abſcindens annis tribus communione privetur, quia ſuæ vitæ inſidiator extitit*. Ita ex editione Pithœi. Quòd ſi adhæreamus Beveregio in Notis ad eoſdem volenti, hos Canones editos eſſe occaſione hæreſis Valeſiorum, & hos violaſſe Origenem ſe ipſum evirando, oportebit dicere hæreſim hanc ante Origenem ſumſiſſe initia. Unde Prateolus Valeſianæ hæreſis ortum collocat anno 198. ſub Severo Imperatore, & Victore Papa. Quibus omnibus fit, ut omninò

ſtatui non poſſit certò, quo determinato tempore hæreſis hæc ortum habuerit.

IV. Præterire nolo id quod ex Procopio refert Evagrius L. 4. Hiſt.c.22., nempè Juſtiniani Imperatoris ævo Abaſgos gentem ad Euphratem ſitam virilia ſibi abſcindere conſueviſſe, quo putant aliqui, eos Valeſiorum hæreſim innovaſſe. Falluntur tamen, nam hæc non fuit hæreſis, nec Chriſtianorum Secta, ſed Barbarorum atque Ethnicorum, quales tunc erant Abaſgi, conſuetudo, ut evirati majori in æſtimatione haberentur. Quam tamen conſuetudinem tempore Juſtiniani converſi ad fidem, eo præcipiente, omiſerunt. Ita Evagrius citato loco de Abaſgis ait: *Refert præterea idem Scriptor* (Procopius) *Abaſgos per idem tempus ad manſuetiorem cultum translatos Chriſtianam Religionem ſuſcepiſſe, & Eunuchum quemdam Palatii Euphratam nomine, qui natione Abaſgus erat, ab Imperatore Juſtiniano ad eos miſſum eſſe, qui interdiceret, ne cuiquam deinceps in ea gente virilia ferro abſcinderentur, neve vis inferretur naturæ. Ex his enim ut plurimùm eligebantur miniſtri Imperialis cubiculi, quos vulgò Eunuchos vocant. Tunc etiam Juſtinianus, cùm Eccleſiam in honorem Deiparæ apud Abaſgos ædificaſſet, Sacerdotes illis conſtituit. Atque exinde Abaſgi Chriſtianæ legis doctrinam accuratiſſimè didicerunt.* Ita Evagrius. Ex quibus etiam patet, Abaſgos, non ex motivo Religionis ſe eviraſſe & quidem omnes, ut Valeſios, ſed ex motivo humano, ut majori in pretio haberentur; & aliquos tantùm, ut hodie etiam apud Mahumetanos in more eſt.

V. De Valeſiorum moribus hoc ſcripto proditum eſt, quòd omnibus virilia amputabant: & hæc erat præcipua eorum Sectæ teſſera: non enim in ſuam ſocietatem niſi eviratos homines admittebant: hoſpitibus quoque ad eos divertentibus, idem faciebant; renuentes verò, vinculis & manicis alligatos, vi evirabant. Ante evirationem nemini licebat de animatis comedere.

Poſtea omne ciborum genus ei permittebatur. Hæc omnia colligimus ex Epiphanio, qui Hæreſ. 58. de Valeſiis, ait: *Univerſi porrò caſtrati ſunt... Quemcumque verò in ſuam diſciplinam receperint, quamdiù nondum ei exſecta virilia ſunt, ab animatis abſtinet. Poſtquam autem ſive illi perſuaſerint, ſive violenter exſecuerint, tum demum, quaſi ab omni certamine liber, atque extra periculum omne poſitus, ne ciborum uſu ad libidinum voluptates inflammetur, quodcumque ciborum genus permittitur. Neque verò ſuos eo modo dumtaxat afficiunt, ſed etiam peregrinos ſæpè tranſeuntes, & ad ſe ſe divertentes: quemadmodum frequenti de illis rumore ſpargitur. Hos enim intus correptos, & manicis ac vinculis alligatos violenter membris*

bris ſuis mutilant. Hæc ſunt quæ Epiphanius ſe accepiſſe dicit de illis; quorum cùm & nomen & domicilium neſciverit, non alios quàm Valeſios eſſe perſuadet.

VI. Ab initio nondum agniti, Eccleſias cum Catholicis adibant, detectâ verò poſtea eorum amentiâ, à fidelium conſortio ejecti ſunt. Ita Epiphanius ibidem: *Principio itaque Eccleſiam plerique frequentabant, quod eòuſque tenuit, donec, amplificatâ diffuſâque illorum inſaniâ, ab Eccleſiæ conſortio ſegregati ſunt*. Damnatos fuiſſe in Synodo Achajæ ſcribit Auctor Prædeſtinati L. 1. c. 37. *Jam trigeſimam & ſeptimam hæreſim*, inquit, *Valeſii incurrunt, qui infelices & ſe ipſos caſtrant & hoſpites ſuos. Hoc modo dicunt illud impleri* „ Qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum „. *Alia quoque hæretica docere dicuntur & turpia: ſed quæ illa ſint, nec ipſe Epiphanius commemorat, nec uſpiam potui reperire. A Synodo damnati ſunt Achajæ*.

VII. Ex hactenus dictis liquet, palmarem & characteriſticum Valeſiorum errorem fuiſſe, quòd nemini niſi membris viſibilibus abſciſſis ingreſſus in Regnum Cœlorum pateret, ideòque omnibus illorum Sectæ ea abſcinderentur. Ex quo alius per legitimam conſequentiam naſcebatur error, quòd ſcilicet apud eos illicitæ & abominabiles forent nuptiæ, quem in ſuperioribus refutavi (ut in Severo, Tatiano, Encratitis &c.) Si enim eviratio in eorum ſententia ad ſalutem neceſſaria erat; ergo non evirati, & uxorati non erant capaces Regnum Cœlorum intrandi.

Aliis erroribus fuiſſe inquinatos, tradit S. Auguſtinus Hær. 57. qui tamen fuerint, ſibi non conſtare: *Alia quoque hæretica*, inquit, *docere dicuntur & turpia: ſed quæ illa ſint, nec ipſe commemoravit Epiphanius, nec uſpiam potui reperire*. Damaſcenus Hæreſ. 58. ait: *Habent autem & alia quædam erroris referta dogmata: atque in primis Legem & Prophetas abnegant, quaſdamque obſcenitates adjiciunt*. Addit Nicetas: *Eadem itaque Valeſiis quoquè de Principiis & Poteſtatibus cum Archonticis, Sethianis, & cæteris hujus farinæ ſentiunt*. Quod indicat & Epiphanius per illa verba: *Ac de Principatibus & Poteſtatibus cæteriſque in hunc modum ſentiunt*. Corporum etiam reſurrectionem negaſſe aliqui dicunt. Sed quicumque alii fuerint Valeſiorum errores, ſive quòd Legem & Prophetas rejecerint, quòd de Principatibus & Poteſtatibus ſimilia prioribus Hæreticis docuerint, & quòd turpia ut licita admiſerint, & demum quòd reſurrectionem negaverint; cùm hæc omnia in ſuperioribus hæreſibus examinata fuerint & reprobata; ſolum eorum palmare dogma hìc refutandum ſupereſt.

§. II.

§. II.

Valeſiorum error profligatur.

I. VAleſiorum igitur præcipuus & ſingularis error, ne dicam inſania, fuit: Neminem poſſe in Regnum Cœlorum pervenire, niſi membra virilia re ipsâ exſecuerit, ac ſe Eunuchum fecerit. Hic error ipſum Deum hominis conditorem directè ferit, qui hominem cum omnibus ſuis membris etiam virilibus formavit, & ad eorum actum feminam in adjutorium dedit, ut ita humanum genus propagaretur. Ideoque eis benedicens ait Gen. 1. v. 28. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Ne autem dicant, hoc contigiſſe in ſtatu innocentiæ, quando nullum libidinis & incontinentiæ aderat periculum, noverint, hoc idem à Deo dictum fuiſſe poſt diluvium Noe & filiis ejus Geneſ. 9. v. 1. *Benedixitque Deus Noe & filiis ejus: & dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Nec ſolum hominem, ſed & cætera animantia prætatis membris donavit, imò eorumdem abſciſſionem adeò exhorruit, ut animalia, à quibus talia membra abſciſſa fuiſſent, ſibi offerri in ſacrificium nollet, & talem abſciſſionem fieri prohiberet: ita enim Levitici 22. v. 24. legitur: *Omne animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino: & in terra veſtra hoc omninò ne faciatis.* Quod ergo Deus in homine & animantibus condidit; quo carere nolebat ſibi in ſacrificium offerenda, carere homines jubebit, ut ad Regnum Cœlorum admittantur? Rursùs ſi Eunuchos in Eccleſiam Dei nolebat admitti, ideſt nolebat populi Judaici privilegiis frui: unde Deuteron. 23. v. 1. *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Dei:* hos putabimus ſolos in Regnum Cœlorum fore admittendos?

II. At non ſolùm Deo, ſed & Gentibus ipſis atque Ethnicis exoſi & contemtibiles erant Eunuchi. Ideoque Lampridius in Alexandro Severo ſcribit, hujuſmodi eviratos homines eſſe Reipublicæ ac Principum perditionem: unde Alexandrum maximè commendat, quòd Eunuchos nec in officiis habuerit, nec in miniſterio, imò quotquot ab Eliogabalo in Aula retenti fuerant, ejecerit & amicis ſuis dono dederit, datâ facultate, ſi ad bonos mores non rediiſſent, eos occidendi abſque auctoritate Judicis: vocans eos tertium genus hominum, nec videndum, nec in uſu habendum à viris, ſed vix à feminis tolerandum. Hinc Domitianus, licèt aliunde moribus Princeps turpiſſimus, ab Ammiano Lib. 18. lau-

laudatur, quòd lege latâ Eunuchos fieri vetuiſſet. Et contra execratur Lib. 14. Semiramidem veluti primam, quæ in hoc vim injecit naturæ, eam mutilando. Domitiani legem contra Eunuchos Hadrianus confirmavit, crimen capitale adjiciens medico qui exciderit, & ei qui ſeſe excidendum ſinè Præſidis licentiâ obtulerit, ut legitur Lib. 48. Digeſt. Tit. 8. Ad Legem Corneliam de Sicariis, & Veneficis. Cujus Legis meminit Juſtinus Martyr in Apologia 2. ad Antoninum Pium. Quam Legem Chriſtiani Imperatores, & præcipuè Juſtinianus Novellâ ſuâ Conſtitut. 142. Tit. 25. De his, qui Eunuchos faciunt Collat. 9. c. 1., novis pœnis adauxit.

Et meritò quidem. Nam jus naturæ dictat, non eſſe evertendum quod, ut ſupra dixi, à Deo ſapientiſſimè ac providentiſſimè eſt conſtitutum, ejuſque opificium ſervandum eſſe integrum ad finem propter quem illud inſtituit, nempè ſpeciei humanæ propagationem & conſervationem: quæ omnia per evirationem ut patet violantur. Hoc novit Aſſyrius ille Rex apud Lucianum de Dea Syra, qui reſciens Columbanum juvenem pulcherrimum accuſatum de violato thalamo cum Stratonice Regina uxore ſua, ſuâ propria manu ſibi virilia abſcidiſſe, ne ob familiaritatem cum præfata Regina, in ſuſpicionem violatæ fidei maneret: *O Columbane*, inquit, *cur magnum hoc malum perpetraſti? Cur autem te ipſum indigno adeò facinore ſolus virorum deformaſti? Non ita prorſus laudo hæc, ò infelix, qui talia quidem ſuſtinuiſti, qualia utinam neque te pati, neque me aſpicere unquam contigiſſet*. Ita Rex, etſi barbarus, juvenis illius evirationem tanquam naturæ legi contrariam deteſtatur, quam Valeſii neceſſariam ad Regni Cœlorum conſecutionem inſanè omnibus præſcribebant.

III. Videamus modò, quo ſpiritu acti ad hoc conſilium ut ſe ipſos evirarent Valeſii proruperint. Ut ſcilicet, ajebant, vitemus incontinentiæ periculum, abſcindimus membrum libidinis miniſtrum, ſequentes ipſius Chriſti præceptum Matth. 18. v. 8. *Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & projice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum: & ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. Hiſce verbis ab errore tueri ſe arbitrabantur Valeſii, dum quod ipſe præceperat adimplebant.

IV. Eos tamen S. Epiphanius Hæreſ. 58. num. 2. redarguit; quòd ſi propterea quòd ſcandalo ſint membra virilia amputanda judicant, omne membrum à corpore abſcindendum erit, cùm nul-

nullum ſit, quod aliquando ſcandalum non afferat, & præcipuè abſcindere ſibi deberent cor, ex quo ipſo Chriſto teſte Matth. 15. v.18. omnes cogitationes malæ, fornicationes, adulteria exeunt: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes* &c. Sic ergo Epiphanius: *Quòd ſi*, inquit, *membrum illud unum quod ſcandalizat relinquendum non ſit, conſequens eſt nullum ut prorſus relinquatur. Etenim membra nos omnia ſcandalizaverunt. Quis autem eſt, qui cor ſuum in omnibus ſcandalum objiciens avellere atque amputare poſſit? Quippe ex interioribus, inquit, exeunt fornicationes, adulteria, libidines, & id genus cætera. Ecquis igitur cor ſuum abrumpet?*

Deinde illos hoc diſcurſu perſtringit: vel corpus reſurget, vel non reſurget: ſi non reſurget, quid attinet unum ſolum membrum auferre? ſi reſurget: ergo imperfectum reſurget, cùm potiùs reſurgere deberet illud membrum quod non peccavit, quàm alia, quæ non abſciſſa peccarunt: *Si*, inquit, *ut nonnullorum fert impietas & amentia, corpus minimè reſurgit, quid tandem noſtrâ refert, quod ab illis aſſeritur? Cùm enim univerſa membra Cæleſte Regnum minimè ingredi poſſint, quid attinet uno ſolo mutilari membro, cùm id alia nequaquam perficiant? Jam verò ſi corpus excitatur (uti verè accidit) eſine ut in Regno Cælorum mancum aliquid ſit, aut mutilum? Nonne turpis quædam Cæleſtis illius Regni futura ſpecies eſt, ſi truncata membra ad ſempiternam illam gloriam admittantur? Præterea ſi membrum illud quod ſcandalum præbet, abſciſſum fuerit, amputatum utique eſt, ac proinde non peccavit. Quod cùm ita ſit, primum omnium reſurgere ipſum oportet quòd minimè peccaverit.*

V. At quia Valeſii hoc ſe facere dicebant, ut ſic vitarent fornicationes, adulteria, quia Apoſtolo teſte fornicarii & adulteri Regnum Dei non poſſidebunt; noverint, à Regno Dei arceri nedum adulteros & fornicarios opere & effectu, ſed eos etiam qui licèt opere non poſſint, animo tamen & voluntate tales eſſe vellent ſi poſſent: *Eunuchus* enim *verus eſt, non qui non poteſt, ſed qui non vult dare operam voluptati* (inquit Clemens Alexandr. Lib. 3. Pædagogi c.4.) Eviratio autem aufert quidem potentiam ad effectum voluptatis, ſed non aufert, imò auget voluptatis amorem: unde Eccleſiaſtici 20. v.2. dicitur: *Concupiſcentia ſpadonis devirginabit juvenculam*. Et c.30. v.21. *Videns oculis & ingemiſcens, ſicut ſpado complectens virginem & ſuſpirans*. Quapropter S. Auguſt. L.6. contra Julianum cap.14. *Utique*, inquit, *concupiſcere viventis ſentientiſque naturæ eſt, ita ut non deſit concupiſcentia quam ſpadonum quoquè caſtitas frænet, minus quidem laborioſa, quia ubi materiam,*

riam, de qua operetur, non invenit, minùs adversùs eam libido conſurgit. Eſt tamen, pudicèque comprimitur, ne concumbendi quamvis irritus ipſe conatus, in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiani junioris Eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confeſſione convictum. Neque enim & in Libro Eccleſiaſtici adhiberetur indè ſimilitudo & diceretur „ Videns oculis & ingemiſcens, quaſi ſpado complectens virginem & ſuſpirans „: *niſi & ipſi moverentur concupiſcentiæ carnalis affectibus, licèt deſtituti carnis effectibus*. Hæc S. Auguſtinus. Et Epiphanius Hær. 58. n. 4. de Eunucho ait: *Quin etiam vehementiori cupiditate flagrabit. Etenim ſpado non à ſua cupiditate abſtinere, ſed eam perficere non poſſe à ſapiente dicitur* „ Concupiſcentia ſpadonis, *inquit*, devirginabit juvenculam „.

VI. Hoc idem fusè exaggerat S. Baſilius (ſeu quiſquis alius) L. de Virginitate Tom. 3. noviſs. Edit. n. 61. his verbis „ Qui autem non intellexerunt illud, *Et ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum*, ſemetipſos abſurdè mutilaverunt, hoc ipſo facinore laſciviam ſuam eminùs incuſantes. „ Nam qui inſtrumentum amoris carnalis projiciunt, ne, ſi adſit, operetur; eos manifeſtum eſt cupiditate quidem ad concubitum ferri, detractis autem ſibi armis, non quòd nolint, ſed quòd non poſſint, virginitatem colere. Divina autem Lex, non actionem, ſed cogitationem judicat, quiſquis non facto mœchatus eſt, ſed vidit ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt (Matth. 5. v. 28.)..... Quare poſt abſciſſionem, incontinentiores illos meritò quis dixerit. Nam cum ſe continere non poſſint ac propterea metuant ne deprehendantur in flagitio, ut licentiam habeant libidine ad arbitrium utendi, ſervi quidem voluptatis, ſed nolentes perfectionem operis impedimentum ſibi eſſe futuræ deinceps ac perpetuæ voluptatis, abſciſſo actionis argumento licenter inſaniunt ad concubitus „. His & aliis Valeſios arguit Baſilius, dum vitandæ incontinentiæ ſpecie, re verâ autem, ut incontinentiæ liberiùs vacarent, genitalia ſibi abſcindebant: ideoque jure dicit Auguſtinus cum Damaſceno, quòd quædam turpia facinora docebant, & inducebant.

VII. Nec eis prodeſſe poterant Chriſti verba Matth. 18. *Si manus, vel pes tuus, ſi oculus tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & projice abs te*. Nam in primis Chriſtus ibi non dicit: ſi virilia tua ſcandalizant te, abſcinde ea; ſed ſi manus, ſi pes, ſi oculus. Cur ergo Valeſii manus pedes cùm eis ſcandalo erant, non abſcindebant; cur oculos, per quos intrat libidinis æſtus, cur ipſum cor primam cupiditatum originem non eruebant, non abjiciebant?

Audiant ergo S. Jo. Chryſoſt. Homil. 59. aliàs 60. eos his verbis monentem: *Non de membris hæc dicit. Abſit: ſed de amicis, de propinquis, quos quaſi vice membrorum habemus. Hoc etiam ſupra dixit (c. 4.) & nunc dicit. Nihil quippe ita noxium ut conſuetudo pravorum. Nam quæ neceſſitas non poteſt, ſæpè amicitia poteſt, tum ad damnum, tum ad utilitatem. Ideoque eos qui nobis noxii ſunt, cum multa vehementia abſcindere jubet, hos ſubindicans qui ſcandala afferrent.* Eodem modo præfata Chriſti verba exponens S. Auguſtinus Serm. 81. *Modò*, inquit, *audiſti Evangelium* „ amputa, projice abs te „; *Quiſquis tibi carus eſt, quiſquis tibi pro magno habetur à te, tamdiu tibi magnus ſit, tamdiu dilectum tuum membrum ſit, quamdiu non cœperit ſcandalizare, ideſt mali aliquid ſuadere.* Sicut enim in phyſicis licèt omne corporis membrum carum ſit, ſi tamen putreſcere incipiat, illudque ſervari abſque totius corporis pernicie non poſſit, à medico abſcinditur: Ita in morali diſciplina, ubi de animæ ſalute agitur, quidlibet etſi cariſſimum & inſtar oculi dextri, ſi animæ in perniciem cedere cœperit, abjiciendum ac eruendum eſt.

§. III.

Danæi calumniæ diſſipatæ.

I. QUæ hactenus de Valeſiis diximus, in nos & Romanam Eccleſiam calumnioſè intorquere conatur Lambertus Danæus in ſuo Opuſc. de Hæreſibus c. 37. ubi vult, Cœlibatum Sacerdotum & Monachorum ſe ipſos myſticè caſtrantium, & nuptias abhorrentium, à Valeſiorum errore fuiſſe deſumtum, & doctrinæ quam dæmoniacam appellat Paulus 1. Tim. 4. v. 4. veriſſima ſemina ac meſſes. Inde obſervans, quod de Valeſiis dicitur, nempè, quòd multa turpia & inhoneſta fieri concedunt, ſubdit „ Quod omninò conſequi neceſſe eſt. Nam qui conjugium
„ quod à Deo inſtitutum eſt, damnat, is omnem incontinentiam
„ & fornicationem toleret & permittat, neceſſe eſt. Id quod vi-
„ demus accidiſſe in Papatu, ubi Presbyteris legitima conjugia
„ non licent, fœdiſſima autem ſtupra conceduntur: ita nimirùm
„ ulciſcitur Dominus Verbi ſui contemtum, & ſtultas vel potiùs
„ blaſphemas hominum in ipſius ſapientem ordinationem voces,
„ uti in his exemplum perſpicuè videmus „. Ita Danæus, ut de more.

II. Sed quis hic non videt, eum odio in Catholicam Eccleſiam obcæcatum tot evomere mendacia quot verba? Hoc pluribus

jam

jam oſtendi contra alterum ſuæ Sectæ hominem, tum in Vera Eccleſia Tom.2. p.1. art.5. tum in Colloquiis Theologico-polemicis Claſſe 1. Cæterùm ne Danæum irreſponſum dimittam: dicat mihi. Unde colligit, quòd Eccleſia Catholico-Romana damnet nuptias? nonne ipſa Valeſios, Severianos, & alios nuptias damnantes, veluti dæmoniacæ doctrinæ profeſſores proſcribit? nonne ipſa matrimonium ad dignitatem Sacramenti extollit, quod Danæus cum ſuis recuſat? Laudat Virginitatem cum Paulo 1. Cor. 7. ſed Nuptias in eis qui voluerint adprobat. At, inquies, eas aliquibus interdicit Presbyteris & Monachis: fateor. At quia hi liberâ ſuâ voluntate elegerunt ſe totos Domino mancipare, à quo cum diſtrahat conjugium, quia teſte Paulo 1. Cor. 7. v. 32. &c. *Qui ſinè uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*: propterea iis, qui uni Deo totâ vitâ vacare voluerunt, Eccleſia ab initio nuptias interdixit, non eas damnans ut in ſe malas, ſed quia ei, qui ſe totum Deo vovit, contrarias. Sicut enim ei qui fidem dedit uxori, vivente ipsâ nuptias cum alia inire nefas eſt: ita & multò magis ei, qui fidem ſemel dedit Deo, nefas erit fidem dare uxori, & infidelis erit, ſi audeat. Et hoc eſt quod damnavit Paulus 1. ad Tim. 5. v. 12. in illis junioribus viduis, quæ poſtquam fidem Deo voverant, volebant nubere: *Habentes*, inquit, *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*.

III. Si verò, ut reor, hactenus dicta Danæum non moveant, audiat quæſo Chriſtum Matth. 19. v.12. dicentem: *Sunt Eunuchi qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum*. Ubi certè non loquitur de illis qui amputatione virilium ſe caſtrant, ut Valeſii faciebant, ſed qui caſtitatis propoſito impotentes ſe reddunt ad nuptialem omnemque corporalem copulam, & hos Chriſtus laudat, quia propter Regnum Cœlorum hoc faciunt: quia tamen ad hoc non omnes habent vires ac donum, addit: *Qui poteſt capere capiat*. Ubi S. Hieronymus: *Quaſi hortantis*, inquit, *vox Domini eſt, & milites ſuos ad pudicitiæ præmium concitantis*, „ Qui poteſt capere capiat, „ *qui poteſt pugnare pugnet, ſuperet ac triumphet*. Prænovit ergo Chriſtus in Eccleſia ſua futuros, qui abſque contumelia nuptiarum amore Regni Cœleſtis ſe caſtrarent, ideſt redderent ſe ad opus nuptiale non phyſicè, ſed moraliter impotentes. Qui ergo ſunt iſti? Dicet Epiphanius Hæreſi 58. num. 4. *Quinam illi eſſe poſſunt, niſi egregii illi primùm Apoſtoli, tum Mo-*

nachi, ac reliqui virginitatis cultores; cujuſmodi fuere Joannes & Jacobus Zebedæi filii, qui in virginitate perſiſtentes, ac neque membra ſua propriis amputantes manibus, neque copulati nuptiis: ſed animo ac pectore dimicantes certaminis illius coronam ac gloriam ſummâ cum admiratione reportarunt? Secundùm quos infinita hominum millia, quæ in hoc mundo monaſticam vitam amplexa ſunt, in Monaſteriis Virginumque cœnobiis ejuſdem certaminis decus adepta ſunt. Quæ videlicet nullam cum mulieribus conſuetudinem habuerunt, ſed omnibus ſuis numeris abſolutum certamen obierunt. Hæc Epiphanius quarti ſeculi Scriptor de infinitis hominum utriuſque ſexus millibus, qui à nuptiis abſtinentes propter Regnum Cœlorum vitam cælibem illibatè ſervarunt.

IV. Quid ad hæc Danæus? Dicetne, quia hoc in Eccleſia Catholica in Divini Verbi contemtum continuatur, è cælibatu procedere diverſa ſtupra, adulteria &c. & hoc eſſe Dei ultionem? Dicet planè. Sed multiplici titulo mendaciter. Primò enim quomodo cælibatus eſt in Verbi Dei contemtum, quando Chriſtus ipſe illum verbo ſuo indicavit: *Sunt Eunuchi qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum?* Secundò, quomodo dicit ex cælibatu ſequi ſtupra? Dicere etiam poterit ex lege ſequi furta, & homicidia, & ex nuptiis adulteria. Si ergo tranſgreſſiones legum, & violationes nuptiarum, non legum & nuptiarum vitio tribuit, ſed malitiæ & tranſgreſſorum vitio; cur tranſgreſſionem cælibatus ipſi Cælibatui adſcribit, & non potiùs vitio eorum qui carnis fragilitate victi fidem quam dederunt irritam faciunt? Rurſus an reſpiciens ad paucos qui illum frangunt, cælibatum damnat, & non reſpiciens ad tot millia, qui illum illibatè cuſtodiunt, illum potiùs non commendat? Sanè ſi propter aliquorum à cælibatu lapſus cælibatum eliminare vult, propter conjugatorum adulteria, etiam conjugia damnet neceſſe eſt.

Sed Danæus, qui linceos oculos habet ut cælibum lapſus ſcrutetur, cur non videt etiam pœnas in Conciliis Generalibus, Provincialibus & Sacris Canonibus contra tales fidei Deo datæ violatores? Quâ fronte audet dicere, quòd in eis ſtupra, fornicationes, ſacrilegia tolerat, quando novit eis paratos carceres, ſuſpenſiones, privationes munerum, irregularitatem & alia id genus? Sed ſatis contendi cum homine, qui nil aliud quàm maledicere, & ſuam ſeceſſionem à vera fide impoſturis tegere in propoſito habet. Plura in ſupra citatis locis à me dicta Lector videre poterit.

CA-

CAPUT XXXIV.

De Catharis ſeu Novatianis.

§. I.

De Novato & Novatiano.

I. C*Athari*, inquit S. Auguſtinus Hæreſ.38., *qui hoc ſe ipſos nomine, quaſi propter munditiem ſuperbiſſimi atque odioſiſſimi nominant*. Catharus enim ſeu Catheros, à verbo Græco *Cathero*, quod idem eſt ac *purgo*, *mundo* ortum habuit. Hæreticorum enim ars ſæpè fuit, ut ſimplicibus illuderent, aliquo ſpecioſo nomine ſe ipſos tegere; unde ſicut alii, de quibus ſupra, quamvis omnium inſipientiſſimi, *Gnoſtici* ideſt *ſcientes*, ſeſe appellabant, ita iſti ſe ſe puros ac mundos venditantes, cùm fœdi eſſent ac impuri, *Cathari*, ideſt puri nomen aſſumſerant. Hos noſtro ævo imitati ſunt ex Anabaptiſtis, qui ſe Catharos, ideſt ab omni labe mundos deprædicant, adeòut in Oratione Dominica omittant verba illa *Dimitte nobis debita noſtra*, quaſi ipſis Apoſtolis ſanctiores, quos Chriſtus Dominus ita orare docuit. Hos ita deteſtatur Chryſoſtomus Homil. 14. in c. 4. ad Epheſios: *Ubi ſunt qui dicuntur Cathari, ideſt mundi, qui omni ſorde pleni ita ſe audeant nominare?* Et meritò quidem nam,ut ait S.Joannes Epiſt.1.c.5.v.8., *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*.

II. Initio tamen non Cathari, ſed Novatiani à Novato eorum Auctore dicti fuere. Ut enim ait S. Auguſt. citato loco: *Novatum ſectantes hæreticum, unde etiam Novatiani appellantur*. Poſtea verò elati, Cathari nomen propter munditiem ſuperbiſſimè ſibi arrogarunt. Hinc Theodoritus Lib. 3. Hæret. Fab. de Novato (quem Navatum vocat) agens: *Qui ſuæ autem*, inquit, *Sectæ aſſeclæ erant, eos non ſolùm Novatianos, ſed etiam Catharos, hoc eſt mundos appellavit*. Et S. Hieronymus in c. 1. Epiſt. ad Titum ait: *Et qui Novati ſchiſma ſectantur, nomen ſibi munditiæ præſumſere*. Quare cenſent aliqui, inter quos Danæus Hæreſ. 38., Novati aſſeclas nomen hoc ſibi præ elatione arrogaſſe, & Catharos ex Novatianis velut rivum è fonte, ſicut è Carpocratianis Gnoſticos derivatos fuiſſe. Vulgò tamen Novatiani, & Cathari pro eiſdem ſumuntur.

III. Novatus ergo hujus hæreſis auctor extitit, & innotuit tempore Cornelii Papæ, Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi, & Decii

Decii Imperatoris circa ann. Domini 253. Hunc Novatum videntur nonnulli confundere cum Novatiano qui licèt Novato coævus, diverſus tamen ab eo fuit, quia natione Afer, Novatianus Romanus. Novatus auctor Sectæ Novatianorum, Novatianus ejus adjutor & Sectæ ac ſchiſmatis propagator. Hoc æquivoco laboraſſe viſi ſunt Euſebius L. 6. Hiſt. c.43., Theodoritus L. 3. Hæret. Fab. qui Novatum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum faciunt, & Epiphanius ipſe tum in Synopſi Libri 2. Tom.1. ubi Hæreſ. 13. *Cathari*, inquit, *Novatum Romanum ſecuti ſunt*: tum Hæreſ. 59. *Proximi ab illis* (Valeſiis) *Cathari quidam exorti ſunt à Novato, ut fama percrebuit. Novatus porrò Romæ perſecutionis illius tempore fuit, quæ eam anteceſſit, quam Maximinus excitavit; quæ Decii, ut opinor, aut Aureliani fuit*. De Novatiano autem nec ibi nec alibi unquam meminit. Quod indicium eſt, eum Novatum & Novatianum pro uno eodem accepiſſe.

IV. S. Cyprianus tamen, Epiſt.49. ad Cornelium, Novatum à Novatiano apertè diſtinguit. Sic enim Epiſtolam inchoat: *Et cum diligentia & cum dilectione feciſti, frater cariſſime, feſtinatè ad nos mittendo Nicephorum Acolythum, qui nobis & de Confeſſoribus regreſſis glorioſam lætitiam nuntiaret, & adversùs Novatiani & Novati novas & pernicioſas ad impugnandam Chriſti Eccleſiam machinas pleniſſimè inſtrueret*. Idem ſentiunt Cornelius Papa Epiſt. ad Fabium. Pacianus Epiſt. 2. ad Sympronianum ubi ait, Novatianum Novati inſaniæ ſe accommodaſſe: & Epiſt. 3. Novatianum adversùs Cornelium ſchiſma excitaſſe, adjutum nefario opere Novati Africani presbyteri. Anaſtaſius item Bibliothecarius in Cornelio dicens, quòd ſub ejus Epiſcopatu Novatus Novatianum extra Eccleſiam ordinavit. Vetus quoque Auctor de Pontif. Romanis apud Valeſium in Notis ad Lib.6. c.43. Euſebii ſcribit: *Eo tempore ſupervenit Novatus ex Africa, & ſeparavit ab Eccleſia Novatianum*. S. Hieronymus L. de Script. Eccl. c. 70. Novatianum tacit Romanæ urbis presbyterum, Novatum verò hæreſis auctorem Cypriani presbyterum. Tandem Euſebius ipſe in Chronico ad ann. 253. *Novatus*, inquit, *Presbyter Romam veniens Novatianum & cæteres Confeſſores ſibi ſocios fecit, eò quòd Cornelius pœnitentes apoſtatas recepiſſet*. Liquet ergo, Novatum & Novatianum fuiſſe duas perſonas diſtinctas; in condenda tamen eadem Secta unum fuiſſe, Novatum quidem auctorem, Novatianum verò ſocium & adjutorem: ideòque ab utroque ejuſdem Sectæ profeſſores nomen ſumentes dictos fuiſſe Novatianos: Cyprianus tamen Epiſt. 73. ad Jubajanum eos qui Novatianum ſequebantur vocat *Novatianenſes*. Ut verò clariùs hoc appareat, Novati & Novatiani genus & geſta

geſta aperiam. Quamvis autem de utroque & ſchiſmate ab ipſis excitato Tomo præcedente c.10.§.1 locutus fuerim, in commodum tamen Lectoris, ex ibi dictis non pauca hic repetere exiſtimavi.

V. Novatus igitur, à quo prima hujus hæreſis ſemina, Afer genere fuit, humili & obſcurâ progenie natus, cujus pater in vico degens paupertate & miſeriâ conſumtus interiit, cui nec ſepulturam dare filius dignatus fuit. Ita S. Cyprianus in prælaudata Epiſt. 49. ad Cornelium data, dicens: *Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultus.* Uxorem duxerat, quam prægnantem calce in ventre percuſſam abortire coegit: *Uterus uxoris*, inquit, *calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus.* Inſatiabili avaritiâ raptus, nec viduis, nec pupillis, nec ipſi Eccleſiæ pepercit: *Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoquè Eccleſiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conſpicimus.* Tot criminum, & filii naſcituri parricidii gravitate non territus, adjecit aliud. Cum enim eſſet Eccleſiæ Carthaginenſis presbyter, egit ut inſcio Cypriano illius urbis Epiſcopo quidam Feliciſſimus ſibi in moribus ſimilis Diaconus fieret; nec interim ceſſans diſcordias inter fratres ſerere, eoſque ab Epiſcopo ſchiſmate ſeparare. Hæc Cyprianus ibidem exaggerans: *Idem eſt*, inquit, *Novatus, qui apud nos primùm diſcordiæ & ſchiſmatis incendia ſeminavit, qui quoſdam iſthic ex fratribus ab Epiſcopo ſegregavit, qui in ipſa perſecutione ad evertendas fratrum mentes alia quædam perſecutio noſtris fuit. Ipſe eſt, qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum, nec permittente me, nec ſciente, ſuâ factione & ambitione conſtituit.* Hæc Cyprianus. An verò Novatus ipſe manus imponens, an ut ab alio imponerentur curans, Feliciſſimum Diaconum conſtituerit, non dicit. Certum quidem eſt, hunc Feliciſſimum à Novato in Diaconum ejuſque gregalem fuiſſe diverſum ab illo, qui adversùs Cyprianum ſchiſma fecit, de quo Epiſt. 40. ad Univerſam Plebem. Nam qui ex parte Novati erat & Diaconus ordinatus, veniam lapſis cum Novato dandam eſſe prorſus negabat. Ex oppoſito autem alter abſque ulla pœnitentia pacem lapſis dandam eſſe contendebat, ut ex præfata Epiſtola conſtat.

VI. Tandem tot facinorum conſcientiâ preſſus ſibi timere cœpit Novatus: videns etiam Africanos Epiſcopos ad Concilium convenire paratos, ut cognitâ cauſâ pro meritis eum damnarent, licèt urgente perſecutione hoc perficere non potuerint. Ita S. Cyprianus: *Hanc conſcientiam criminum jam pridem timebat, propter hoc ſe non de presbyterio excitari tantùm, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat: & urgentibus fratribus imminebat cogni-*

tionis

tionis dies, quo apud nos cauſa ejus ageretur, niſi perſecutio ante veniſſet. Quam iſte voto quodam evadendæ, & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commiſit & miſcuit: ut qui ejici de Eccleſia & excludi habebat, judicium Sacerdotum voluntariâ diſceſſione præcederet, quaſi evaſiſſe ſit pœnam, præveniſſe ſententiam.

Ex Africa ergo Novatus ſecedens, & Romam navigans, illuc diſcordiæ & ſchiſmatis ſemina ſecum aſportavit, in illius Eccleſiæ agro jecit, & adjuvante Diabolo in copioſam meſſem erexit. Vacaverat Romana Petri Cathedra, Fabiano martyrio coronato. Illuc ergo ſe contulit eo etiam animo, ut ſuâ præſentiâ, vel ſibi, vel alicui ex ſuis, quos ſibi antea conciliaverat, Cathedram illam adjudicaret. At ſpe fruſtatus, electo jam Cornelio, totum ſe dedit, ut ſchiſma adversùs eum excitaret, ad quod paratum inveniens Novatianum Romanum presbyterum, illum excitavit, eique ſe adjungens ad ſchiſma & hæreſim primas manus dedit: *Romam quoque* (inquit S. Cyprianus) *ad evertendam Eccleſiam navigans, ſimilia & paria molitus eſt, à Clero portionem plebis avellens, fraternitatis ſibi benè cohærentis & ſe invicem diligentis concordiam ſcindens. Planè quoniam pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & graviora commiſit.* Hæc omnia Cyprianus in Epiſt.49. citata ad Cornelium.

Eadem compendio refert S.Pacianus 4. ſeculi Auctor Epiſt.3. ad Sympronianum, ubi de Novati opera ad ſchiſma Romæ per Novatianum conflandum, ait: *Romam venit. Et cùm apud Carthaginem urgentibus in Eccleſia fratribus, dies cognitionis ipſius immineret, & hîc latitavit: nec multò poſt Novatianum iſtum Epiſcopatu Cornelii anxium (nam ſibi ſperaverat) cum aliquantis, ut in tali re ſolet, ex ſua parte fautoribus, nutantem impellit, dubitantem fovet, ut magnum aliquid ſperet, hortatur. Invenit aliquos ex eorum numero, qui tempeſtatem perſecutionis illius evaſerunt; apud quos hanc ipſam de lapſis receptis Cornelio conflaret invidiam; dat eorum Epiſtolas ad Novatianum. Ille ex auctoritate Epiſtolarum, ſedente jam Romæ Epiſcopo, adverſùm fas Sacerdotii ſingularis, alterius Epiſcopi ſibi nomen aſſumit.*

VII. Nunc ad Novatianum tranſeo, de quo (quamvis ſub Novati nomine) ex Epiſtola Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenæ Eccleſiæ Præſulem agit Euſebius L. 6. Hiſt. c. 43. Fuiſſe Novatianum patriâ Romanum conſtat, quia ibi eum appellat Eccleſiæ Romanæ presbyterum, non tamen ex parentibus Chriſtianis natum, & Chriſtianâ pietate educatum, ſed Ethnicis ſuperſtitionibus ab infantiâ imbutum, colligitur ex Cornelio, qui de ejus audaci temeritate, quâ Epiſcopatum Romanum ambiebat, loquens, ait:

Digitized by Google

ait: *Exponamus deinceps, quibus operibus, & cujuſmodi converſatione confiſus, ad Epiſcopalem locum aſpiraverit. An ideò fortaſsè quòd ab initio in Eccleſia verſatus eſt, & multa pro ejus defenſione certamina ſubivit, multiſque & graviſſimis periculis religionis causâ conflictatus eſt? minimè id quidem.* Deinde cauſam ejus converſionis & ſuſcepti baptiſmatis Satanam fuiſſe, à quo erat oppreſſus, Energumenus enim erat, enarrans, ſubjungit: *Quippe cui cauſam, atque initium credendi præbuit Satanas in ipſum ingreſſus atque in ipſo aliquandiù commoratus. Cùmque ab exorciſtis foveretur, in morbum graviſſimum collapſus; dum jamjamque moriturus creditur, in ipſo, in quo jacebat, lectulo perfuſus, baptiſmum ſuſcepit: ſi tamen hujuſmodi baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt.*

Hæc ultima verba indicant, Baptiſmum ſuſceptum in lecto, & à graviter decumbente, fuiſſe tunc temporis ſuſpectum, ſive quia qui in lecto baptizabatur, cùm mergi à baptizante non poſſet, ut ritus tunc ferebat, aquâ dumtaxat perfundebatur, ideoque talis Baptiſmus minùs ſolemnis, & minùs perfectus habebatur. Sive quia talis Baptiſmus non ſpontè, ſed potiùs mortis metu ab hominibus, qui ſui non ſatis compotes eſſent, ſuſpectus videbatur. Ideoque tales, qui *Clinici* vocabantur, ad presbyterii gradum promoveri vetabantur Canone 12. Concilii Neocæſarienſis: *Si quis in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate; niſi fortè poſtea ipſius ſtudium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.* Attamen S. Cyprianus Epiſt. 76. æquè verum Baptiſmum eſſe docet, qui per aſperſionem in lecto fit, atque qui per immerſionem fit in Eccleſia.

VIII. Poſt Baptiſma modo dicto ſuſceptum, tantum abfuit, ut fidei & pietatis ſigna Novatianus demonſtrarit, quin potiùs contraria prætulit. Nam ab infirmitate liberatus, nec Sacramentum Confirmationis ſuſcepit, nec poſtulavit. Ita Cornelius: *Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent: neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Diſpenſatione tamen, ut dicam, factus presbyter, ingruente perſecutione latebras quæſivit, & licèt rogatus à Diaconis ut pro debito ſui muneris fratribus ſubveniret, presbyterum ſe eſſe negavit, nec à cubiculo, in quo ſe incluſerat, perſecutionis metu exire voluit. Ita Cornelius proſequitur: *Qui perſecutionis tempore præ metu ac nimia vivendi cupiditate presbyterum ſe eſſe negavit. Admonitus enim & rogatus à Diaconis, ut ex cubiculo, in quo ſe ipſum incluſerat, egreſſus, fratribus auxilio in-*

Digitized by Google

digentibus ſuccurreret, tantum abſuit, ut hortantibus Diaconis morem gereret. Quin potiùs irâ & indignatione percitus abiit, ac diſceſſit. Neque enim Presbyterum ſe ampliùs velle eſſe reſpondit, ſed alterius Philoſophiæ deſiderio teneri.

IX. Præfatis impedimentis non obſtantibus, præter Eccleſiaſticam regulam, ex gratia & diſpenſatione Epiſcopi Romani (fortè S. Fabiani, vel alterius ex Cornelii Prædeceſſoribus) reclamante licèt Clero, Novatianus, ut dixi, presbyterio initiatus fuit. Ita Cornelius: *Nam cùm egregius ille vir Eccleſiam Dei reliquiſſet, in qua poſt ſuſceptum Baptiſmum presbyteri gradum fuerat conſecutus, idque per gratiam Epiſcopi, qui manus illi imponens eum ad presbyterorum ordinem evexit. Cui cùm univerſus Clerus, multique ex populo refragarentur, eo quod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille perfuſi fuiſſent, in Clerum aſſumi, poſtulavit ab iis Epiſcopus, ut hunc ſolum ordinari à ſe paterentur.* Utinam autem vel ab hoc ſolo ordinando abſtinuiſſet. Sunt qui velint, abſque tranſitu per inferiores Ordines & Subdiaconatum ac Diaconatum eum ordinaſſe, quod veriſimile putant, ex oppoſitione quam inſtituit S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum, ubi de Cornelio dicit: *Non iſte ad Epiſcopatum ſubitò pervenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in Divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpè promeritus ad ſacerdotii ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit.*

X. Quod Romanum Epiſcopum movit ad ſuperandos ſuper uno Novatiano obices, quibus à presbyterio jure arcebatur, fuiſſe puto ſingularis eruditionis ſpecimen ac eloquentiæ quod Novatianus præferebat. Erat enim in Philoſophicis ſcientiis apprimè peritus, ex quibus Stoicam ſpecialiter profeſſus fuiſſe creditur. Factus etiam Chriſtianus ad Divinas literas ſe convertens, ſui in eis profectus plura ſcriptis teſtimonia dedit; adeò ut S. Hieronymus Scriptoribus Eccleſiaſticis Novatianum annumerarit. De eo enim c. 70. *Scripſit autem*, inquit, *de Paſcha, de Sabbato, de Circumciſione, de Sacerdote, de Oratione, de Cibis Judaicis, de Inſtantia, de Attalo, multaque alia: & de Trinitate grande volumen, quaſi Epitome Operis Tertulliani faciens, quod plerique neſcientes Cypriani exiſtimant.* Imò ante ſchiſma ipſe ſcripſit Epiſtolam, quæ ſub nomine Presbyterorum & Diaconorum Eccleſiæ Romanæ inter Cyprianicas legitur num. 31. apud Pamelium, quam commemorat Cyprianus ipſe Epiſt. 52. dicens: *Additum eſt etiam Novatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat ſuâ voce recitante, & presbytero Moyſe, tunc adhuc Confeſſore, nunc jam martyre ſubſcribente, ut lapſis infirmis & in exitu conſtitutis pax daretur.* Quibus apparet,

No-

Novatianum tunc fuiſſe exteriùs Catholicum, & ab errore, quem poſtea effudit, alienum. Quod ei facto hæretico objicit Cyprianus vel alius ei coævus in L. ad Novatianum hæreticum. Mirum ergo non eſt, quòd Epiſcopus Romanus Novatiani eruditione, pietate, & tunc ſanâ fide permotus, ipſum miniſterio aptum exiſtimarit, & ad presbyterium prædilexerit.

XI. Nihilominus Romani Cleri Novatiani ordinationi reſiſtentia præſagium fuit eorum, quæ poſtea ejus ambitio contra Eccleſiam machinata fuit, & quâ ſub ovina pelle prius latitans lupum poſtea ſe manifeſtavit. Hujus primum argumentum exhibuit, cùm factus jam presbyter, urgente perſecutione, ut ſupra dixi, in cubiculo ſe abſcondit, & rogatus à Diaconis, ut indigentibus fratribus, ſive in carcere detentis, ſive in periculo conſtitutis, vel Euchariſtiam vel alia ſpiritualia caritatis opera exhibendo ſubveniret, ſe presbyterum eſſe apertè negavit. Tunc enim eſtò non adhuc lupum, mercenarium tamen ſe manifeſtavit, qui videns lupum venientem dimittit oves & fugit, quia mercenarius eſt. Eſtò autem Eccleſiam tunc non deſeruerit, brevì tamen eam deſeruit. Qui enim, ut ſupra dixi, à Dæmone in Eccleſiam intruſus fuerat, à Dæmone ab Eccleſia ejiciendus erat.

§. II.

Novati & Novatiani ſchiſma.

I. Novatus, ut ſupra dixi, videns ſe ab Epiſcopis Africanis communione ob ſua ibi patrata ſcelera damnandum, Romam aufugit. Mutatâ tamen regione non mutavit hominem, ſed, ut ait Cyprianus *fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia*, *turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia*, *hoſtis quietis*, *tranquillitatis adverſarius*, *pacis inimicus*, vix illuc adventans, unionem, & caritatis vinculum, quo fideles ſociabantur, diſcordiâ frangere tentavit. Nec incaſsùm: Inveniens enim alios ſui ſimiles, contra Clerum aliquos de populo excitat, ut electionem Cornelii in Epiſcopum, de qua tunc agebatur, impediret. Ac videns Novatianum Epiſcopatus ambitione æſtuantem, inito cum illo fœdere, cùm pro ſe ut optaſſet, viam non detegeret, eam prò Novatiano ſternere, & ſuffragantium partem à Cornelio ſegregare, malis artibus molitus eſt.

II. Verùm cùm illius ac Novatiani conatus irriti evaſiſſent, Cornelius enim ad Pontificatum legitimè electus, & fortè etiam conſecratus fuit, graves contra ejus perſonam accuſationes ſpar-

gere, & ſchiſma parare cœperunt. Omiſſis inhoneſtis & turpibus, de quibus eum calumniabantur; dicebant, eum in perſecutione libellum ab Ethnicis accepiſſe, cum Epiſcopis qui idolis ſacrificaverant communicaſſe, & alia quæ S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum refert, & ut calumnias his verbis refutat: *Quod autem quædam de illo inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris, cùm ſcias, hoc eſſe opus ſemper Diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, ut qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem collegas noſtros ſcias & veriſſimè comperiſſe, nulla illum libelli ut quidam jactant, labe maculatum eſſe, ſed neque cum Epiſcopis qui ſacrificaverunt communicationem ſacrilegam miſcuiſſe, ſed eos demum, quorum cauſa audita, & innocentia comprobata ſit, conjunxiſſe nobiſcum.* Hæc Cyprianus, qui deinde proſequitur eum purgans de facto Trophimi: *Nam & de Trophimo, de quo tibi ſcribi deſideraſti, non ita res eſt, ut ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam ſicut Anteceſſores noſtri ſæpè fecerunt, colligendis fratribus noſtris, cariſſimus frater noſter Cornelius neceſſariò ſuccubuit, & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & pœnitentiá deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt: qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent. . . . Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut laicus communicet, non ſecundùm quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet: ſed & quòd paſſim communicare ſacrificatis Cornelius tibi nuntiatus eſt, hoc etiam de apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur. Neque enim poſſunt laudare nos qui recedunt: aut expectare debemus ut placeamus illis, qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles, ſollicitandis de Eccleſia fratribus violenter inſiſtunt.* His & aliis Antonianum monet Cyprianus, ne audiat & credat ea, quæ contra Cornelium ſpargebantur.

III. Nihilominus talibus, eſtò falſis, rumoribus multi leves corde, Novato & Novatiano ſolicitantibus fidem adhibentes, abdicato Cornelio, ad Novatianum acceſſere: ex quibus nedum plures de populo, ſed & de iis etiam quidam, qui in perſecutione ob fidei Confeſſionem clariſſimi erant, inter quos numerantur Maximus, Urbanus, Sidonius, & Celerinus: hi enim, & maximè Celerinus, omnia genera tormentorum pro fide ſuſtinuerant. Horum autem à Cornelio ſeceſſio maximam Romanæ plebis partem
ad

Digitized by Google

ad Novatianum traxit. Sed indè cognito Novatiani dolo, ipſo derelicto gemebundi & pœnitentes ad Eccleſiam redierunt. Ita ſcribit Cornelius in præcitata Epiſtola ad Fabium apud Euſebium L. 6. c. 43. dicens: *Maximus Eccleſiæ noſtræ presbyter, & Vrbanus ambo ex fidei confeſſione egregiam jam ſecundò laudem adepti: Sidonius etiam & Celerinus, vir qui cuncta tormentorum genera per Dei miſericordiam fortiſſimè ſuſtinuit, ut qui fidei ſuæ conſtantiâ infirmitatem corporis ſui roborans, adverſarium penitùs debellavit. Hi omnes cùm illum tandem cognoviſſent, & fraudem ejus ac verſutiam, perjuria quoque atque mendacia, & abhorrentem ab omni ſocietate feritatem, & lupinam quandam in eo amicitiam deprehendiſſent, ad Sanctam Eccleſiam reverſi ſunt: cunctaſque illius præſtigias ac nequitiam, quam jampridem intra ſe occultans ſe ſe interim ſubmittebat, præſentibus aliquot Epiſcopis ac Presbyteris & laicis compluribus evulgarunt: ingemiſcentes ac dolentes, quòd à fraudulenta illa malignaque beſtia inducti, aliquanto temporis ſpatio ab Eccleſia receſſiſſent.*

IV. Præcipua, & quidem diabolica, quâ Novatianus, ut ſimplicibus illuderet, utebatur verſutiâ, erat dicere, ſe ſolius Dei & Eccleſiæ zelo ab obedientia Cornelii retraxiſſe, cùm compertum ei fuerit illius Ordinationem irritam & nullam fuiſſe, utpotè hominis libellatici, ſacrificatoris, inhoneſti & totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ everſoris, ideoque prorsùs indigni, ut ſederet in loco Petri. Hæc autem ſe dicere, non quia Sedem illius concupiſceret, aut ambitione moveretur, juramento tremendiſque ſacramentis affirmabat. Ita refert Cornelius ſupra relatus: *Qui tremendis quibuſdam ſacramentis affirmaverat, ſe Epiſcopatum non concupiſcere.* Qualis autem eſſet ejus animus factum demonſtravit. *Repentè*, ſubjungit Cornelius, *tanquam ex machina quadam in medium projectus, Epiſcopus apparuit.* Mox enim qui ei favebant, pronuntiatâ adversùs Cornelii Ordinationem ſententiâ, Novatianum ipſum diſſidii totius auctorem, plebis ſeductorem, ac ſchiſmaticorum principem, Romanum Pontificem proclamarunt.

V. Nec minùs fraudulenta & turpis ejus Ordinatio fuit, quam S. Cornelius citato loco ita deſcribit: *Is qui ſe doctorem & Eccleſiaſticæ diſciplinæ propugnatorem ferebat, cùm Epiſcopatum ſibi à Deo minimè conceſſum, rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ ſalutis homines ſibi ſocios adjunxit, ut eos in exiguam ac viliſſimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Epiſcopos, h... mines planè rudes ac ſimplices, fraudulentâ quâdam molitione d... ret, conſtantiſſimè affirmans, ipſos quamprimum Romam profici... ſcipere ... ſci oportere, ut omnis undecumque orta diſcordia, ipſorum ur... ... cum aliis Epi-*

Epiſcopis interventu atque arbitrio ſedaretur. Qui cum advenissent, homines, ut jam diximus, ſimplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum artibus ac fallaciis ſatis triti: eos ille à quibuſdam ſui ſimillimis, quos ad id comparaverat, incluſos horâ decima, temulentos & crapulâ oppreſſos, adumbratâ quâdam & inani manuum impoſitione, Epiſcopatum ſibi tradere per vim cogit: eumque nullo ſibi jure competentem per fraudem atque inſidias vindicat. Hæc fuit Novatiani in Epiſcopum Romanum ordinatio à tribus Epiſcopis temulentis & crapulâ oppreſſis, ac proinde quid agerent neſcientibus, per fraudem & vim extorta.

Unus tamen ex eis agnito errore acceſſit pœnitens ad Cornelium, qui eum ad communionem laicam recepit: alios verò duos Novatiani partes fortè ſecutos depoſuit, & in eorum locum alios inſtituit. Ita ipſe Cornelius ſubjungit: *Nec multò poſt unus ex illis Epiſcopis ad Eccleſiam rediit, delictum ſuum cum lamentis ac fletibus confitens. Quem nos, cum univerſus populus pro illo interceſſiſſet, ad communionem laicam ſuſcepimus. Reliquis etiam duobus Epiſcopis ſucceſſores ordinavimus, eoſque in locum eorum direximus.*

VI. De tali ſua licèt inani Ordinatione Novatianus tumens, omne ſtudium ac ſolicitudinem, ut omnes ad ſui obedientiam traheret, adhibebat, ac eò facinoris pervenit, ut cùm Sacram Euchariſtiam populo traderet, jurare per corpus & ſanguinem Chriſti ſingulos cogeret, ſe ſuas partes non deſerturos. Ita hoc tanquam facinus omnium, quæ ab ipſo commiſſa ſunt, longè graviſſimum ſubjungit idem Cornelius & ſcribens: *Etenim oblatione factâ portionem ſingulis dividens; dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus, qui portionem accepit, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec priùs dimittens, quàm jurati iſta dixerint (ipſis enim utar illius verbis) Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum. Ita miſer ille non priùs guſtare ſinitur, quàm ſibi ipſe malum imprecatus ſit. Et cùm panem illum accipiens dicere debuiſſet* Amen, *ejus loco dicit: non revertar deinceps ad Cornelium.* Quis ad tam atrox inſanæ ambitionis facinus non exhorreat? Is erat Novatianus, qui ſe Epiſcopatum non concupiſcere tot Sacramentis, ut dixi, aſſerebat.

VII. Dum talia Novatianus Romæ gereret, alias orbis Eccleſias de ſua in Epiſcopum Romanum Ordinatione certiores Legatis
literis reddere non omiſit. Legatos miſit ad Sanctum Cypria-
& Carthaginenſem Epiſcopum cum famoſis contra Cornelium
mum ...ationem ejus libellis. At S. Cyprianus nec cum ſchiſma-
& ordi... municavit, nec Novatiani ordinatioaem approbavit, nec
ticis com...

con-

confictis in Cornelium calumniis aures præbere voluit, ut conſtat ex Epiſtola ipſius ad Cornelium data quæ eſt 41. Miſerat S. Cyprianus Caldonium & Fortunatum Romam, ut literis ipſius & præſentiâ ſuâ pacem Eccleſiæ procurare niterentur. Sed cùm irrito conatu id tentaſſent, augerique vidiſſent in dies ſchiſmaticorum contumaciam, ad Sanctum Cyprianum reverſi ſunt: qui de Cornelii Ordinatione legitimè certior factus, literas ad ipſum dedit, quibus probatam ſibi ejus Ordinationem teſtaretur. Didicerat enim totam Ordinationis Cornelii ſeriem, & eorum quæ poſt ipſam evenerant, à Pompejo & Stephano Epiſcopis. Id conſtat ex Epiſt. 42. ejuſdem S. Cypriani ad Cornelium.

Nec Carthagine ſolùm, ſed per Africam univerſam unitatem Eccleſiaſticam ſtabilire ac tueri conatus eſt S. Cyprianus, datis ad ſingulos Coepiſcopos literis, quibus eos hortatus eſt, *ut Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent, ac tenerent*: Et communione jungerentur Cornelio legitimo Pontifici. Ex quorum reſcriptis, Ordinationis illius *& origo neceſſaria, & ratio juſta, & glorioſa quoque innocentia* comprobata eſt, ut ex Epiſt. 45. ejuſdem Cypriani ad Cornelium.

VIII. Porrò cùm Novatianus, ut ſupra tetigi, Confeſſores aliquos à Cornelio & Eccleſia abſtraxiſſet, ſchiſmaticos è martyrii candidatis eos efficiens, ut ſuæ factioni auctoritatem conciliaret: exiſtimans S. Cyprianus plurimùm ei detractum iri, ſi iſti ad communionem cum Cornelio non redirent, ad ipſos per Mettium Subdiaconum literas priùs cum Cornelio communicandas dedit, ut ex Epiſtola 43. ad Cornelium & Epiſt. 44. ad Maximum, Nicoſtratum & cæteros Confeſſores. Plurimùm profuerunt hæ litteræ; ſiquidem Maximus, Urbanus, Sidonius & Macarius Confeſſores, ac plerique Catholici, qui ſe eis adjunxerant, ſe circumventos ac deceptos fuiſſe gementes,& conteſtati ſe animo ſemper in Eccleſia fuiſſe, ad Cornelium acceſſère. Quos ille benignè ſuſcipiens, Maximum quidem Presbyterum in ſui gradus honorem reſtituit: cæteros cum ingenti populi ſuffragio recepit, ut ex ejuſdem ad Cyprianum Epiſt. inter Cyprianicas 46.

IX. Confeſſores ad Eccleſiam reverſi, de reditu ſuo & pace cum Cornelio inita, datâ ad eum Epiſtolâ, quæ eſt 50., S. Cyprianum certiorem fecerunt, quibus ille Epiſt. 51. viciſſim gratulatus eſt. Huc Confeſſorum ad unitatem reditui plurimùm profecere S. Cypriani tum literæ, tum & maximè egregius de Unitate Eccleſiæ Liber, quem ſchiſmati oppoſuit, & priuſquam Confeſſores ad Eccleſiam redirent ſcripſiſſe, verba prope finem poſita ſatìs indicant.

X. Paulò

X. Paulò ante Confeſſorum reditum miſerat Novatianus magnificam legationem in Africam, quam Novatus, Evariſtus, Nicoſtratus, Primus, ac Dionyſius ſchiſmatici ſuſceperant, de qua monitum voluit Cyprianum Cornelius per Nicephorum Acolytum, qui poſtridie adventus Novati, & cæterorum ſchiſmaticorum, Carthaginem pervenit, ut ex Cypriani Epiſt. 49. Qui tamen, præmonitis à Cypriano Epiſcopis, per Africam vagantes nullum ſuæ legationis fructum reportarunt. Dum tamen hi ſeductores per Africam fruſtra divagarentur, Romæ ſchiſmaticorum factio notabiliter minui cœpit. Complures enim cognitâ Novatiani vafritie ad Cornelium redierunt, inter quos prælaudati Confeſſores Maximus Presbyter & alii ſupra recenſiti.

XI. Literas etiam dederat ad Eccleſiam Alexandrinam Novatianus, quibus callidè conteſtabatur, ſe invitum electum fuiſſe, ut eo verborum fuco deteſtandum ſchiſmatis facinus cooperiret. Cui tamen S. Dionyſius Alexandrinus tunc Epiſcopus in hæc verba reſpondit: *Si quidem invitus, ut aſſeris, eò adductus es; id nobis oſtendes tuâ ſponte redeundo. Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Eccleſia Dei diſcinderetur. Nec minùs glorioſum fuiſſet idcircò ſubire martyrium, ne Eccleſiam ſcinderes, quàm ut ne Idolis ſacrificares. Imò illud meo quidem judicio illuſtrius fuiſſet. Hìc enim pro ſua unius anima: illic pro omni Eccleſia martyrium quis ſuſtinet. Si tamen vel nunc perſuaſeris fratribus, aut eos coegeris, ut ad concordiam redeant, majus tibi meritum erit, quàm culpa. Et hæc quidem non imputabitur: illud verò prædicabitur. Quòd ſi fratribus parere recuſantibus id efficere non potes, tuam ipſe animam ſerva. Opto te paci ſtudentem in Domino bene valere.* Epiſtola hæc legitur apud Euſebium L. 6. Hiſt. c. 45. Et quidem omnium cordibus inſerenda.

XII. Novatiani tamen cor hujus ſalutaris moniti capax non erat: qui enim ambitione & artibus locum violenter invaſerat, eiſdem ne illum dimitteret detinebatur. At quod ipſe detrectabat, Deus Eccleſiæ ſuæ conſulens Cypriani & Catholicorum operâ ſenſim perficiebat. Paulatim enim etiam à ſuis ita derelictus Novatianus fuit, ut penè ſolus remanſerit. Quare Cornelius ſæpè recenſitâ ad Fabium Epiſtolâ: *Scias*, inquit, *porrò illum jam nudatum, ac penè ſolum remanſiſſe, fratribus quotidie eum deſerentibus, & ad Eccleſiam redeuntibus.* Et tandem Romæ ſolemniter fuiſſe excommunicatum, & ejus excommunicationem generaliter approbatam, ſcribit Cornelius in fine Epiſt. ad Fabium apud Euſeb. L. 6. c. 43. ubi recenſet nomina, tum Epiſcoporum, tum Urbium à quibus excommunicatio lata & approbata fuit. Romæ quidem anno 253. à ſexaginta Epiſcopis, & totidem Presbyteris ſub Cornelio

lata,

lata, & in Italia confirmata: cui in Africano Concilio 42. Epiſcopi adhæſerunt.

XIII. Manſiſſe Romæ Novatianum, & Novatum in Africam rediiſſe, ambos deſtitutos ſed in errore obſtinatos ad mortem uſque, communis opinio eſt. De eorum exitu Patres ſilent. Utrumque tamen martyrem ſui gregales faciunt. Novatum ſub Valentiano paſſum ſcribit Socrates Lib.4. Hiſt. cap.28. Cui tamen utpotè Novati partibus addicto fides habenda non eſt. De Novatiano idem dicebant ſui: negat tamen S. Pacianus in Epiſt. 2. ad Sympronianum, ubi addit, quòd ſi paſſus vel occiſus eſſet, adhuc martyr non eſſet: *Porrò etiamſi paſſus eſt aliquid Novatianus, non tamem etiam occiſus: etiamſi occiſus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Eccleſiæ pacem, extra concordiam, extra eam Matrem, cujus portio debet eſſe qui martyr eſt. Audi Apoſtolum* „ Etſi tradidero corpus meum ad comburendum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt „. Hoc pacto deceſſit etiam Novatus. Uterque æterno igni damnatus: ut quorum impietas fuit una, & una eſſet utriuſque communis pœna.

XIV. De tempore, quo primùm hæc hæreſis apparuit, facilè ex dictis colligi poterit. Etenim Novatus duobus Philippis imperantibus, & eodem anno, quo Donato, Carthaginenſi Epiſcopo vitâ functo, datus fuit ſucceſſor S. Cyprianus; quo anno Feliciſſimus ſchiſma adversùs eum excitaverat, qui fuit annus Domini 248. Fabiano Summo Pontifice. Licèt autem ſub duobus Philippis Eccleſia in pace floruerit, ſub Maximino tamen ab anno 236. gravis exarſerat perſecutio. Ex hac occaſionem hæreſim ſuam excitandi ſumſit Novatus. Cùm enim videret, in perſecutione Maximini lapſis veniam in mortis periculo petentibus ab Eccleſia concedi, novum dogma prodere auſus fuit, quo docebat, lapſis nullo tempore veniam eſſe indulgendam. Propter hoc aliaque Novati facinora eum in Synodo damnare Africani Patres decreverant; Sed exortâ à Decio novâ perſecutione anno 250. & ultimo Fabiani Papæ, convenire Patres non potuerunt, & Novatus Romam aufugit.

Novatianus poſtea primùm apparuit ſchiſmaticus eo anno, quo Cornelius in Epiſcopatu Romano Fabiano mortuo ſucceſſit, qui fuit annus Domini 251. & Decii 2. Tunc enim Novatianus Novato etiam incitante, adversùs Cornelii electionem inſurgere, & ſchiſma ordiri cœpit ac hæreſim. Hujus eſtò Novatus prima ſemina in Africa jecerit, ampliator tamen fuit Novatianus.

Diutiſſimè autem Novatianorum Secta perduravit. Etenim S. Paciani ætate, qui claruit circa annum Domini 370. Valentiniano & Valente imperantibus, erant adhuc Epiſcopi Novatiani,

quorum unus erat Sympronianus, ad quem S. Pacianus tres dedit Epiſtolas. Imò etiam ſub Innocentio I. qui loco Anaſtaſii in Petri ſede ſuffectus fuit Arcadio & Honorio imperantibus anno ſcilicet 402. Novatianorum reliquias adhuc ſuperſtites fuiſſe, colligitur ex ejus Epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem in qua cap. 8. docet, venientes à Novatianis non eſſe rebaptizandos: *Ut venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus tantùm impoſitionem ſuſcipiantur*. Poſt hæc tempora Novatianorum nomen prorsùs delituit.

§. III.

Novatianorum error palmaris.

I. Primarius & fundamentalis Novatiani error fuit: quòd eos, qui in perſecutione (Decii) lapſi fuerant, vel fidem abnegando, vel libellos accipiendo, Eccleſia nullam poteſtatem haberet iterum recipiendi, & veniam eis indulgendi. Hunc errorem ſuggeſſit ei ambitio & invidia in Cornelium: ut enim eum nimiæ lenitatis accuſare poſſet, extremum rigorem excogitavit. Ita refert Euſebius Lbi. 6. Hiſt. cap. 43. in initio, ubi poſtquam ea narravit quæ Dionyſius Alexandrinus circa lapſos ſanctè ac piè conſtituerat, ait: *Novatus* (Novatianus) *Eccleſiæ Romanæ presbyter arrogantiâ adversùs eos elatus, quaſi nulla ſpes ſalutis ipſis poſthac ſupereſſet; tametſi omnia explerent, quæ ad ſinceram converſionem, puramque confeſſionem pertinent, propriæ cujuſdam Sectæ eorum qui tumore mentis elati ſe ipſos Catharos cognominarunt, auctor extitit.*

II. Socrates tamen ſectâ Novatianus hunc errorem emollire conatus. Lib. 4. Hiſtoriæ c. 28. hæc habet: *Novatus* (veriùs Novatianus) *Eccleſiæ Romanæ presbyter ideo diſſidium fecit, quòd Cornelius Epiſcopus fideles, qui tempore perſecutionis à Decio Imperatore contra Eccleſiam excitatæ idolis ſacrificaverant, in communionem ſuſcepiſſet. Hanc igitur ob cauſam cùm ſeceſſiſſet, ab Epiſcopis qui idem cum illo ſentiebant, ad Pontificatum evectus, ſcripſit ad omnes ubique Eccleſias, ne eos qui Dæmonibus immolaverant, ad ſacra myſteria admitterent. Sed ut hortarentur quidem eos ad pœnitentiam: indulgentiam autem criminum relinquerent Deo, penès quem jus arbitriumque eſt crimina remittendi.*

III. Ex his oritur dubium, an Novatianus lapſis ſpem ademerit obtinendi veniam & indulgentiam ſolùm ab Eccleſia, etſi pœnitentes ad eam acceſſerint; an verò ademerit ſpem veniæ obtinendæ etiam à Deo. Hoc ſecundum colligitur ex S. Cypriano (ſeu alio coævo) Lib. ad Novatianum, quem ita inchoat: *Cogitanti*

tanti mihi, & intolerabiliter animo æſtuanti, quidnam agere deberem de miſerandis fratribus, qui vulnerati non propriâ voluntate, ſed Diaboli ſævientis irruptione, adhuc uſque, hoc eſt per longam temporum ſeriem agentes, pœnas darent: ecce ex adverſo obortus eſt alius hoſtis, & ipſius paternæ pietatis adverſarius hæreticus Novatianus, qui non tantùm, ut in Evangelio ſignificatum eſt, ſicut Sacerdos, vel Levites jacentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſâ ac novâ crudelitate ſauciatum potiùs occideret, adimendo ſpem ſalutis, denegando miſericordiam Patris, reſpuendo pœnitentiam fratris. Quod verus Cyprianus videtur ſupponere Epiſt. 52. ad Antonianum tum Epiſt. 57. ad Cornelium. Verùm ſive Novatianus lapſis ſpem ademerit obtinendi veniam à ſola Eccleſia, ei poteſtatem ad hoc denegando, ſive etiam à Deo, hæreticus & contra Deum fuit blaſphemus, ut ſtatim oſtendam.

IV. Eò uſque autem proceſſit Novatiani feritas, ut non ſolis in idololatriam, ſed etiam in alia crimina poſt Baptiſmum lapſis ſpem omnem veniæ ſaltem ab Eccleſia obtinendæ eriperet; hâc enim poteſtate Eccleſiam ſpoliabat: An verò ad omnia delicta, an ſolùm ad graviora, puta mœchiam, adulterium, homicidium & ſimilia, dubitatur. Cenſent aliqui, Novatianum cujuſque peccati dimittendi facultatem ab Eccleſia abſtuliſſe, Novatianos autem ut invidiam declinarent, hanc diſtinctionem excogitaſſe. Sed ut ut res fuerit: Epiphanius Hæreſi 59. num. 1. generaliter dicit, Novatianum dixiſſe: *Qui autem poſt Baptiſmum delinqueret, nullam erga eum miſericordiam adhiberi poſſe.* S. Cyprianus, à quo Epiſt. 57. ad Cornelium Novatianus appellatur *miſericordiæ hoſtis, interfector pœnitentiæ, doctor ſuperbiæ, veritatis corruptor, proditor caritatis*: & Epiſt. 67. ad Stephanum de Martiano Arelatenſi, qui Novatianis ſe adjunxerat, ait: *Tenens hæreticæ præſumtionis duriſſimam pravitatem, ut ſervis Dei pœnitentibus & dolentibus, & ad Eccleſiam lacrymis ac gemitu & dolore pulſantibus, Divinæ pietatis & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſinè ſpe pacis & communicationis relicti ad luporum rapinam, & prædam Diaboli projiciantur.* His Cyprianus oſtendit, quibuſcumque peccato obſtrictis veniæ clauſam apud Novatianos fuiſſe januam.

Sed & Pacianus Epiſt. 3. ad Sympronianum ait: *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propoſitionibus deſtinatis, Semproniane frater, hoc continet; quòd poſt Baptiſmum pœnitere non liceat: quòd mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit, imò quòd ipſa pereat recipiendo peccantes.* Imò & Aſclepiades Sectâ & ipſe Novatianus apud Socratem Lib. 7. Hiſt. c. 25. Attico

ei objicienti: *Novatianos minimè probo, qui ob levia delicta laicos à communione excludunt.* Reſpondit: *Præter ſacrificium idolorum ſunt & alia multa peccata ad mortem, ut loquuntur Scripturæ, propter quæ vos quidem Clericos, nos verò etiam laicos à communione removemus, ſoli Deo poteſtatem condonandi illis relinquentes.*

V. Verùm quocumque modo Novatianus & ſui aſſererent, peccata aliqua eſſe irremiſſibilia, injurii & blaſphemi erant in Deum, qui Divo Paulo teſtante ad Epheſ. 2. *Dives eſt in miſericordia ... & cùm eſſemus mortui peccatis convivificavit nos in Chriſto* &c. Et D. Petro Ep. 2. c. 3. n. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Qui per Ezechielem cap. 33. v. 11. dicit: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua & vivat.* Qui David adultero, qui Ninivitis pœnitentibus pepercit: qui denique *ſic dilexit Mundum ut Filium ſuum unigenitum daret ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam: non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum ut judicet mundum ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Ita Chriſtus ipſe loquitur Jo. 3. v. 16. & 17. Et hoc præcipuè de Mundo peccatis involuto dixit Matth. 9. v. 13. *Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores*: quod repetit Lucæ 5. v. 31. *Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent: non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Propterea neminem ad ſe contrito corde venientem peccatorem rejecit, ſed omnes abſolvit, omnibus peccata dimiſit, ut mulieri peccatrici, Petro eum abneganti, Diſcipulis omnibus eum in paſſione deſerentibus, Latroni ſecum in Cruce pendenti; & pro crucifixoribus ipſis, ut tantum peccatum eis dimitteret, Patrem ſuum rogavit. Nec ſolùm ad ſe venientes peccatores ſuſcepit, ſed eos ſpontè vocavit ut Zacchæum, ac Matthæum; ideoque ſe Paſtori aſſimilavit, qui nonaginta novem ovibus relictis, ad quærendam unicam quæ ſeceſſerat, ſpontè proceſſit, proteſtatus eâ inventâ ſe magis gaudere, quàm ſuprà nonaginta novem juſtis, qui non erraverunt, & non indigent pœnitentiâ Matth. 18. v. 11. Lucæ 15. v. 7.: ubi etiam hoc explicat parabolâ Patris, de redeunte filio prodigo ac deſertore ſpecialiter exultantis.

VI. Hæc aliaque ſuæ miſericordiæ ſigna, dum nobiſcum verſaretur in terris Chriſtus per ſe ipſum exhibuit. Reverſurus autem ad Patrem, eamdem plenam indulgendi facultatem, vel non indulgendi, prout ipſi judicaverint, iis quos vice ſui relinquebat, indulſit. Hanc primò promiſit Petro, quem loco ſui Paſtorem & Caput Eccleſiæ conſtituit Matth. 16. v. 19. *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum &*

in

in Cælis. Hanc in cæteris Apoſtolis contulit Eccleſiæ cap.18. v.18. Amen dico vobis: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo*. Hanc ſpecialiter quoad remittenda vel retinenda peccata poſt reſurrectionem confirmavit Joann. 22. v. 23. dicens: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Hâc plenâ poteſtate ſolvendi & ligandi, remittendi, & retinendi ſibi conceſsâ à Chriſto uſa ſemper eſt Eccleſia, aliqua peccata condonando, aliqua retinendo, nec priùs, quàm publicâ impletâ pœnitentiâ remittendo: ideòque ſicut ſchiſma Novatianorum rejicit, nolentium lapſos quacumque pœnitentiâ exactâ eſſe admittendos; ita ſchiſma Feliciſſimi eos etiam nullâ peractâ pœnitentiâ admittentis, deteſtatur. Quid ergo ad hæc Novatiani?

VII. Dicent, ademtam eſſe Eccleſiæ hanc facultatem erga eos, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum fuerint lapſi, vel aliquo gravi crimine onerati. At hujuſmodi abſolvendi baptizatis à quocunque crimine facultas, à quo Eccleſiæ eripitur, niſi à Novatianis? A Chriſto certè non; quin potiùs ipſe illam Eccleſiæ conceſſit erga eos qui Eccleſiæ ſubditi eſſent: nemo enim judex auctoritatem habet ſolvendi aut ligandi, niſi eos, qui ſuo Tribunali ſunt ſubditi. Quomodo autem homines fiunt Eccleſiæ ſubditi, niſi per Baptiſmum? Imò in eos, qui Baptiſmo Chriſti incorporati ſunt, magis manifeſtari debet ejus bonitas & clementia: ſic enim ipſe proteſtatur Matth. 15. v. 24. dicens: *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael*. Et Matth. 10. v. 6. ad eas mittens Apoſtolos: *Ite potiùs*, inquit, *ad oves quæ perierunt domus Iſrael*. Si ergo præcipua cura Chriſti fuit ſalvare oves, quæ perierant domus Iſrael, & ad eas ſpecialiter miſit Apoſtolos; minoris curæ illi erunt, qui per Baptiſmum ſui facti ſunt, ut pro eis ſi ceciderint nullum adſit remedium? Non ita certè intellexit Petrus qui Act.8. v.22. Simone Mago jam baptizato, graviſſimi tamen criminis reo, promiſit à Deo veniam, ſi pœnitentiam egiſſet: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Non ita intellexit Paulus, qui Corinthium illum jam baptizatum, quem ob publicum inceſtum 1. Cor. 5. v. 5. Satanæ tradiderat, ideſt communione privaverat, poſtea 2.Cor.2. v. 7. pœnitentem ipſum ſuſcipi juſſit. Ita Philaſter Hæreſ. 82. *Paulus, quem abjecerat eum ſuſcipi poſt tempus jubet. Amiſſionem itaque dignitatis poſſunt perpeti tales, non detrimentum ſalutis*. Quibus alludit ad canonicas pœnitentias, quibus tunc ſubjiciebantur talium criminum rei, qui tamen à ſpe ſalutis omninò non excidebant.

VIII. In

VIII. In contrarium opponebant Novatiani dictum Pauli Hebr. 6. v.4. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti; guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt; renovari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibi metipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*. Et cap.10. v. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Ex quibus inferebant, lapſis poſt Baptiſmum nullum ſupereſſe ſalutaris pœnitentiæ locum.

IX. Reſpondet S. Epiphanius Hæreſ.59. n.2., Paulum in primo textu loqui de renovatione facienda per novum Baptiſmum: *Nam re verá, inquit, qui ſemel renovati ceciderunt renovari ampliùs non poſſunt. Neque enim naſcetur ampliùs Chriſtus, ut pro nobis in crucem agatur. Neque Dei Filium in cruce ſuſpendere quiſpiam poteſt, qui id ultra perpeti nequit. Neque alteram quis uſurpare lotionem poteſt, quòd unus Baptiſmus ſit, unaque renovatio. Verùm horum omnium remedium ſtatim Apoſtolus ſubjicit, ut & Eccleſiæ medicinam faciat, & illius membris conſulat. Ait itaque* v.9. „ Confidi- „ mus autem de vobis, cariſſimi, meliora & viciniora ſaluti. „ Non enim injuſtus eſt Deus, ut oblivifcatur boni operis veſtri „. *In quo vides, quemadmodum & inſtaurationem illam ſecundam fieri non poſſe omninò pronuntiaverit; neque tamen à ſalute illos excluſerit, quos peccati ſui pœniteret: ſed & ſaluti propinquos eſſe dixerit, & Deum rectè ab iis factorum eſſe ſuſceptorem, qui delictorum ſuorum abſolutam pœnitentiam capeſſerent, ſeque adeò converterent animumque mutarent.*

Quamobrem cum Divinus ſermo, tum Sancta Dei Eccleſia perpetuò pœnitentiam approbat; non quòd mollior ac dilutior ſit, aut pigriores illos faciat, qui in illo ſtadio decurrunt; ſed ut Dei gratiam humanitatemque non rejiciat, ac cujuſque cauſæ modum ac rationem conſideret. Ut enim is, qui virginitatem amiſit, quod ad corpus attinet, repræſentare illam non poteſt, cùm id minimè natura patiatur: ita qui poſt Baptiſmum in majora quædam crimina prolapſus eſt, perinde ac qui virginitate excidit, ſecundum habet in continentia commendationis gradum: ſic ille poſt Baptiſmum graviore obſtrictus ſcelere ſecundum habet ſanitatis genus. Quod tametſi cum tantá quantá priùs virtute minimè conjunctum ſit, non eſt tamen à conſequendæ vitæ ſpe ac ſalutis alienum. Igitur eorum, qui in capeſſenda pœnitentia laborant, fructum ac præmium Divinus ſermo non rejicit. Hactenus Epiphanius.

X. Igitur qui poſt Baptiſmum in grave crimen lapſus ſemel innocentiam baptiſmalem amiſit, eam quidem per pœnitentiam am-

amplius recuperare non poteſt, ſicut nec qui ſemel amiſit Virginitatem, per continentiam iterum virgo reſtitui poteſt. Sicut autem per poſteriorem continentiam caſtus & continens fieri poteſt: ita per pœnitentiam poſt lapſum Dei gratiâ juſtus & ſalvus effici poteſt. Et ideò D. Paulus dicit quidem ſemel lapſum per pœnitentiam non poſſe innovari, dicit tamen, Deum non eſſe injuſtum, ut obliviſcatur boni operis, ideſt pœnitentiæ illius. Et hoc quia ut docet S. Thomas 3. p. qu. 48. art. 1. ad 5. *Baptiſmus* (per quem homo innovatur) *habet virtutem ex paſſione Chriſti, ſicut quædam ſpiritualis generatio cum ſpirituali morte præcedentis vitæ*, „ Statutum *autem* eſt hominibus ſemel mori „ (Hebr. 9.) *& ſemel naſci: & ideò ſemel tantùm debet homo baptizari. Sed pœnitentia habet virtutem ex paſſione Chriſti, ſicut ſpiritualis medicatio, quæ frequenter iterari poteſt*. Ita S. Thomas.

XI. Ad alterum Pauli textum ex Cap. 10. dico, Paulum ibi apertè loqui de hæreticis, qui poſt acceptam notitiam veritatis deſerunt collectionem, ideſt Eccleſiam: pro iſtis enim quamdiu ſic manent, non relinquitur pro peccatis hoſtia. Videant hoc Novatiani. De quibus & eorum errore cùm locutus etiam ſim Tom. 3. in 3. p. Tract. de Pœnitentia Qu. 1. Dub. 1. §. 2.; & inſuper cùm ibid. q. 10. per totam de Pœnitentia publica ejuſque ordinibus diſſuerim, ad ibi dicta Studioſum mitto.

XII. Quia verò quamvis Novatiani nedum à fide lapſos, ſed & mœchos, adulteros, raptores, aliorumque criminum reos reparationis pœnitentiam incapaces eſſe dicerent, & contra Eccleſiam quæ illos poſt pœnitentiam recipiebat blaterarent, ipſi tamen omnes cujuſvis criminis obnoxios, & maximæ Eccleſiæ rebelles, ſi eorum ſocietati ſe ſe adjungerent, abſque ullâ prævià pœnitentiâ admittebant; ideò eos ita coarguit S. Cyprianus Ep. 52. ad Antonianum: *Nec ſibi in hoc novi hæretici blandiantur, quòd ſe dicant Idololatris non communicare, quando ſint apud illos & fraudatores, & adulteri, qui teneantur idololatriæ crimine, ſecundùm Apoſtolum dicentem: Omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator, quod eſt idololatria, non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei*. Et S. Pacianus Epiſt. 3. ad Sympronianum Novatianos ſic ad hominem premit: *Nos*, inquit, *in Eccleſiam lupos recipimus, qui hæreticorum ora vitamus? An potiùs Novatiani, qui cùm ipſi ſint rapaces lupi paulò miſeriores oviculas reformidant? Nos conſentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohæremus, nos Idolo & Belial jungimur? Aut illi qui Evariſtum, qui Nicoſtratum receperunt, cæteroſque ab Eccleſia recedentes linguâ, manu, moribus inquinatos? Nos cum adulteris & furibus convenimus; an illi qui Novatum vitæ ſuæ*

ſuæ & capiti prætulerunt, qui poſt interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum, miſeri parentis & partus uxoris parricidam, non modò non pœnitentem, verùm etiam gloriantem? Hæc quæ Pacianus in Novatianos, an intorqueri poſſint in prætenſos Reformatores, qui Eccleſiam cujus ſunt deſertores calumniis infamare non ceſſant, dum ipſi Luthero vel Calvino vel ſibi metipſis adhærentes, veris ſunt irretiti criminibus, judicet pius ac prudens.

XIII. Et ne mendacem me quis accuſet: ecce Lambertus Danæus ex prætenſis Reformatis unus, qui cap. 38. de Novatianis (qui etiam ſe Catharos nuncupabant) agens, Catharorum Recentiorum cauſam ſuſcipiens, ait,, Poſterior ætas ad prægravandam
,, bonam Sacroſancti Evangelii cauſam, homines verè Evangeli-
,, cos infami Catharorum nomine calumniata eſt, quos eoſdem
,, etiam Waldenſes, Pauperes de Lugduno, Arnaldiſtas ab Ar-
,, naldo quodam. . . Denique eos Toſſepinos vocavit,,. Hæc Danæus. Qui deinde dicit ex Novatiana hæreſi fluxiſſe venenum meriti bonorum operum addens,, Recepta tamen eſt hæc hæreſis
,, & repetita interpolato nomine à Pelagianis: deinde à Papiſtis
,, retenta: quia omnes hi meritum operum noſtrorum defendunt,,. Ita Danæus.

XIV. Cui breviter reſpondeo. Ad primum, quo Waldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno homines verè Evangelicos appellat, me non mirari: nam Evangelici erant, ſeu Evangelici nomen falsò affectabant, ſicut ipſe Danæus. Nam & ipſi de abſtinentia à cibis in Quadrageſima, de auriculari Confeſſione, de Confirmatione, de Romano Pontifice, de Sanctorum imaginibus, de Indulgentiis & aliis dogmatibus eadem cum Danæo, & ſuis aſſerebant: & propterea in Romana Synodo ut hæretici jure damnati anno 1170. fuere, ſicut in Tridentina Danæus & ſui. Unum tamen dicebant Waldenſes, quod non puto à Danæo ut Evangelicum probandum: nempè, urente carnis libidine omnem carnalem commixtionem, tam inter viros, quàm inter feminas eſſe licitam. Arnaldiſtæ autem multa in Deum creatorem blaſphemabant: unde neſcio quomodo Evangelicos ac ſuos appellare poſſit Danæus.

Quod verò ſecundo loco dicit, doctrinam de merito bonorum operum à Novatianis, ſeu Catharis hauſtam, ad Pelagianos tranſiſſe, & à Papiſtis retentam eſſe, vel ex ignorantia, vel ex animo calumniandi procedit. Sibi enim arrogare meritum operum propriis & naturæ viribus, Catharorum quidem & Pelagianorum audax præſumptio fuit: at meritum concedere bonis operibus ex Chriſti meritis, & ejus gratia factis, doctrina Catholica ſemper fuit ab Eccleſia recepta, & à ſolis Luthero, Calvino & ſuis, falſis

falſis principiis rejecta, ut oſtendi in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1. art. 9.; & Tom. 3. in 1. 2. Tract. de Merito Juſti q. 1. Dub. 2. Verè quidem ego dicere poſſum, Danæum & alios errorem negandi Eccleſiæ auctoritatem, dimittendi peccata, contemnendi confirmationis Sacramentum, & Martyrum reliquias, à Novatianis accepiſſe. Sed hæc ſatis.

§. IV.

Alii Novatianorum errores.

I. Præfato ſuo primario alios addebant errores Novatiani. Illicitas ſecundas nuptias aſſerebant, eaſque tam in maribus, quàm in feminis ceu adulteria deteſtabantur; ideoque eos qui poſt Baptiſmum ſecundas contraxiſſent nuptias à ſua communione arcebant. Hunc errorem in Montaniſtis ſupra Cap. 23. §. 4. rejeci. Aliqua tamen hic adjiciam. De Catharis ait S. Auguſtinus L. de Agone Chriſtiano cap. 31. *Viduas ſuas uri cogunt, quas nubere non permittunt. Non enim prudentiores habendi ſunt, quàm Paulus Apoſtolus, qui maluit eos nubere quàm uri* (1. ad Timoth. 5. v. 14.) Ideoque Concil. Nicænum Can. 8. Catharis, ut in Eccleſiam recipiantur, mandat ſcripto promittere, ſe æquè cum bigamis & cum lapſis communicaturos. S. Epiphanius Hæreſ. 59. num. 4. dicit, ad ſecundas nuptias damnandas motos fuiſſe Pauli Epiſt. 1. cap. 3. v. 2. ad Timoth. ſcribentis: *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere, unius uxoris virum, continentem*: ſimiliter Diaconum & Presbyterum: cui reſpondet Epiphanius (cujus verba quia valdè favent ſacrorum Miniſtrorum continentiæ & cælibatui contra Novatores, per extenſum referam): *Ita enim, profectò ſe ſe res habet, ut poſt Chriſti in Orbem terrarum adventum, eos omnes, qui ſecundùm priores nuptias mortuá uxore alteri ſe ſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina rejiciat: propterea quòd incredibilis eſt ſacerdotii honor ac dignitas. Atque iſtud ipſum Sacroſancta Dei Eccleſia cum omni proviſione diligentiáque ſervat. Quin eum inſuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius ſit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit; ſed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſe ſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit, ubi Eccleſiaſtici canones accuratè ſervantur.* Hactenus Epiphanius. Qui ſubinde oſtendit, quòd ſi alicubi aliter fiat, hoc fit non ex Canonum auctoritate, ſed vel ex hominum ignavia, vel ex neceſſitate, quia tot non inveniuntur qui populi

multitudini ſatisfacere poſſint. Pergit deinde oſtendens, Eccleſiam à Spiritu Sancto edoctam ſtatuiſſe in Sacris Miniſtris continentiam, ut ſoli Deo penitùs vacent; & alia, quæ omitto: tum quia rei præſentis non ſunt, tum quia de eis fusè egi, tum in Vera Eccleſia, tum in Colloquiis Theologico-polemicis Claſſe 1.

II. Revertendo igitur ad præſens argumentum: ſecundas nuptias illicitas feciſſe ſolos Catharos Novatiani ſobolem, cenſet Theodoritus Lib. 3. Hæret. Fab. cap. 5. Imo hunc errorem ſolis in Phrygia morantibus tribuit Socrates Lib. 5. Hiſt. c. 22., addens, eos qui in Occidente erant bigamos recepiſſe, qui verò Conſtantinopoli degebant abſolutè nec recepiſſe, nec rejeciſſe. Nemo tamen præter ipſum hâc diſtinctione utitur: imò S. Epiphanius S. Auguſtinus tum in L. de Hæreſ. c. 38. tum in L. de Agone Chriſt. cap. 31. tum Theodoritus citato loco omnibus Novatianis, ſeu Catharis hunc errorem affingunt.

III. Martyres, eorumque Reliquias contemſiſſe Novatianos Alexandriæ, refert S. Eulogius apud Photium Cod. 280. pag. 1617. *Hoc facere*, inquit, *Novatianos Alexandriæ contra Martyres blaterantes. Comparituri autem in ultimo Judicii die non habebunt ſui defenſionem, nec aperire os, nec movere labra poterunt, quia hoc tempore contra Chriſti Martyres linguam exacuerunt*. Et poſt pauca ſubdit: *David de juſtificatis tribulatione loquens ait* „ Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non confringetur „ *oſtendit, oſſa illa vitam dare poſſe, & accedentibus medicinam præbere. Hæc enim ipſa oſſa, quæ à Chriſto nunc conſervantur, ſibi invicem unita animæ conjungentur, & mercedem ſimul certaminum accipient* &c. Audiant hæc moderni Hæretici, qui Sacra Martyrum oſſa cum Novatianis contemnunt.

IV. Ulteriùs in hoc verſabantur errore, quòd venientes, ſeu redeuntes ad eorum Sectam iterum baptizabant. Cùm enim exiſtimarent univerſam Eccleſiam eſſe corruptam, eò quòd lapſos & peccatores ad communionem reciperet; indè fiebat, ut venientes ad eorum Sectam iterùm baptizarent, reputantes nullum Baptiſma extra illam datum. Quare Dionyſius apud Euſeb. Lib. 7. Hiſt. cap. 8. de Novatiano ait: *Qui præterea ſacrum lavacrum obliterat; fidemque & confeſſionem quæ Baptiſmum præcedit evertit*. Inſtructionem, & Catechiſmos alioſque ritus ante Baptiſmum fieri ſolitos omittebat, ut dicam. Et S. Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubajanum: *Novatianus*, inquit, *ſimiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur, vult Eccleſia Catholicæ auctoritatem ſibi & veritatem vindicare, quando ipſe in Eccleſia non ſit: immo adhuc inſuper contra Eccleſiam rebellis & hoſtis extiterit.... Quòd ſi*

in

in Eccleſia baptizatos rebaptizandos foris extra Eccleſiam Novatianus exiſtimat, à ſe incipere debuerat, ut prior extraneo & hæretico Baptiſmo rebaptizaretur, qui poſt Eccleſiam imò & contra Eccleſiam baptizandos foris opinatur. Quibus S. Cyprianus Novatianum reprehendit, non quòd putaret, Baptiſmum extra Eccleſiam collatum eſſe nullum; in hac enim opinione ſeu errore, Cyprianus ipſe erat, ut oſtendi Tom. 2. in 3. p. Tract. de Bapt. Qu. 4. Dub. 3., ſed quia ſuam Eccleſiam ſolam eſſe Catholicam & veram præſumebat.

V. Baptiſma tamen Novatianorum in ſubſtantialibus cum Baptiſmo Catholicorum conveniebat, illud enim in nomine SS. Trinitatis, cujus fidem illæſam cuſtodiebant, conferre conſueverant, licèt aliquam fidei confeſſionem ante Baptiſmum, ut ex Dionyſio dixi, fortè omitterent; ſicut nec Chriſmatis unctionem in Baptiſmo præmittebant. Sic Theodoritus his verbis: *Iiſque qui ab ipſis tinguntur Sacrum Chriſma non præbent.* Hoc Danæus ipſe fatetur Opuſc. 38. quem morem dicit fuiſſe tunc in Eccleſia receptum „ Et certè ex Fabriani Epiſcopi Romani actis & vita „ diſcimus, magnum tunc fuiſſe Chriſmatis in Baptiſmis uſum, „ quando ille ipſe præcepit quotannis confici, vetuit autem com„ buri, & eſt in Can. Literis de Conſecr. diſt. 3. Idem apparet ex „ Tertulliani ſcriptis. Sed quo Scripturæ fundamento Patres „ Chriſma in baptizando quæſo ſanxerunt „? Ita ſpiritu hæretico claudit Danæus. Si fatetur, Eccleſiam ab antiquis temporibus ſtatuiſſe, ut Chriſma in Baptiſmo adhiberetur, & eo uſos fuiſſe Patres, quâ auctoritate ipſe ac ſui ritum hunc à Baptiſmo rejecerunt? An quia Scriptura id non præcipit? Sed Scriptura præcipit tamen in his quæ ad ritum pertinent obediendum eſſe Eccleſiæ.

VI. Nedum autem Chriſma à Baptiſmi collatione Novatiani exploſere: ſed & Sacramentum Chriſmationis ſeu Confirmationis prorsùs omittebant, nec baptizatis conferebant. Indicat hoc Dionyſius ſupra relatus de Novatiano addens: *Et Spiritum Sanctum penitùs ab illis fugat.* Originem hujus omiſſionis à Novatiano ipſo fluxiſſe credendum eſt, qui ut ex Cornelio ſupra laudato apud Euſeb. Lib. 6. cap. 43. retuli: *Neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Hâc ratione antiqua Eccleſia ſtatuit, ut Novatiani ad eam venientes non rebaptizarentur quidem, ſed tamen Manuum Impoſitione confirmarentur, vel Sacro Chriſmate inungerentur. De manuum impoſitione ſola loquuntur Nicænum Can. 8., Laodicænum Can. 7., & Conſtantinopolitanum I., & Innocentius I. De unctione etiam loquitur Theodoritus citato loco

dicens „ Quocirca eos etiam qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur benedicti Patres ungi juſſerunt „. In hac hæreſi moderni Acatholici quoquè convenientes, Confirmationem à numero Sacramentorum delent, ut oſtendi Tom. 2. in 3. p. Tract. de Confirm. qu. 1. Dub. 1.

VII. De die celebrandi Paſchatis concordes non erant. Aliqui enim contendebant, illud celebrandum eſſe cum Judæis Lunâ 14. Martii in quamcumque diem incideret. Alii die Dominicâ ſequenti cum Catholicis. Sive autem unâ, ſive aliâ die celebraretur, pro re adjaphora habebatur, ut ſcribit Socrates L. 5. Hiſt. c. 22. Quamvis idem Socrates eodem Libro c. 21. ſupponat, Novatianos in Synodo Pazenſi ſtatuiſſe celebrandum Paſcha die 14. Et hoc ſtatutum Sabbatium quemdam ex Judæo factum Chriſtianum, & Sectâ Novatianum, innovare conatum fuiſſe, aliis tamen ejuſdem Sectæ refragantibus, exceptis Novatianis Galatiæ & Phrygiæ idem cum illo ſentientibus.

VIII. Tandem Novatiani ſuperbiâ, & animi duritie omnes hæreticos ſuperarunt. Elatione obcæcati ſe ſolos puros ac mundos jactabant, cæteros velut immundos & corruptos contemnentes: ideòque, non rejecto tamen Novatianorum à ſuæ Sectæ auctore accepto nomine, aliud addidere: *Catharos*, id eſt puros ac mundos ſe vocitantes: quo fiebat, ut cæteros tanquam impuros ad ſe accedere dedignarentur, ac duritie cordis, etſi humiles ac pœnitentes, peccatores admittere recuſarent: ſimiles prorſus Phariſæis, nec timentes maledictum à Deo per Iſaiam c. 65. v. 5. in eos fulminatum: *Qui dicunt recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die*, Scire nolentes *quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* (Jacobi 4. v. 6. 1. Petri 5. v. 5.) & quòd *Domum ſuperborum demolietur Dominus*. At quia Phariſæos æmulari volebant, attendant quid evenerit Phariſæo illi, de quo Chriſtus ipſe Lucæ 18. v. 10. &c. *Duo homines*, inquit, *aſcenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo*. Ita orabat Phariſæus. *Et Publicanus à longè ſtans nolebat nec oculos ad cælum levare: ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori*. Quid evenit? Chriſtum audiant: *Dico vobis, Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*. Norint ergo Novatiani, peccatores quos humiliter pœnitentes ipſi ſuperbè rejiciunt, à Deo miſe-

Digitized by Google

miſericordiam conſecuturos, ſe autem Phariſaico ſpiritu intumeſcentes fore à Deo & à Chriſto rejiciendos. Sed hoſce ſuperbos dimittamus.

CAPUT XXXV.

De Angelicis.

§. I.

Qui fuerint, & quis eorum error.

I. HORUM ignotus eſt Auctor, imò & eorum nomen ſatis obſcurum. Ab eis propterea breviter ſe expedit Epiphanius Hæreſ. 60. dicens: *Audita à nobis eſt Angelicorum hæreſis, ac ſolum ejus nomen accepimus, neque cujuſmodi illa demum hæreſis ſit, compertum habuimus. Quod eo fortaſſe contigit, quòd cùm aliquando prodiiſſet, deſiit poſtea, ac tandem penitùs extincta eſt. Illud verò nomen, quam ob cauſam obtinuerit, ignoramus. Nam cùm hæretici quidam conditum ab Angelis Mundum eſſe dixerint, utrumnam hæc Secta quòd idem aſſeveraret eodem ſit affecta nomine, certò affirmare non poſſum. An potiùs quòd in Angelicum ſe ſe ordinem arroganter referrent, atque excellentem quamdam vitæ rationem inſtituerent, ne hoc quidem pro comperto affero. An poſtremò ab loco quodam eam appellationem ſortiti ſint; quoniam quidem regio quædam eſt ultra Meſopotamiam, quæ Angelina dicitur.* His Epiphanius profitetur, omnia de hac hæreſi ſibi eſſe ignota: ignotam cauſam nominis, cauſam erroris: & quòd vix enata deſierit, & fuerit extincta.

II. S. Auguſtinus tamen Angelicos dictos aſſerit ab Angelorum cultu. Ita L. de Hæreſ. c. 39. *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omninò defeciſſe teſtatur.* Damaſcenus etiam Hæreſ. 60. *Angelici*, inquit, *hi omninò non ſuperſunt hodie. Ita verò dicti ſunt: vel quòd ſe Angelici ordinis eſſe jactarent, vel quòd Angelos invocarent.* Theodoritus in Cap. 2. Epiſt. ad Coloſs. dicit ſuâ ætate ſuperſtites fuiſſe in Phrygia & Piſidia profani cultus Angelorum reliquias ſic: *Qui legem defendebant eos etiam ad Angelos colendos inducebant dicentes, fuiſſe legem per eos datam. Manſit autem diù hoc vitium in Phrygia & Piſidia. Quo circa Synodus quoquè, quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum uſque diem licet videre apud illos, & eorum finitimos Oratoria Sancti Michaelis.*

III. Hu-

III. Hujus hæreſis Auctorem nemo prodidit. Viguiſſe maximè in Phrygia & Piſidia ex Theodorito vidimus. Tempus quo emerſit incertum eſt. Aliqui ut Ricciolius 3. p. Chronol. Tom. 2. Catal. 2. eam conſignant ſub anno Domini 255. Eam quoquè Natalis Alexandre Hiſt. Eccl. Sec. 3. c. 3. art. 6. medio ſeculo tertio circiter exortam putat. Alii coævam eam faciunt hæreſi Melchiſedecianorum, ideoque prius exortam, nempè circa initium ſeculi tertii, Iſidorus L.8. Etymol., Honorius Auguſtodun. L. de Hæreſ., & Rhabanus Lib.2. de Inſt. Cleric. c. 58. ; eſtò Epiphanius Auguſtinus & Damaſcenus eam poſt Catharos recenſeant.

IV. Seculo ſexto Monophyſitæ quidam, dicti etiam Angelici ſeu Angelitæ ab Angelio Alexandriæ regione emerſerunt, de quibus Theodorus Presbyter Conſtantinopol. Lib. de Receptione Hæreticorum apud Cotelerium Tom. 3. Monum. Eccl. Græc. Sed hi diverſi omninò ſunt ab illis, de quibus agimus. Nam hi Angelitæ dicti ſunt, non ab errore quo Angelos ſuperſtitiosè colerent, ſed ab Angelio loco ſic dicto. Unde idem Theodorus: *Porrò*, inquit, *Angelitæ ab adverſariis vocati ſunt ex loco Alexandriæ dicto Angelio, in quo collecti ædem habentes, qui primi inter eos ſunt congregantur*. De his Nicephorus L.18. Hiſt. cap.49. dicit, habuiſſe primum Sectæ ducem quendam Severum, à quo etiam dicti ſunt, ſicut Angelitæ ab Angelleo, loco Alexandriæ, in quo ſuos cœtus habebant. Errabant autem circa Trinitatem „ dicebant enim, alium „ eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum, non eſſe „ autem horum quemque per ſe ipſum naturam, ſed habere com„ munem Deum, ſive Deitatem in eis exiſtentem, atque de ea „ Deitate indiviſibili modo participantes quemlibet eſſe Deum. „ Unam autem ſubſiſtentiam opinantur eſſe Patrem, Filium, & „ Spiritum Sanctum, communem verò ipſum Deum & naturam„. Hæc ex Nicephoro. Ab his quoquè diverſos fuiſſe puto alios Angellios, quos in Sicilia fuiſſe idolorum cultores, ſcribit S. Gregorius Magnus Lib. 3. Epiſt. modò 60., quamvis Patres Maurini in Notis eoſdem fuiſſe putant ac eos, de quibus ſupra Nicephorus, & à cultoribus Idolorum diſtinctos.

V. Errabant igitur Angelici, de quibus modò agimus, ſecundùm Epiphanium, vel quia Angelos colerent ut Mundi Conditores (aut Legis datores juxta Theodoritum) vel quia ſe in Angelicum ordinem arroganter referrent. Secundùm Auguſtinum autem & alios, quia Angelos colebant, & venerabantur. In hoc exultat omnium Proteſtantium nomine Danæus, & conatur oſtendere, Angelicorum veterem hæreſim in Catholicos Romanos (ſeu ut vocat Papiſtas) Angelis cultum præſtantes tranſiiſſe, & ab eis reno-

renovatam fuiſſe. Sed quàm turpiter hallucinetur cum ſuis, oſtendi in Vera Eccleſia Tom.2. p.2. art.14. §.3. & Tom.16. Theolog. Qu. 5. de SS. Interceſſ. Dub. 3. Ut tamen Danæi impoſtura hîc appareat, aliqua §. ſequente dicam, ſeu potiùs repetam.

§. II.

Angelicorum error à Catholico dogmate ſecernitur.

I. Danæus hoc Opuſc. 39. ſolitâ audaciâ hæc ſcribit,, Quam-
,, quam autem non eſt latiſſimè propagatum hoc virus,
,, tenaciſſimè tamen in hominum animis ſemel ſparſum inhæſit:
,, adeò ut Papiſtæ etiamnum hodie hunc errorem retineant, &
,, colant Angelos. Eſſe verò antiquiſſimum, & jam indè ab Apo-
,, ſtolorum & Apoſtolicorum virorum ætate repetitum ex eo ap-
,, paret, quòd Paulus in Epiſt. ad Coloſſ. 2. v. 18. cultus Angelo-
,, rum jam meminit, & rejicit. Quæ ſententia ex Platonicæ Sectæ
,, & Philoſophiæ fontibus hauſta, primum à Simonianis in Eccle-
,, ſiam invecta eſt, ſed ab Apoſtolis exploſa; demum horum
,, Angelicorum induſtriâ recruduit, ut ad Simonem Magum tan-
,, quam ad proprium auctorem & parentem revocari debeat.
,, Hanc autem hæreſim maximè in Phrygia & Piſidia viguiſſe,
,, ſcribit Theodoritus Cyri Epiſcopus, adeò ut Laodicæna Syno-
,, do (eſt autem illa Laodicea Metropolis Phrygiæ) ſit vetitum,
,, ne Chriſtiani precarentur Angelos,,. Hucuſque Danæus.

II. Porrò ſi hoc diſcurſu intenderet hæreſis damnare Angelicos, qui Angelos colebant eo modo & cultu, quo Simon Magus & alii Apoſtolorum temporibus, ab eo non diſentirem. Illi enim colebant Angelos tanquam Mundi Conditores, Legislatores, eiſque ſacrificia offerebant: colebant inſuper non ſolùm bonos, ſed etiam malos, nempè Dæmones, atque ita colebant, ut derelicto Chriſto, per eos ſolos Deo quem inviſibilem ſupponebant reconciliari, & ad eum accedere poſſe ſperarent. Tales erant, à quibus ut caverent, Coloſſenſes monebat Paulus citato loco. Poſtquam enim cap. 1. eos hortatus fuerat, ut in ſolum Jeſum Filium Dei ſpem ponerent, quia *ipſe eſt imago Dei inviſibilis .... in quo condita ſunt univerſa in Cœlis & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnes & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Et per eum reconciliare omnia*

omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in Cælis ſunt. Videns ſurrexiſſe aliquos, qui ſive ex Lege, ſive vanis Philoſophiæ rationibus eos à Chriſto eripere, & ad Angelorum cultum trahere cap. 2. v. 18. *Nemo*, inquit, *vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei*.

III. Is ergo erat cultus Angelorum, quem damnabat, & à quo cavere jubebat Paulus, cultus ſcilicet non tenens Chriſtum Caput univerſæ Eccleſiæ, per quem reconciliati ſumus Deo, eoque poſthabito, totum tribuens Angelis ab ipſo creatis, & docens per ipſos ſolos, non per Chriſtum nos ad Deum inviſibilem accedere poſſe. Ita Pauli mentem exponunt Chryſoſtomus Hom. 7. in c. 2. ad Coloſſ. *Erant quidam qui dicerent, non oportere nos per Chriſtum adduci, ſed per Angelos. Illud enim eſt majus, quàm ut id poſſimus aſſequi*. Et Theodoritus in dictum Caput: *Qui Legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant dicentes fuiſſe Legem per eos datam .... dicentes, univerſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perveniri, & oportere per Angelos Divinam ſibi benevolentiam conciliare. Hoc autem dixit. In humilitate & cultu Angelorum. Humilitatem præferebant: ſed re verá inſolentiæ vitio laborabant*. Contra quos Concilium Laodicænum anno 372. Can. 35. ſtatuit: *Non oportet, Chriſtianos derelictá Eccleſiá Dei abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta ſunt. Quicumque autem inventus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans, anathema ſit: quoniam derelinquens Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei, acceſſit ad Idola*. Quæ exponens Zonaras: *Antiqua*, inquit, *illa quorumdam hæreſis fuit, ut non Chriſtum nobis patronum, aut interpretem apud Deum adhibendum eſſe, ſed Angelos affirmarent*. Cùm ergo Synodus hæc Laodiceæ Phrygiæ Metropoli coacta ſit, & in Phrygia maximè eſſent Angelici, perſpicuum eſt, præfatum Canonem contra ipſos fuiſſe editum, ac proinde eorum errorem fuiſſe, quòd colerent Angelos cultu idololatrico, & derelicto Chriſto ſpem ſuam omnem in Angelis ponerent. Et hic fuit error, à quo ut caverent Coloſſenſes Paulus monebat: quem errorem Simoniani tunc, & alii ſeductores apud ſimplices ſpargebant, hauſtum fortè ex Ethnica & Platonica Philoſophia, ut quos illi Genios, iſti Angelos appellarent, atque iiſdem ſolemnibus ac ſacrificiis colerent.

IV. Hæc ſi Danæus ſepoſitâ calumniandi libidine advertere voluiſſet, non dixiſſet certè, quòd *Papiſtæ etiamnum hodie hunc erro-*

errorem retineant, & colant Angelos. Quâ enim conſcientiâ dicere potuit, nos derelinquere Chriſtum ut colamus Angelos, qui totam ſpem noſtræ ſalutis unicè in Chriſto tanquam noſtro Mediatore, & à quo Angeli ipſi ut nos adjuvent accipiunt, collocamus? Colimus certè Angelos, ſed cultu inferiori, non Latriæ tanquam Dominos ac Deos, ſed Duliæ tanquam Dei miniſtros, legatos, nuntios & cuſtodes noſtros: colimus, eis tamen ſacrificia non offerimus, ſed ſoli Deo & Chriſto; rogantes eos ut ſacrificia & preces noſtras ad Deum perferant, juxta illud quod vidit Joannes in Apoc. cap. 8. v. 3. *Et alius Angelus venit & ſtetit ante Altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Ob hæc officia, quæ pro nobis gerunt, Angelos grati animi ergo veneramur: ſicut & Danæus miniſtrum Regis, qui ejus preces ad Regem deferret, veneraretur, ejuſque Legatum coleret, nec quidquam cultui Regi debito ſe detrahere exiſtimaret, imò ſe in eis colere & venerari Regem, & propter Regem honorem eis impertiri. Si ergo hanc diſtinctionem in cultu civili & politico approbat, cur non in religioſo & ſacro? Religioſus eſt cultus Angelis præſtitus, non ut à religione elicitus, ſed ut imperatus, inquit Ameſius è Danæi ſchola Tom. 2. Bellarm. enervati Lib. 6. c. 5. §. 33. *Honorandæ ſunt creaturæ Dei ex religione erga Deum, non ex religione erga ipſas. Religio, ut ſcholaſtici loquuntur, imperat, non elicit iſtum honorem*. Si ergo quamvis eâdem caritate quâ diligimus Deum, diligamus & proximum, non indè infertur, quòd diligamus proximum ſuper omnia, & propter ſe, ſicut Deum diligimus: ita etſi eâdem religione veneremur Deum & Angelos, non infertur, nos pari honore Angelos venerari, ac Deum.

V. Audiat Danæus, quid S. Auguſtinus (quem velut patronum allegat) ſcribat contra Fauſtum ſimilia ei improperantem Lib. 20. c. 21. *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus. Sed illos tantò devotiùs, quantò ſecuriùs poſt certamina ſuperata: quantò enim fidentiore laude prædicamus jam in vita feliciore victores, quàm in iſta adhuc pugnantes. At illo cultu, qui Græcè* Latria *dicitur, Latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam Divinitati propria ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam Idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cui-*

Digitized by Google

cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam Angelo: & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſive ut corrigatur, ſive ut caveatur. Etiam ipſi enim Sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt.

Indè affert exemplum Barnabæ & Pauli, qui Lycaoniæ non ſunt paſſi ſe adorari ab iis, qui eis velut Diis immolare volebant Act. 14. & alterum exemplum Angeli nolentis adorari à Joanne Evangeliſta Apocal. 19. v. 10., & c. 22. v. 9. Cùm enim Joannes, eum non Angelum eſſe exiſtimaſſet, ſed ipſum Chriſtum, ac Dei Verbum; & proinde eum adorare vellet cultu & adoratione ſoli Deo Verbo Incarnato debita, non permiſit Angelus; ſed ei dixit: *Deum adora*. Hæc duo exempla idem Sanctus Auguſtinus profert etiam L. 10. de Civit. Dei c. 19. & idem confirmat. L. de Vera Relig. c. 55. Quòd ſi etiam dicatur, S. Joannem voluiſſe adorare ipſum Angelum; factum hoc probat, Joannem exiſtimaſſe Angelos aliquo cultu licet inferiori ei qui ſoli Deo debetur adorari poſſe; illum autem recuſaſſe Angelum, non quia illum ſibi indebitum & illicitum reputaret, ſed quia, ut ait S. Gregorius Homil. 8. in Evangelia Angeli poſt Incarnationem Verbi Humanitatem ad tantam dignitatem elevatam non ampliùs veluti naturâ Angelicâ inferiorem reſpiciebant: *Quid eſt*, inquit, *quod ante Redemtoris adventum Angeli ab hominibus adorantur & tacent* (ut Gen. 18. ab Abrahamo, & Gen. 19. à Loth) *poſtmodum verò adorari refugiunt, niſi quòd naturam noſtram, quam priùs deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe aſſumtam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt? Nec jam ſub ſe velut infirmam contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe videlicet in Cœli Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem ſocium, qui ſuper ſe adorant hominem Deum.*

VI. Doctores verò à Danæo citati Lactantius L. 2., Arnobius L. 3., & Theodoritus L. 5. Divin. Decret. Epitome, quorum tamen verba non refert, vel loquuntur de malis Angelis ſeu Dæmonibus ut Lactantius L. 2. c. 15. vel de cultu Angelis tanquam Diis exhibito, ut Arnobius L. 3., quod etiam Theodoritus loco citato aſſerit dicens, Angelos autem nec ut Græcorum Poetæ & Philoſophi in Deos referimus: de eis tamen in ſequentibus honorificè loquitur, & hominibus adeò favorabiles à Deo conſtitutos deſcribit, ut nemo niſi ſtupidus aliquo honore bonos Angelos dignos non exiſtimet. Propterea Euſebius Lib. 3. Demonſt. Evang. pag. 106. *Accepimus*, inquit, *eſſe quaſdam poſt ſupremum Deum Poteſtates naturâ incorporeas, intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, quæ circum Regem Univerſi choros exerceant: quarum plures etiam uſque ad homines ipſius Patris nutu quâdam ſalutari diſpoſitione*

Digitized by Google

ne mittantur, quaſque & cognoſcere & venerari pro ratione graduque dignitatis edocti ſumus, ut ſoli Deo qui Rex eſt Univerſi adorationis honorem tribuamus. Boni ergo Angeli honorem & venerationem ſuſcipiunt, non adorationem, quam ſoli Deo reſervari volunt. Fugiendos autem Dæmones eſſe dicit, qui *vel quàm maximè Deorum appellationes & cultus ſibi ipſis arrogant*. Ita Euſebius.

Ambroſius etiam Lib. de Viduit. ait: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt. Martyres obſecrandi... poſſunt pro peccatis rogare noſtris*. Et Hilarius in Pſalm. 129. de Angelis ait: *Sunt enim efficientes ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditabunt ſalutem. Interceſſione itaque horum non natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra. Miſſi enim ſunt propter eos qui hæreditabunt ſalutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante: ſed infirmitate noſtrâ ad rogandum & promerendum ſpiritalis interceſſionis miniſterio indigente*. Ecce in aperto poſitum Danæi putidum mendacium. Non ab Angelicis hæreticis edocti, ſed ab antiquo Eccleſiæ uſu teſtantibus præcipuis Patribus, & infirmitatis noſtræ indigentiâ didicimus, invocare, obſecrare, & venerari & colere cultu eis proprio tanquam noſtros apud Deum Interceſſores Angelos, tanquam *Orationes deprecantium ad Deum deferentes* (inquit Hilarius). Quod ſi his ſe indigere Danæus non putat, abeat, & ſibi conſulat; Alia enim nos vocant.

CAPUT XXXVI.

De Apoſtolicis.

§. I.

Qui, quando fuerint, & in quo erraverint.

I. A*Poſtolici* (inquit S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap.40.) *qui ſe iſto nomine arrogantiſſimè vocaverunt, eò quòd in ſuam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias poſſidentes, quales habet Catholica* (Eccleſia) *& Monachos & Clericos plurimos. Sed ideò iſti hæretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent. Encratitis iſti ſimiles ſunt: nam & Apotacticæ* (ideſt Renuntiatores) *appellantur. Sed & alia, neſcio quæ propria, hæretica docere perhibentur*. Ita S. Auguſtinus.

S. Epiphanius verò Hæreſ. 61. de eis hæc habet: *Alii ſecundùm illos dici ſe Apoſtolicos voluerunt, qui & Apotacticos, hoc eſt*

Renuntiatores ſe ipſos nominant. Hoc enim diligenter obſervant, ne quidquam poſſideant. Iidem porrò à Tatiani dogmatibus, velut avulſione quadam propagati, hoc eſt ab Encratitis, Tatianis, & Catharis, qui omnes præcipuè legem repudiant: habent illi diverſa à noſtris Sacramenta, & myſteria. De inopia rerum omnium gloriantur, ac Sacroſanctam Dei Eccleſiam aſcititiis ſuperſtitionibus temerè dividunt, ac labefaciant, & à Divina clementia excidunt. Neque enim eum qui ſemel prolapſus ſit recipiunt ampliùs; atque eadem omninò de nuptiis, cæteriſque id genus cum ſuperioribus illis ſentiunt. Cùmque Cathari receptis dumtaxat Scripturis adhæreſcant, iſti Andreæ ac Thomæ (ita enim vocant) Actis potiſſimùm nituntur, ſuntque ab Eccleſiæ Regula prorsùs alieni.

II. Ex his colligitur primò, hanc Sectam fuiſſe ramum avulſum à Tatianis, Encratitis & Catharis. Dixi ramum avulſum, quia in aliquibus quidem cum illis conjungebatur, in aliquibus autem abſciſſa erat, ut indicant Auguſtinus, & Epiphanius ſupra relati: Quibus accedit Damaſcenus Hæreſ. 61. dicens: *Apoſtolici, qui & Apotactici ideſt Renuntiantes, in Piſidia dumtaxat eruperunt. Illos ſolos admittunt, qui ſe bonis abdicaverint. Encratitis affines ſunt, etſi quædam alia ab illis præterea ſtatuunt.* Ex Tatiano & Encratitis prodiiſſe, ſcribit Timotheus Presbyter in Lib. de Recept. Hæretic. Tom. 3. Monum. Eccl. Græcæ, dum ait, Auctorem hæreſis ſuæ habuiſſe unum è diſcipulis Juſtini Philoſophi & Martyris, ajuntque illum poſt Sancti Juſtini martyrium abſceſſiſſe ab Eccleſia, atque excogitaſſe hanc hæreſim. Certum autem eſt, ut ſupra dixi agens de Tatiano, eum fuiſſe S. Juſtini primò diſcipulum & eo mortuo factum apoſtatam & hæreticum. In eo tamen, quòd bonis omnibus renuntiandum eſſe dicebant, ideoque ſe Apotacticos vocitabant, à Tatiano recedebant, & ſpecialem Sectam cudebant; cùm hic error nec apud Tatianos, aut Encratitas, neque apud Catharos legatur.

III. Proinde quis ex præfatarum hæreſum profeſſoribus novum hunc & alios ut dicam errores addiderit, ſilentio premitur. Ab aliquo ex regione Phrygiæ, vel Ciliciæ, vel Pamphyliæ ortum habuiſſe, aut Piſidiæ, ex Epiphanio & Damaſceno ſupra relatis colligi poteſt, cùm in iis regionibus hanc hæreſim viguiſſe dicant. Danæus tamen Opuſc. 40. putat ex Plinio, cœpiſſe hanc hæreſim in ea Piſidiæ parte quæ ad Homonadum gentem, & Pamphyliam pertinet, quæ latiùs propagata Pamphyliam, Ciliciam, & Phrygiam ipſam infecit. Homona autem ſeu Homonida ex Plinio, oppidum fuit Iſauriæ in Pamphylia Selgæ finitimum. Populos Homonadenſes, vocat Baudrand in Lexico. Sed quidquid ſit de loco

unde

unde priùs erupit, de ſua ætate dicit Epiphanius Hæreſ. 61. n. 2. *Habitant illi in exigua quadam regione Phrygiæ, Ciliciæ, ac Pamphyliæ.*

IV. Circa tempus, quo emerſit, quidam eam putant Angelicis fuiſſe coævam, unde Ricciolius p. 3. Chronol. Catal. 2. eam ad ann. 261. ſexennio poſt Angelicos refert, ac de facto poſt iſtos eam ponunt SS. Auguſtinus Epiphanius & Damaſcenus. Verùm quia, ut ſæpè vidimus, præfati Patres non ſemper ſervant ordinem temporis, ideò alii antiquiorem eam faciunt. Apoſtolicos erupiſſe Severi Imperatoris & Victoris Papæ temporibus anno 199., cenſet Prateolus. Danæus autem ejus ortum anno Chriſti 188. conſignat: ait enim (vaferrimè, ut mox videbimus) „ Nec mirum „ eſt, eoſdem tam brevi tempore toties novis nominibus ſe vocaſſe, Tatianos, Encratitas, Apoſtolicos, quia cùm ſtatim „ priorum error deprehenſus & ab Eccleſia damnatus eſſet, interpolandus & fucandus erat, quum iterum Eccleſiæ propinaretur. „ Itaque nomina mutabant homines aſtuti & diabolici, uti nomine priori abdicato, aliud novum & plauſibilius introducerent, „ & quaſi priori appellatione obliteratâ, nullum errorem ipſi ſequi vel reponere viderentur. Tenebras enim eâ ratione melius ſimplicioribus hominum mentibus offendebant „. Hæc Danæus, artificioſè præludens ad ea, quæ infra dicturus erit, nempè Apoſtolicorum errorem ſub hoc ſpecioſo nomine tranſiiſſe ad Monachos, & alios ſub Papatu paupertatem & cælibatum profitentes. Cùm potiùs hoc ſibi ac ſuis hanc artem applicare debuiſſet, qui ut Lutherum & Calvinum jam damnatos declinent, ſpecioſum nomen *Evangelicorum* ſibi aſſumſere, errorem tamen retinentes, ac in dies augentes. Ad rem præſentem ergo. Si velimus, Apoſtolicos, ut ipſe Epiphanius cenſet, à Catharis etiam aliquid accepiſſe, oportebit eorum ortum poſt medium ſeculi tertii cum Ricciolio differre.

V. De tempore, quo hæc Secta duravit, ſi Danæum audimus, durat adhuc in Monachis & aliis poſſeſſioni rerum & matrimonio renuntiantibus. At ſi veritatem ex Patribus hauriamus, Epiphanii tempore adhuc duraſſe ex dictis apparet: cum enim dicat: *Habitant illi in exigua quadam regione Phrygiæ* &c. ſignum eſt ſuâ ætate adhuc extitiſſe, ſicut etiam tempore S. Baſilii Magni, ut apparet ex ejus Canone 1. & 47., ubi tradit, hujus hæreſis ſectatores ad Eccleſiam venientes iterum baptizandos. At cùm in ſexta Synodo in Trullo enumeratis hæreticis, quorum baptiſma non eſt admittendum, Apoſtolici ſeu Apotactici omittantur, eos jam deſiiſſe conjici poteſt; quamvis dici poſſit, cum Euſtathianis, &

Aeria-

Aerianis progreſſu temporis confuſos mutato nomine adhuc perſtitiſſe, & in Synodo Gangrenſi ſub Sylveſtro Papa damnatos fuiſſe. Sed de hoc loquendi occaſionem infra nobis dabit Danæus.

VI. Apoſtolici, ut ex Epiphanio dixi, cùm eſſent proles à Tatianis, Encratitis, & Catharis avulſa, aliquos errores ab iſtis hauſtos profitebantur, & ſuum etiam proprium habebant. Cum Catharis lapſos recipiendi poteſtatem Eccleſiæ denegabant. Cum Tatiano & Encratitis Legem repudiabant, utpote à Deo malo latam: matrimonia pro illicitis habebant, & utentes conjugiis in ſuam communionem non admittebant. Sacramenta & myſteria diverſa & diverſo modo ac Eccleſia Catholica celebrabant. Addit Epiphanius, in hoc à Catharis receſſiſſe, quòd *cùm Cathari receptis dumtaxat Scripturis adhæreſcant; iſti Andreæ & Thomæ (ita enim vocant) Actis potiſſimùm utuntur, ſuntque ab Eccleſiæ regula prorsùs alieni*. In quo Encratitas ſequebantur, de quibus in Hæreſ. 47. num. 1. idem Epiphanius ait: *Inter primarias Scripturas habent Andreæ ac Joannis Acta, necnon Thomæ & apocryphos alios*.

VII. Hunc veluti errorem meritò rejicit Epiphanius. Quare Philaſter Hæreſ. 88. inter hæreſes numerat etiam eam quæ apocrypha ideſt ſecreta dicitur, & cui ex hæreticis multi ſubſcribunt; qui cùm relictis Scripturis Canonicis volunt ſolùm illa apocrypha legere, ſtudioſè contraria Canonicis Scripturis ſentiunt, & paulatim dogmatizantes contra eas & Apoſtolicas diſpoſitiones ſentiunt. Inter iſtos refert Manichæos, Gnoſticos, Nicolaitas & alios quamplures; & de Actis Andreæ, quæ ſcilicet fecit veniens de Ponto in Græciam, multa prodigioſa jactabant Manichæi, quæ diſcipulos Apoſtolum ſequentes conſcripſiſſe perhibebant. De ejuſmodi Actis meminit S. Auguſtinus L. 1. contra Adv. Legis & Prophet. c. 20., & L. de Fide contra Manichæos qui Evodio tribuitur cap. 38. Sed cùm hæc Acta auctorem habuiſſe dicat Leucium ſectâ Manichæum; diverſa fuere ab illis, quibus Encratitæ & Apoſtolici utebantur. Cùm enim Encratitæ integro ferè ſeculo ſectam Manichæorum præceſſerint, non poterant habere Acta à Manichæo poſtea conficta. Potiùs ergo erant illa Andreæ Acta, quæ Innocentius I. in Epiſt. ad Exuperium ſcribit fuiſſe à Nexocharida & Leonide Philoſophis conficta, de quibus ſupra memini Tom. 5. cap. 3. §. 2. num. 8.

De Actis Thomæ eadem occurrit difficultas, cùm eadem S. Auguſtinus in Lib. contra Adimantium ſupponat à Leucio Manichæo compoſita, ideòque Encratitarum ævo nondum fuerant in lucem edita. Ex his aliqua retuli Tom. 5. c. 6. §. 2. n. 5.

VIII. Cujuſcumque auctoris fuerint Acta Andreæ & Thomæ, qui-

quibus Apoſtolici nitebantur, nullius auctoritatis erant; ſed perniciosa, vel ſaltem apocrypha. Sicut & alia ſub nomine Apoſtolorum ſuppoſita, de quibus egi Tom. 1. Tract. de Libris Relig. Chriſt. c. 5. §. 3. Unde Euſebius L. 3. Hiſt. c. 25. de Actis Andreæ, Thomæ, Joannis, & aliorum Apoſtolorum nomina præferentibus, ait: *Quos quidem Libros nullus unquam, qui continuatâ ab Apoſtolis ſucceſſione in Eccleſia docuit, in ſcriptis ſuis commemorare dignatus eſt. Sed & ipſum dicendi genus longè ab Apoſtolica ſimplicitate diſcrepat. Senſus quoquè ipſe, & quæ ibidem traditur fides, cùm à vera & Catholica doctrina plurimùm quantum aberret, hæc Hæreticorum hominum figmenta eſſe manifeſtè coarguit. Quo circa ne quidem inter ſpurios collocandi ſunt hi libri, ſed tanquam abſurdi & impii prorsùs repudiandi*. Ita Euſebius. Quare Gelaſius I. in Canone Romano anno 494. omnes ad apocrypha amandavit.

§. II.

Monachatus defenſio.

I. Præter ſupradictos ab anterioribus hæreticis hauſtos errores, quos ſuis in locis rejeci, duos alios ſpecialiter profitebantur, quibus à cæteris diſcerni volebant. Unus erat, quòd omnes illius Sectæ continentiam à nuptiis profiteri tenebantur: alter quòd omnium bonorum poſſeſſionem abdicabant. Quæ duo adeò neceſſaria ad ſalutem eſſe prædicabant, ut qui ea non obſervarent, omni ſalutis ſpe eſſent deſtituti, & quaſi anathema ab eorum cœtibus excluderentur: propterea ſe Apotacticos, ideſt Renunciatores vocitantes.

Lambertus Danæus, cujus ſtudium eſt omnia undique expiſcari, ut Eccleſiam Catholicam Romanam calumniis oneret ac impoſturis, non veretur aſſerere, præfatos duos errores apud nos adhuc fructificare mutatis nominibus in Monachis, & aliis à conjugio, & temporalium poſſeſſione ſe abdicantibus. Ejus verba, ſeu veriùs mendaces impoſturas, quas Opuſc. 40. evomit, referam. Poſtquam enim dixit, Apoſtolicorum hæreſim in Tatianis & Encratitis radices ſuas egiſſe, addit multos poſtea palmites produxiſſe „ Quotquot enim ſunt cælibum Monachorum in Papatu „ genera, tot ſunt hujus hæreſeos adhuc ſurculi & propagines „ aſtu Satanæ interpolatæ & tranſplantatæ mutatis nominibus. „ Hæc enim hæreſis univerſi Monachiſmi; in primis autem Fratrum, qui dicuntur Mendicantium, fundamentum eſt. Hi præcipuè hæc tria tanquam omninò neceſſaria volunt, nempè paupertа-

„ pertatem, continentiam, & ut nihil proprium poſſideant, cæ-
„ libatum, & obedientiam, ut docet Thomas Aquinas in 2. 2.

„ Nec mirum eſt, Monachos ex hæreſeon colluvie ſua vota
„ & regulas confarcinaſſe, quando gravis auctor & Orthodoxus
„ Theodoritus Cypri Epiſcopus Lib. 1. c. 9. Hiſtoriæ ſcribit, eos
„ quædam ex Judæorum & Samaritanorum deliriis ad ſe tranſtu-
„ liſſe, quæ eam hodie religiosè ne dicam ſuperſtitiosè obſer-
„ vant. In primis autem Apoſtolicorum hæreticorum faſcino hac
„ noſtrâ ætate & velut extremâ mundi ſenectâ illecti videntur
„ Jeſuitæ Monachi, quos ad vivum nobis hodie referunt & repræ-
„ ſentant. Quod ſi Iſidoro credimus, ſecuti ſunt hi Angelicos
„ hæreticos.

Et infra poſtquam dixit, quòd Apoſtolicorum hæreſis Pamphyliam, Cyliciam & Phrygiam infecit, ſubdit „ Denique uni-
„ verſum terrarum Orbem, ut in Papatu videmus. Ita verò pau-
„ latim hoc venenum invaluit, & unà cum ætate accrevit, ut
„ Gangrenſi Synodo (eſt autem Gangra Paphlagoniæ civitas)
„ circa Nicænæ Synodi tempora reprobari, damnarique oportue-
„ rit, ſed tamen propterea non fuit extinctum. Nam & à Mona-
„ chis Cellulariis retentum eſt, & falſo nomine hodie à Fratribus
„ Mendicantibus omninò recoctum apponitur & laudatur. Apo-
„ ſtolicos ſuo ſeculo vocatos eſſe, ſcribit Bernardus in Cantica
„ Cantic. Serm. 66. hæreticos, qui erant Donatiſtis ſimiles, &
„ nullam Eccleſiam Apoſtolicam agnoſcebant, ubi non eſſet vita
„ Apoſtolica „. Hiſce encomiis Monachatum celebrat Acatholicus iſte.

II. At deploranda perditi hominis cæcitas! Præmittit ipſe verba S. Auguſtini, qui Apoſtolicos à Monachis ſecernit, illos hæreticos declarat & damnat, iſtos verò laudat & Catholicos pronuntiat, & diſcriminis cauſam aſſignat: ipſe autem vel non attendens, vel attendere nolens, utroſque confundit. Iterùm ergo legat, & ſi vult percipiat: *Apoſtolici*, inquit Auguſtinus, *qui ſe iſto nomine arrogantiſſimè vocaverunt, eò quòd in ſuam communionem non recipiunt utentes conjugibus, & res proprias poſſidentes, quales habet Catholica Eccleſia Monachos & Clericos plurimos. Sed ideò illi hæretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere qui utuntur his rebus, quibus iſti carent.* Admittit ergo S. Doctor in Eccleſia Catholica Monachos & Clericos plurimos conjugiis non utentes, & res proprias non poſſidentes, ſed iſtos ab Apoſtolicis hæreticis diſtinguit, quia nec propterea ut illi ab Eccleſia ſe ſeparant, nec ſpem ſalutis adimunt eis qui utuntur rebus quibus ipſi carent. Dicat ergo mihi Danæus: Monachi & Men-

Mendicantes quibus hodie Eccleſia abundat, propterea-ne ſeparant ſe ab Eccleſia, & ſpem ſalutis adimunt iis qui in conjugio vivunt, & divitias poſſident? Puto, hoc dicere non audebit. Quâ fronte ergo eos cum hæreticis Apoſtolicis audet confundere, quos Auguſtinus ſecernit, & antiqua Eccleſia tanquam Catholicos admittebat? Dicam ego, & verè: Apoſtolici hæretici erant, quia ipſi conjugio & rerum poſſeſſioni renuntiantes, cæteros eis utentes blaſphemabant, & ab Eccleſia ideò ſe ſepararunt. Ergo ab oppoſito hæretici etiam erunt illi, qui uſum conjugii & rerum proprietatem omnibus volentes, eis, qui talibus rebus ſpontè propter Deum renuntiant, maledicunt, & Eccleſiam deſerunt. Tales ſunt Danæus & cæteri moderni Reformati; ergo ipſi ſunt hæretici, errori Apoſtolicorum oppoſitum errorem tenentes.

III. Audiant ergo Danæus & ſuæ Sectæ addicti Epiphanium, qui Apoſtolicorum errori Catholicam Eccleſiæ doctrinam contraponens, ait: *Habet quidem renuntiationem Eccleſia; ſed non ideò deteſtandas nuptias exiſtimat. Habet bonorum omnium inopiam; ſed non adversùs illos inſolenter effertur, qui ea juſtè poſſident à parentibus accepta, quibus tam ſibi quàm aliis indigentibus ſubveniant. Ad hæc à ciborum uſu temperant multi, ſed non contra eos, qui illis utuntur, ſuperbè ſe gerunt*,, Qui enim manducat, non manducantem non contemnat: & qui non manducat, manducantem ,, non judicet. Chriſto enim manducat & bibit,, (Rom. 14. v. 3.) *Jamne vides* (Danæe) *eandem in Eccleſia concordiam, eamdemque ſpem ac fidem, quæ unicuique ſecundùm propriam vim, propriumque laboris certamen gratificare ſtudet?*

Indè adducens pulchram ſimilitudinem: *Etenim*, inquit, *Sancta Dei Eccleſia navi cuidam ſimilis eſt. Navis porrò non ex unica tabula, ſed ex diverſis coagmentatur. Habet enim ex uno quidem ligno carinam, ſed non uno ac ſimplici modo: anchoræ deindæ alterius generis ſunt. Tum peritonæa, tabulata, ſtatumina, ac puppis laterum tranſtrorumque partes, vela, temones, phalangas, manubria, clavos, ac reliqua omnia vario ex materiæ genere coagmentantur. At unaquæque iſtarum Hæreſeon unico ligno conſtans, Eccleſiæ notam ac characterem præ ſe non habet*. Quid ad hæc Danæe, placet ne iſta ſimilitudo? Audi quæ ſequuntur.

Contra, Dei Eccleſia honeſtas nuptias admittit, ac veneratione proſequitur,, Honeſtæ enim nuptiæ ſunt & torus immaculatus,, (Hebr. 18. v. 4.). *Habet & continentiam, & quidem ſingularem, eamque commendat, utpotè quæ certamen quoddam ſuſcipit, vitamque ipſam quaſi potentior deſpicit. Nec minùs virginitatem habet, eamque magnoperè prædicat, quaſi cum virtute conjunctam, leviſſimâque*

máque pennâ præditam. Nec ei deſunt certi homines qui mundo renuntiarunt: nec adverſùs eos qui adhuc in mundo verſantur, arroganter inſoleſcunt, ſed in ipſis delectantur. Quales olim Apoſtoli fuerunt, omnium ſcilicet rerum poſſeſſione vacui. Imò & Salvator ipſe Dominus omnium, cùm in hac carne viveret, nihil ex hiſce terrenis rebus poſſidere voluit. Neque tamen idcircò mulieres illas rejicere voluit, quæ ſibi ac ſuis Apoſtolis miniſtrarent. Ita enim ſcriptum eſt:
„ Quæ quidem ſecutæ fuerunt illum à Galilæa, miniſtrantes ipſi
„ & iis, qui cum eo erant, de ſuis facultatibus „ (Lucæ 8. v.3.). Hoc exemplar tenet Eccleſia Catholica Romana. Habet continentes à nuptiis, ſed qui nuptiis vacantes non contemnunt: habet & nuptos, ſed qui à nuptiis abſtinentes non aſpernantur. Habet omnibus terrenis renuntiantes, habet & terrena poſſidentes, qui tamen non ſe mutuò contumeliis afficiunt, ſed mutuò ſe ſe invicem juvant, dum uni ſpiritualia, alteri temporalia miniſtrant. Ita ex multis lignis, quæ ſibi mirâ unione conſentiunt, non ex uno tantùm ligno Eccleſiæ Catholicæ navis compacta eſt.

IV. Modò Danæus, qui Eccleſiam ſuam ex uno tantùm ligno, ideſt ex ſolis conjugatis & poſſidentibus conſtare vult, refutandus eſt; quod facili negotio præſtabo ejus calumnias diſſipando. Et quòd Monachi & Mendicantes Religioſi non ſint rami ex Apoſtolicorum hæreſi, ſed ex doctrina & facto Chriſti fructificantes, ex hactenus dictis manifeſtè apparet. Quòd ſi Danæus vult ſcire originem Ordinum Mendicantium, eam diſcat à Sancto Thoma, quem ipſe citat, audietque dicentem in 2. 2. q. 188. art. 7. in corp. eam manaſſe à Chriſto, & à primis ejus diſcipulis religiosè ſervatam: quod repetit etiam in Caput 16. 1. ad Cor. Lect. 1. Et certè ſi Danæus ad Evangelia, & Acta Apoſtolorum, necnon ad Epiſtolas Pauli attendere voluiſſet, coactus fuiſſet aſſerere, nec Chriſtum nec Apoſtolos nec primos eorum diſcipulos bona temporalia poſſediſſe; quin ſi qui poſſidebant, ea vendentes, eorum pretium ad pedes eorum detuliſſe, ut particularibus cujuſque indigentiis communi ſubſidio ſubveniri poſſet. Hoc vitæ inſtitutum profitentur Monachi & Mendicantes. Quid ergo contra eos blaterat Danæus!

V. Dicit, Theodoritum Lib.1. Hiſt.cap.9. referre, Monachos quædam ex Judæorum & Samaritanorum deliriis ad ſe tranſtuliſſe; quæ etiam hodie (addit ipſe) ſuperſtitiosè obſervantur. At ſi Danæus Theodoritum legiſſet, ab hoc objecto abſtinuiſſet. Quinam ergo erant illi Monachi? Erant ſequaces Melitii ſeu Meletii cujuſdam in Thebaide urbis Epiſcopi Arianiſmo & aliis criminibus infecti, ac proinde juriſdictione privati. Non mirum ergo ſi Mo-

Digitized by Google

Monachi ejus reliquiæ nec ſanam doctrinam fidei haberent, nec à Samaritanorum & Judæorum quibuſdam ſuperſtitioſis ritibus recederent. At quâ conſcientiâ ex aliquorum Monachorum damnabili vita & moribus, audet Danæus totum ordinem Monaſticum damnare? Si ita eſt, omnem cœtum Epiſcoporum, Apoſtolorum imò & Angelorum, damnare oportebit, cùm nullus ſit cœtus, ex quo aliquis proditor, vel deſertor non eruperit. Legat Theodoritum L.4. Hiſt.c.28., ubi plures Monachos laudibus celebrat, & L.5.Divin. Decret. Epitome c. de Abſtinentia, ubi ait: *Porrò autem vita Monaſtica non eſt ex neceſſitate, ſed libera animi voluntate ſuſcepta. Et hoc ex Apoſtolicis legibus didicimus.* Et poſtquam hoc pluribus Scripturæ locis probavit, concludit: *Encratitarum ergo, ſeu Abſtinentium errorem Divina etiam decreta pulchrè convincunt. Dei autem Eccleſia adverſatur quidem fabulis Hæreticorum: Divina verò decreta ſequitur.* En Theodoritum in Encratitis Apoſtolicos hæreticos damnantem, Monaſticam verò vitam ut Dei decretis conformem laudantem. Quid ad hæc Danæus?

VI. Minùs autem ei prodeſt Synodus Gangrenſis, quam ſi legiſſet, certè in ſui præſidium non attuliſſet. Synodus ergo illa cui 17. Epiſcopi interfuerunt, coacta præcipuè fuit anno 325. contra Euſtathium Sebaſtenum Epiſcopum, qui inter alios errores, ut declarat Epiſtola Synodica, accuſabat nuptias, & docebat, quòd nullus in conjugali poſitus gradu ſpem habeat apud Deum: & divites fideles, qui non renuntiant omnibus quæ poſſident, nec ipſi apud Deum ſpem ullam habeant; ut docebant Apoſtolici hæretici. Quæ illius Synodi Patres ſub anathemate reprobarunt. At non reprobarunt voluntariam continentiam, & voluntariam abdicationem bonorum majoris perfectionis gratiâ in iis, qui à ſpe ſalutis nec conjugatos nec divites excludunt. Imò maximè commendant, ſubjiciunt enim: *Hæc autem ſcripſimus, non qui in Eccleſia Dei ſecundùm Scripturas ſanctum propoſitum continentiæ eligunt vituperantes: ſed eos, qui abutuntur propoſito in ſuperbiam, & extolluntur adversùs ſimpliciores, abſcindimus; & damnamus eos, qui adversùm Scripturas & Eccleſiaſticas regulas nova introducunt præcepta. Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam, quæ cum caſtitate & religione ſuſcipitur, approbamus, & renuntiationem ſecularium negotiorum cum humilitate recipimus: & nuptiarum caſtum vinculum honoramus, & divitias cum juſtitia & operibus bonis non ſpernimus.* Hæc Patres Gangrenſes. Eadem apud Eccleſiam Catholicam ſemper profeſſi ſunt & modo etiam profitentur. Nuptiis & temporalibus bonis ſpoliati in humilitate vivunt, nec tamen conjugio utentes & divitias poſſidentes ſper-

Bb 2 nunt,

nunt, aut condemnant, ſed eis tanquam fratribus in ſpiritualibus inſerviunt. Tales apud nos ſunt Monachi & Mendicantes, qui nuptiis & bonis temporalibus renuntiarunt. Meliùs ergo Danæo fuiſſet, ſi à Synodo Gangrenſi ſuæ miſeræ cauſæ patrocinium non imploraſſet. Sed hæc eſt hoſtium veritatis non infrequens ſors, ut arma, quæ ad eam impugnandam aſſumunt, in ipſos retorqueantur.

VII. Minùs Danæum juvant quæ ex S. Bernardo Serm. 66. in Cantic. adducit. Quomodo enim Bernardus qui Monachi inſtitutum amplexus nuptiis ac bonis terrenis renuntiaverat propter Chriſtum, talia facientes damnare poterat? Loquitur ergo de quibuſdam ſuæ vel anterioris ætatis hæreticis, qui abſtinendum à nuptiis, à certis cibis, & alia contra ea quæ ſcripta ſunt tanquam neceſſaria & ab Apoſtolis inſtituta prædicabant; ideòque ſe Apoſtolicos (veriùs Apoſtaticos) vocitantes. Ita eos S. Bernardus deſcribit: *Nempè jactant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Apoſtolicos nominant: nullum tamen apoſtolatus ſui ſignum oſtendunt.* Hæc autem non noſtris Monachis & Mendicantibus, ſed Luthero, Calvino, & aliis ad literam applicanda ſunt, qui ſe Evangelicos, & Reformatores Eccleſiæ, ac verè Apoſtolicos dictitarunt, & adhuc dictitant: cùm tamen apoſtolatus ſui & miſſionis ad tam grande opus ſignum nullum oſtendant, ut dixi in Vera Eccl. Tom. 1. c. 2. §. 3. Solùm enim oſtendere poſſunt, Lutherus defectionem ſuam à Monachatu, & apoſtaſiam ab Eccleſia, in quo alii ſui gregales eum ſequuti ſunt. Unde Lutherus, ut ſuæ à Monachatu defectionis ſpecioſum titulum afferret, in Monachatum invehere cœpit, quem alii ejuſdem furfuris, & modò Danæus, imitati ſunt. E contra verò S. Bernardus vitam Monaſticam ſummis laudibus effert, ut ejus Opera evidenter legenti manifeſtant; loca enim huc adducere non vacat. Sed de hoc inferiùs repetam cap. 92.

§. III.

Rerum temporalium poſſeſſio Chriſtianis non vetita.

I. Nunc ad Apoſtolicos revertor. Eorum error contra nuptias, cùm ſuperiùs refutatus ſit, tum c. 22. §. 3. in Tatianis tum c. 33. in Valeſiis §. 2. & 3., ubi alia Danæi mendacia rejeci, ideò hic omittitur. Alter verò eorum proprius, quo ſcilicet bona temporalia poſſidentibus omnem ſpem ſalutis denegabant, hic examinandus erit & reprobandus.

II. Hunc errorem putabant Apoſtolici ſe hauſiſſe à Chriſto, qui

qui Lucæ 14. v. 33. dixit: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Et Matth. 19. v. 24. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Cælorum*; quæ repetit apud Marcum c. 10. v. 25. Hâc doctrinâ ab Apoſtolis imbuti primi fideles omnibus quæ poſſidebant renuntiabant, ut legitur Act. 2. v. 44. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia, poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus prout cuique opus erat*. Et cap. 3. v. 34. *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apoſtolorum; dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat. Joſeph autem qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum filius conſolationis) Levites, & Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum*. Ab oppoſito autem: cùm, ut legitur c. 4., Ananias quidam & Sapphira uxor ejus vendidiſſent agrum & ſolam partem pretii poſuiſſent ad pedes Apoſtolorum, aliâ ſecretò retentâ, à Petro de hac fraude à Deo monito increpiti, ad pedes ejus mortui ambo corruerunt. Quo facto apparet, bonorum omnium renuntiationem eis, qui volunt ejus ſequaces fieri, eſſe rigorosè præceptam, dùm tantâ ultione punit eos, qui eam exactè non implent.

III. Afferebant inſuper aliud Chriſti dictum Matth. 10. v. 9. ubi mittens diſcipulos ad Evangelizandum, eis dixit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque virgam*. Ex quibus Wicleffus inferebat, Eccleſiaſticis eiſque, qui Apoſtolis in munere Evangelico ſucceſſere, interdictam eſſe bonorum temporalium poſſeſſionem. Et maximè quia Chriſtus ibidem v. 24. ſubjicit: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum: ſufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus, & ſervus ſicut dominus ejus*. Cum ergo Chriſtus Magiſter optimus & Dominus omnium, cujus viri Evangelici ſunt diſcipuli, & Prælati Eccleſiaſtici, imò Chriſtiani omnes ſervi, nihil in hoc Mundo temporalium poſſederit, ne ſint ipſo majores, nihil prorsùs hujus Mundi poſſidere debent.

IV. Addebant inſuper, in Veteri Lege Sacerdotes & Levitas excluſos fuiſſe à portione hæreditatis, quæ univerſo populo dividenda erat poſt ingreſſum in Terram promiſſionis, ut habetur Numer. 18. ubi Sacerdotes & Levitæ de ſolis primitiis & oblationibus vivere jubentur, unde v. 20. legitur: *Dixitque Dominus ad Aaron. In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Filiis autem*

Levi

Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in Tabernaculo fœderis. Quod repetitur in Deuteron. c.18. v.1. *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem Tribu ſunt, partem & hæreditatem cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia Domini, & oblationes ejus comedent. Et nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum: Dominus enim eſt hæreditas eorum, ſicut locutus eſt illis.* Si ergo Sacerdotes & Levitæ ob eorum ſacrum miniſterium nihil proprium habere poterant; ſed de oblatis, decimis, ac primitiis unicè vivere debebant: quantò magis Sacerdotes & Miniſtri Eccleſiæ Chriſti, quorum figura tantùm & umbra erant Miniſtri Veteris Legis, debebunt ab omnibus terrenis abſtracti ſuo vacare miniſterio? Quod indicavit Chriſtus ipſe Matth.10., ubi poſtquam injunxit, ne aurum, aut argentum poſſiderent, ſubjunxit: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*, volens, ut de ſibi dietim oblatis viverent. Quod ab Apoſtolis fuiſſe impletum, Acta & Epiſtolæ Apoſtolicæ clarè demonſtrant. Hæc erant Apoſtolicorum, & poſtea Wicleffiſtarum præcipua fundamenta: quibus ſigillatim reſpondendum erit.

V. Ad id ergo quod primo loco affertur dico, Chriſtum illis à Lucæ allatis verbis non exigere à ſuis diſcipulis realem omnibus quæ poſſident renuntiationem, ſed nimium erga ea amorem, quo propterea quæ ad Deum & ſalutem pertinent, non curent. Ea enim dixit occaſione parabolæ, quam præmiſerat de cœna, ad quam ex invitatis accedere recuſarunt excuſantes ſe; unus quòd villam, alter quòd juga boum emit, & alius quòd uxorem duxit. Sicut ergo non propter hoc voluit, ut qui haberent uxorem ei renuntiarent, ſed ne amore uxoris detenti vocationem ad cœnam ideſt ad Regnum Dei reſpuerent, aut negligerent: ita nec voluit, ut temporalia bona ea in re abdicarent, ſed ne propter illorum inordinatum amorem ea, quæ ad ſalutem & Regnum Dei neceſſaria ſunt, omitterent. Ita exponit S. Ambroſius in c. 14. Lucæ. Et eâdem ratione quando ibidem v.26. dixit: *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem & uxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: non voluit, omnia præfata eſſe odio habenda, & in re dimittenda; ſed ſolùm caſu quo iſta dilectioni Dei obſtarent; cùm magis quàm omnia præfata diligendus ſit Deus: ideòque apud Matthæum c. 10. v. 37. legitur Chriſtum dixiſſe: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Vult ergo, ut amor terrenorum non anteponatur amori Cœleſtium, nec plus temporalia iſta diligantur, quàm ipſe Deus.

VI. Omnia

Digitized by Google

VI. Omnia hæc confirmat S. Auguſtinus Ep. 89. modò 157. ad Hilarium, ubi ad illa Chriſti verba: *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ait: *Profectò renuntiat etiam divitiis ſuis, ſi quas habet: aut ſicut omninò non diligens, totas diſtribuat indigentibus, & ſuperfluis exoneretur ſarcinis: aut ſic, ut plus diligens Chriſtum, ſpem ab eis transferat in ipſum, atque ita utatur illis, ut facilè tribuens & communicans theſaurizet in Cœlo, paratuſque ſit, quemadmodum parentes & filios & fratres & uxorem, hoc modo & iſtas relinquere, ſi talis conditio propoſita fuerit, ut niſi dimiſſo Chriſto, eas habere non poſſit.* Inde de aliis contrarium facientibus ſubdit: *Et multi ſunt tales, qui etiam putant, ſibi ad augendas opes ſuas, & multiplicanda delectamenta terrena, religionem debere ſuffragari Chriſtianam. Sed non ſunt tales divites Chriſtiani, qui licèt iſta teneant, non tamen ab eis ita tenentur ut hæc Chriſto anteponant, quia veraci corde ſeculo renuntiarunt, ut nullam ſpem in talibus ponant.* Et poſt aliqua: *Nec tamen*, inquit, *quia præceptum eſt eis, ut oderint pro Chriſto & animas ſuas, vendendas eas habent, aut illatis ſibi manibus effundendas: ſed parati ſunt eas amittere pro Chriſti nomine moriendo, ne mortui vivant Chriſtum negando. Sic etiam divitias, ad quas vendendas parati non fuerunt manente Chriſto, ad perdendas eas debent parati eſſe pro Chriſto, ne cum eis pereant perdito Chriſto.* Deinde ſic proſequitur: *Quibus autem non provenit corona martyrii, neque illius perfectionis de vendendis rebus ſuis conſilium tam grande, tamque præclarum receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus eſurientem Chriſtum paverunt, ſitienti potum dederunt, nudum veſtierunt, peregrinantem ſuſceperunt, non ſedebunt quidem cum Chriſto ſublimiter judicaturi: ſed ad ipſius dexteram ſtabunt miſericorditer judicandi.* Ex his S. Auguſtini verbis apparet, Chriſtianum licèt divitias poſſidentem aptum eſſe Regno Regnorum, dummodo paratus ſit pro Chriſto, ſi oportuerit, eas ſicut etiam vitam relinquere, vel eis utatur ad pauperum ſublevamen.

VII. Sed quia divitiarum amor inordinatus adeò in multis prævalet, ut ipſis potiùs quàm Deo ſerviant, & ad eas comparandas & augendas Legem ejus contemnant; propterea dicit Chriſtus: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Cælorum.* Non quia impoſſibile ſit divitem in Regnum Cœlorum intrare, ut putabant Diſcipuli dicentes: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* ſed quia homo ſuis cupiditatibus ſerviens, ac viribus ſuis confidens, hoc ſibi impoſſibile facit. Unde Chriſtus reſpondit: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Hinc S. Auguſtinus citatâ Epiſtolâ: *Audiant*, inquit, *di-*

Digitized by Google

divites ,, Quod hominibus impoſſibile eſt, Deo facile eſt ,, *&* *ſive manentes in divitiis ſuis, atque ex eis bona opera facientes, ſive illis venditis, & per indigentias pauperum diſtributis, intrent in Regnum Cœlorum, gratiæ Dei tribuant, non propriis viribus bonum ſuum*. Nimia enim cupiditas eſt, quæ divites á Regno Cœlorum excludit, non divitiæ, quam cùm homo viribus ſuis vincere non poſſit, ideò homini eſt impoſſibile, non Deo. Propterea idem S. Doctor attendens, quòd Apoſtolus 1. Timoth. 6. v. 17. non excludit à Regno Cœlorum divites, ſed ſolum modum præſcribit, quo illud conſequi valeant, dicens: *Divitibus hujus ſeculi præcipe, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Hæc, inquam, attendens S. Auguſt. Epiſt. citatâ: *Puto*, inquit, *quòd iſta præcipiens, divites inſtruebat, non fallebat Apoſtolus: qui non ait: Præcipe divitibus hujus Mundi, ut vendant omnia quæ habent, dent pauperibus, & ſequantur Dominum, ſed* ,, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ,,. *Iſta ſuperbia divitem illum, qui jacentem ante januam ſuam contemnebat pauperem juſtum, & iſta ſpes in incerto divitiarum, quá ſe propter purpuram, byſſum, & epulas ſplendidas beatum putabat, non ipſæ divitiæ perduxerunt ad inferni tormenta*.

VIII. Igitur à Regno Cœlorum excludunt, non divitiæ, ſed ſuperbia, ſpes in illis & earum inordinatus amor. Hoc & ipſi Apoſtoli attenderunt, cùm dixerunt *Quiſnam poterit ſalvari?* ait idem Auguſtinus in Pſalm. 51. ſcilicet: *Non facultates, ſed cupiditates. Viderunt enim etiam ipſos pauperes, etſi non habentes pecuniam, tamen habere avaritiam; & ut noveritis, non pecuniam in divite, ſed avaritiam condemnari, advertite quod dico. Reſpicis illum divitem ſtantem juxta te, & fortè in illo eſt pecunia, & non eſt avaritia: in te non eſt pecunia, & eſt avaritia*. Indè loquens de mendico Lazaro ab Angelis ſublato, ait: *Quò ſublatus eſt? In ſinum Abrahæ. Lege Scripturas, & invenies divitem Abraham. ut noveris, quia non divitiæ culpantur: habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum, familiæ, dives erat, & in ejus ſinum Lazarus pauper ſublatus eſt: In ſinum divitis pauper: an potiùs ambo Deo divites, ambo à cupiditate pauperes?* Inde tranſiens ad Doech, ait: *Quid ergo in hoc Doech culpat Scriptura? non dixit, Ecce homo qui fuit dives; ſed* ,, Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum ,,. *Non quia habuit divitias, ſed quia in ipſis ſperavit, & in Deo non ſperavit*,

vit, ideò damnatur, ideò punitur, ideò movetur de tabernaculo &c.

IX. Sed inquies. Si dives Legem obſervans aptus eſt Regno Dei, cur Chriſtus juvenem illum, qui à ſua juventute mandata Dei ſe cuſtodiſſe teſtatus fuerat, ob hoc ſolùm quòd vendere omnia bona ſua & dare pauperibus, non invenit paratum, triſtem abire permiſit; addens faciliùs tranſire per foramen acus camelum quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum?

Reſpondeo primò, Chriſtum juvenem illum abire permiſiſſe, non quia dives eſſet, ſed quia nimio divitiarum amore detentus erat, adeò ut eas Chriſto & vitæ æternæ præferret. Ita S. Auguſtinus Tract. 34. in Joann. *Triſtis abſceſſit, & non eſt ſecutus: quæſivit Magiſtrum bonum, interpellavit Doctorem, & contempſit docentem: triſtis abſceſſit, ligatus cupiditatibus ſuis: triſtis abſceſſit habens grandem ſarcinam avaritiæ ſuper humeros ſuos* (cui accedit Chryſoſtomus Hom. 63. aliàs 64 in Matth.) unde quia eam noluit deponere, tanquam ineptum Regno Dei, nec illum ſequi paratum, abire permiſit. Avari enim à Paulo 1. Cor. 6. v. 10. annumerantur iis, qui Regnum Dei non poſſidebunt.

X. Reſpondeo ſecundò, Juvenem illum interrogatum à Chriſto de obſervantia præceptorum ſubſtantialium Legis, ſinè quibus nemo poteſt ad vitam ingredi, non ſolùm ſe paratum exhibuit; ſed reſpondit: *Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*; & quæſivit, *quid adhuc mihi deeſt?* Cùm verò Chriſtus ei reponeret, *Si vis perfectus eſſe, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo*. His auditis *abiit triſtis*; quibus ſolùm ſe imparatum oſtendit ad ea, quæ in Lege Chriſti ſtatum perfectionis conſtituunt, non ad ea quæ ſubſtantiam tangunt. Ita S. Auguſtinus Epiſt. 157. aliàs 91. ſæpè citatâ, ubi ad quoſdam qui putabant, vendere omnia, eaque dare pauperibus, eſſe præceptum novum Legis Evangelicæ hæc dicit: *Cui enim Dominus hoc præcepit? Profectò illi diviti, qui vitæ æternæ conſequendæ conſilium quærebat accipere. Hoc enim Domino dixerat*,, Quid faciam, ut vitam æternam conſequar,,? *Ille autem non ei reſpondit, ſi vis venire ad vitam vade, vende omnia quæ habes, ſed*,, Si vis venire ad vitam, ſerva mandata,,. *Quæ juvenis, cùm ſibi à Domino & Lege commemoratâ ſe ſervaſſe dixiſſet, & quæſiiſſet, quid adhuc ſibi deeſſet, reſponſum accepit*,, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus,,. *Et ne illa quæ multum amabat, hoc modo perdere exiſtimaret*,, Et habebis, *inquit*, theſaurum in Cœlis,,. *Deinde addidit*,, Et veni, ſequere me,,: *Ne cuiquam, cùm hæc fecerit, aliquid prodeſſe exiſtimetur, ſi non ſequitur Chriſtum. At ille quidem triſtis abſceſſit, qui viderit, quemadmodum illa Legis*

mandata ſervaverat, puto enim, quod ſe arrogantiùs potiùs quàm veriùs ſervaſſe reſponderat. Verumtamen Magiſter bonus mandata Legis ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit. Ibi enim dixit „ Si vis venire ad vitam, ſerva mandata „: *Hæc autem* „ Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes &c. „ *Cur ergo negamus divites, quamvis ab illa perfectione abſint, venire tamen ad vitam, ſi mandata ſervaverint, & dederint, ut detur illis, & dimiſerint, ut dimittatur illis?* Hactenus S. Auguſtinus.

XI. Quod verò in Actibus Apoſt. dicitur, primitivos illos fideles vendidiſſe omnia bona ſua, & pretium ad pedes Apoſtolorum poſuiſſe, ſtudio majoris perfectionis, & conſilio Apoſtolorum, non præcepto Chriſti hoc faciebant, ut liberati à ſarcinis negotiorum ſecularium levibus humeris ſequerentur Chriſtum ex Auguſt. Serm. 252. (aliàs 5. de Diverſis) c. 3. Alia etiam ratio Apoſtolis fuit, hunc vivendi modum fidelibus in Jeruſalem degentibus inſtituendi (inquit S.Th.3.contra Gen.c.135.) *Qui prævidebant per Spiritum Sanctum, quòd non diù in Jeruſalem ſimul commorari deberent: tum propter perſecutiones & injurias eis inferendas à Judæis: tum etiam propter inſtantem deſtructionem Civitatis & Gentis. Unde non fuit neceſſarium, niſi ad modicum tempus fidelibus providere: & propter hoc tranſeuntes ad Gentes, in quibus firmanda & perduratura erat Eccleſia, hunc modum vivendi non leguntur inſtituiſſe.* Ita S.Th.

XII. Nec obſtat, quòd Ananias & Saphira, quòd partem prædii venditi retinuerint, morte ob id puniti fuerint; hoc enim fuit, quia cùm totum prædii pretium Deo jam conſecraſſent, per fraudem poſtea partem ejus ſibi occultaverunt: ideoque Petrus Act. 5. v. 4. *Non es mentitus*, inquit, *hominibus*, *ſed Deo*. Quare S. Jo. Chryſoſt. Homil. 12. in Acta Ananiam increpans: *Viden*, inquit, *hoc in crimen vocari, quòd cùm illas pecunias ſacras feciſſet, de illis ſubripiat? An non inquit, poteras illis venditis ut propriis uti? Num prohibitus es? Cui ſubripis poſtquam promiſiſti?* Punitus ergo fuit Ananias, non quia pretium agri retinuit, ſed quia poſtquam Deo totum ſacraverat, partem ſacrilegè Deo abſtulit.

XIII. Cæterùm fuiſſe à Chriſto admiſſos eos quoquè, qui ſuorum bonorum partem, vel etiam totum fideliter retinerent, conſtat primùm in Zachæo, qui princeps erat Publicanorum & dives, ut ait Lucas cap. 19., non tamen omnia diſpenſavit pauperibus, ſed dimidium tantùm, dicens v. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi aliquem defraudavi reddo quadruplum.* Nec tamen propterea Chriſtus, qui apud eum divertebat, à ſpe Regni Cœleſtis ipſum excluſit; quia meruit audire *Hodie ſalus domui huic facta eſt*. Secundum conſtat in Joſepho ab Arimathæa,

qui

qui acceſſit ad Pilatum & petiit corpus Jeſu. Hic enim dives erat, & ſimul diſcipulus Jeſu & Regni Cœleſtis ſpem habens. Ita Matthæus cap. 27. v. 57. *Venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu.* In Lazaro etiam conſtat & ſororibus ejus: divites enim erant, & Caſtelli poſſeſſores, & Chriſti nedum diſcipuli, ſed ſpeciali amore dilecti, nec tamen de iis legitur quòd bona ſua abdicarint.

XIV. Quòd verò etiam qui in primitiva Eccleſia veniebant ad Fidem bona quæ habebant retinerent, conſtat ex Edictis Imperatorum Eccleſiam perſequentium, quibus Chriſtum ejurare nolentibus privatio bonorum & Fiſco applicatio inter alias pœnas ſtatuitur. Hoc de Valeriano teſtatur S. Cyprianus Epiſt. 82. ad Succeſſum, qui refert, ejus reſcriptum ad Senatum, inter alia ſic præcepiſſe: *Senatores verò & viri egregii, & equites Romani, dignitate amiſsâ etiam bonis ſpolientur.... Cæſariani quicumque vel prius confeſſi fuerant, vel nunc confeſſi fuerint confiſcantur.* Et infra: *Sed & huic perſecutioni quotidie inſiſtunt Præfecti in Urbe, ut ſi qui oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum Fiſco vendicentur.* Quod confirmat Euſebius L. 2. de Vita Conſtantini c. 30. referens hujus pii Imperatoris legem, quâ ſtatuit ut *Quicumque bonis ſpoliati ſunt & omnium facultatum multatione percuſſi, miſerrimam adhuc vitam egerunt: ut hi quoquè priſtinis domiciliis, ac familiis & facultatibus reſtituti, Dei beneficentia læti perfruantur.* Et cap. 35. agens de bonis Martyrum & Confeſſorum & eorum qui in exilio obierunt, ſtatuit, ut etſi Fiſco addicta fuerint, ea cognatis propinquioribus adjudicentur. Chriſtiani ergo, Martyres, & Confeſſores bona temporalia tunc poſſidebant.

XV. Demùm bona temporalia poſſidentes ac divites à Chriſto non rejici, colligit S. Epiphanius Hæreſ. 61. num. 3. & 4. ex eò quòd licèt ipſe & Apoſtoli forent omnium temporalium poſſeſſione vacui; non tamen idcirco mulieres illas rejicere voluit, quæ de ſuis facultatibus ſibi ac Apoſtolis miniſtrabant. Et hoc voluiſſe etiam futuro tempore in ſua Eccleſia, ſcilicet ut eſſent divites & poſſidentes, qui indigentibus ſubvenirent, oſtendunt ea, quæ Matth. 25. v. 34. in finali judicio dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione Mundi: eſurivi enim & dediſtis mihi manducare: ſitivi & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram & collegiſtis me, nudus eram & cooperuiſtis me.* Unde ait Epiphanius: *Quæ omnia quomodo tandem facere potuiſſent, niſi juſtis ex laboribus, atque ex privatis facultatibus jure comparatis eadem illa præſtitiſſent?* Imò quomodo ſententiam damnationis juſtè pronuntiare poſſet in eos, qui indigentibus non ſubvenerunt, ſi nemo

mo haberet, unde poſſet: bona ſcilicet propria, quibus ea non habentibus poſſet miniſtrare? Voluit ergo Chriſtus in ſua Eccleſia eſſe & divitias poſſidentes ut non habentes alerent, & divitias abdicantes, qui ſuo miniſterio unicè vacantes aliorum providentiâ victitarent.

XVI. Nec tamen propterea Eccleſiaſticis omnibus rerum poſſeſſiones unde viverent, interdixit, ſed iis ſolùm qui ſpontaneâ profeſſione omnibus renuntiarunt. Nec Wiclefo & aliis oppoſitum ut ſupra ſentientibus favent Chriſti verba præcitata dicentis Apoſtolis, dum ad evangelizandum eos miſit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, quaſi nec Miniſtri Eccleſiæ, nec Eccleſia ipſa quidquam poſſidere poſſit. Etenim non intendit ibi Dominus, quòd Apoſtoli, & qui eis in miniſterio ſucceſſuri erant, omni prorſùs temporalium poſſeſſione carerent: ſed ſolùm advertere eos voluit, quòd dum ad evangelizandum irent, ſecum nihil deferrent, nec aurum nec argentum nec pecuniam nec peram nec duas tunicas nec calceamenta nec virgam: non quia aliunde non poſſent hæc habere ut propria: ſed quia de his omnibus miniſterio Verbi vacantes providere pertinet ad eos, ad quos velut operarii mittuntur & idcirco ſubjecit: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.*

XVII. Ita exponit S. Auguſtinus L. 2. de Conſ. Evang. cap. 30. ubi ex his poſtremis verbis ſic infert: *Unde ſatìs oſtendit, cur eos hæc poſſidere ac ferre noluerit, non quo neceſſaria non ſint ſuſtentationi hujus vitæ; ſed quia ſic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonſtraret ab illis ipſis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tanquam ſtipendia militantibus, tanquam fructum vineæ plantatoribus, tanquam lac gregis paſtoribus. Unde Paulus dicit* (1. Cor. 9. v. 7.) „ Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & „ de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis „ non percipit „? *Hinc enim loquebatur de iis, quæ neceſſaria ſunt prædicatoribus Evangelii, unde paulò poſt dicit* „ Si nos vobis ſpiri- „ talia ſeminavimus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metemus? „ Si alii poteſtatis veſtræ participant, non magis nos? Sed non „ ſumus uſi hac poteſtate „. *Unde apparet, hæc non ita præcepiſſe Dominum, tanquam Evangeliſtæ vivere aliunde non debeant, quàm eis præbentibus, quibus annuntiant Evangelium: alioquin contra hoc præceptum fecit idem Apoſtolus, qui victum de manuum ſuarum laboribus tranſigebat, ne cuiquam gravis eſſet; ſed poteſtatem dediſſe, in qua ſcirent ſibi iſta deberi. Cùm autem à Domino aliquid imperatur, niſi fiat, inobedientiæ culpa eſt: cùm autem poteſtas datur, licet cuique non uti, & tamquam de ſuo jure cedere .... Cùm itaque dicit* (Paulus) *ita Dominum ordinaſſe, ſe autem uſum non eſſe, utique*

que oſtendit utendi poteſtatem datam, non impoſitam ſerviendi neceſſitatem. Ita S. Auguſtinus.

XVIII. Eadem dicit fidelis S. Auguſtini diſcipulus S. Thomas 1. 2. q. 108. art. 2. ad 3. nempè: *Quòd illa præcepta Dominus dedit Apoſtolis non tanquam cæremoniales obſervantias, ſed tamquam moralia inſtituta. Et poſſunt intelligi dupliciter. Uno modo ſecundùm Auguſtinum L. 2. de Conſ. Evangeliſt. c. 30. ut non ſint præcepta, ſed conceſſiones. Conceſſit enim eis, ut poſſent pergere ad prædicationis officium ſinè pera & baculo, & aliis hujuſmodi, tanquam habentes poteſtatem neceſſaria vitæ accipiendi ab illis, quibus prædicabant, unde ſubdit* „ Dignus eſt enim operarius cibo ſuo „. *Non autem peccat, ſed ſupererogat, qui ſua portat, ex quibus vivat in prædicationis officio, non accipiens ſumtum ab his, quibus Evangelium prædicat, ſicut Paulus fecit.*

Alio modo poſſunt intelligi ſecundùm aliorum Sanctorum expoſitionem, ut ſint quædam ſtatuta temporalia Apoſtolis data pro illo tempore, quo mittebantur ad prædicandum in Judæam ante Chriſti paſſionem. Indigebant enim diſcipuli quaſi adhuc parvuli ſub Chriſti cura exiſtentes, accipere aliqua ſpecialia inſtituta à Chriſto, ſicut quilibet ſubditi à ſuis Prælatis, præcipuè quia erant paulatim exercitandi, ut temporalium ſollicitudinem abdicarent; per quod reddebantur idonei ad hoc, quòd Evangelium per univerſum Orbem prædicarent. Nec eſt mirum, ſi adhuc durante ſtatu Veteris Legis, & nondum perfectam libertatem ſpiritus conſecutis, quoſdam determinatos modos vivendi inſtituit. Quæ quidem ſtatuta imminente paſſione removit, tamquam diſcipulis jam per ea ſufficienter exercitatis. Unde Lucæ 22. dixit „ Quando miſi vos ſinè ſacculo & pera & calceamentis, numquid defuit aliquid vobis? At illi dixerunt, nihil. „ Dixit ergo eis, ſed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & „ peram „. *Jam enim imminebat tempus perfectæ libertatis, ut totaliter ſuo dimitterentur arbitrio in his, quæ ſecundùm ſe non pertinent ad neceſſitatem virtutis.* Hæc D. Th. Quibus apparet, ea quæ Chriſtus Matth. 10. Apoſtolis dixit de nihil ſecum ferendo, fuiſſe conceſſiones, vel præcepta diſciplinæ ſolùm pro determinato tempore...

XIX. Nec tamen propterea cùm Chriſtus ipſe nihil unquam poſſederit, ſi Apoſtoli eorum ſucceſſores aliqua poſtea poſſederunt, ſervi facti ſunt Domino ſuo majores, aut diſcipuli ſupra Magiſtrum. Nam poſſeſſio bonorum in viris Eccleſiaſticis magis ad ſervitutem ſpectat, quàm ad dominatum, quoniam illorum bonorum non ſunt domini, ſed ſimplices adminiſtratores, & diſpenſatores, qui ut fideles ſint, diſpenſare debent ſecundùm volun-

luntatem Domini, nempè in utilitatem Eccleſiæ & pauperum ſubſidium. Ita Wiclefo reſpondet Thomas Waldenſis L.4.tom.1. art.3. c.45. dicens: *Concorditer negatur à Clero, quòd Prælati Eccleſiæ ſunt verè Domini rerum Eccleſiaſticarum. Primò propter carentiam prærogativæ finalis, quia omnia bona Eccleſiæ non ſunt propter Prælatos, ſed propter Eccleſiam fidelium: nec ipſa Eccleſia propter Prælatos, ſed Prælati propter Eccleſiam: & ideò dicuntur Paſtores & miniſtri, quaſi ideo ſint, ut paſcant, ut miniſtrent: & ſic tollit eis rationem dominandi ſecundùm illud 1. Petri 5.* „ Neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis „: *& illud Chriſti ad Apoſtolos* „ Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic „.

Secundò Prælati non ſunt veri domini propter carentiam proprietatis. Hæc Thomas Waldenſis: qui proprietatem, non in Prælatis ſed in Eccleſia eſſe oſtendit ex S. Auguſt. Tract. 6. in Joann., ubi de prædio vel villa fortè ſuæ Eccleſiæ, quam nomine *Columbæ* appellat, dicit non eſſe ſuam, ſed Columbæ: *Nam noſtis, fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini; & ſi non noſtis, & putatis, me gaudere in poſſeſſione illarum, Deus novit, ipſe ſcit quid ego de illis villis ſentiam, vel quid ibi ſufferam, novit gemitus meos, ſi mihi aliquid de Columba impertire dignatus eſt*. Quibus indicat, quàm ægrè ferret bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem ſibi concreditam eſſe. Deinde concludit, quòd cùm bonorum poſſeſſio tradita ſit Eccleſiæ non Divino jure, ſed humano, nempè Imperatorum legibus, nihil nomine Eccleſiæ hæreticos poſſidere: *Leguntur enim*, inquit, *Leges manifeſtæ, ubi præceperunt Imperatores, eos qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem uſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere*. Quæ ad Donatiſtas dirigit, qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſe ſe abſciderant, & ad modernos Hæreticos extendi poſſunt, qui omnia Eccleſiæ bona in regionibus, ubi ipſi dominantur, invaſerunt.

XX. Hoc ſpiritu Apoſtoli primi Eccleſiæ Epiſcopi eleemoſynas & bona Eccleſiæ à piis fidelibus collata ſuſceperunt, ſcilicet non tamquam Domini, ſed miniſtri & diſpenſatores. Hoc ſe feciſſe teſtatur Paulus Rom. 15. v. 25. *Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare Sanctis. Probaverunt enim Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes, qui ſunt in Jeruſalem. Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis*. Hâc ſollicitudine premebatur Paulus, ut de bonis Eccleſiæ collatis pauperibus ſubveniretur: qui tamen nihil eorum ſibi appropriare volens, de labore manuum ſuarum victum quærebat.

Ad

Ad hoc miniſterium Dominus ipſe Apoſtolos præſignavit, dum panes à ſe multiplicatos, nonniſi per Apoſtolos famelicæ Turbæ diſtribui voluit; & dum ea quæ à fidelibus mittebantur, ſic volente Chriſto penes Judam, qui Apoſtolus erat, aſſervabantur, & ab eo in uſus pauperum diſpenſabantur: ſuper hoc Auguſtinus Tract. 50. in Joann. *Exemplum*, inquit, *Domini accipite converſantis in terra. Quare habuit loculos, cui Angeli miniſtraverunt, niſi quia Eccleſia ipſius loculos ſuos habitura erat? Quare furem admiſit, niſi ut ejus Eccleſia fures patienter toleret?* Et Tractatu 62. ait: *Habebat ergo & Dominus loculos, & à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta, ubi intelligeremus, quòd præcepit non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, ut nihil pecuniæ ſervetur à Sanctis: ſed ne Deo pro iſta ſerviatur, & ob inopiæ timorem juſtitia deſeratur.* En bonorum temporalium in Eccleſia ab ipſo Chriſto ad ejus ſuſtentationem inſtituta poſſeſſio, & eorum concredita Apoſtolis diſpenſatio.

XXI. Fateor quidem, Apoſtolos poſt Aſcenſionem Domini, ne ob hoc à prædicatione Verbi Dei impedirentur, curam hanc per ſe ipſos bona Eccleſiæ indigentibus diſpenſandi in alios tranſtuliſſe, ut legitur Act. 6. At in quos tranſtulerunt? in Laicos? nequaquam: ſed in alios Eccleſiaſticos viros, qui loco ipſorum bona Eccleſiæ miniſtrarent ac diſpenſarent. Elegerunt ergo ſeptem Diaconos, quibus impoſuerunt manus, & in Ordine Eccleſiaſtico eos conſtituerunt. His apparet, curam bona Eccleſiæ collata miniſtrandi & diſpenſandi à Chriſto viris Eccleſiæ præſidentibus nempè Apoſtolis fuiſſe injunctam, & ab iſtis inferioribus ejuſdem Ordinis miniſtris delegatam. Quo fit ut bonorum Eccleſiæ adminiſtratio ſemper penes Eccleſiaſticos fuerit: & quòd Eccleſiæ Prælatis, ut gravioribus & ſpiritualibus vacare poſſint, liceat temporalium curam Clericis inferioribus in fide probatis exemplo Apoſtolorum commendare.

XXII. Ne autem quis putet, bona Eccleſiæ primis ſeculis, in ſolis fidelium oblationibus poſita fuiſſe, non autem in prædiis, aut aliis ſtabilibus, adeat ſupra dictum Euſebium L. 2. de Vita Conſt. c. 39., ubi Conſtantinus præcipit, ut Fiſcus fundos, ædes, & hortos antea ereptos Eccleſiis reſtituat: *Omnia ergo quæ ad Eccleſias rectè viſa fuerint pertinere, ſive domus ac poſſeſſio ſit, ſive agri, ſive horti, ſeu quæcumque alia, nullo jure, quod ad dominium pertinet, imminuto, ſed ſalvis omnibus atque integris manentibus, reſtitui jubemus.* Cap. 40. Idem ſtatuit de Martyriis, & Cœmeteriis. Et cap. 41. præcipit, ut res Eccleſiæ à Fiſco emptæ, vel titulo donationis acqui-

acquiſitæ, & etiam alienatæ, eidem Eccleſiæ reſtituantur. Quæ omnia confirmant ejuſdem Conſtantini Literæ ad Anulinum datæ apud Euſeb. L. 10. Hiſt. cap. 5. tenoris ſequentis: *Ave Anuline cariſſime nobis. Eſt hic mos bonitatis noſtræ, ut ea quæ ad alienum jus pertinent, non modò nulla inquietudine affici, ſed etiam reſtitui velimus, Anuline cariſſime. Quapropter jubemus, ut ſimul atque has literas acceperis, ſi quæ ex illis quæ ad Catholicam Chriſtianorum Eccleſiam per ſingulas Civitates, aut in aliis locis pertinebant, nunc à Decurionibus, aut quibuslibet aliis detinentur, confeſtim illorum Eccleſiis reſtitui facias. Quandoquidem ut quæ ſupradictæ Eccleſiæ antea poſſederunt, ad earumdem jus omninò revertantur: Cùm ergo perſpiciat devotio tua hujus noſtræ juſſionis manifeſtiſſimum eſſe præſcriptum; operam dabis ut ſive horti, ſive ædes, ſeu quodcumque aliud ad jus earumdem Eccleſiarum pertinuerit, cuncta illis quantociùs reſtituantur, quo ſcilicet te huic noſtro præcepto accuratiſſimè obtemperaſſe intelligamus. Vale, Anuline cariſſime & deſideratiſſime nobis.* Ex his ad evidentiam patet, Eccleſias ante Conſtantinum bona temporalia tempore perſecutionum poſſediſſe, quæ ab Ethnicis erepta fuere, poſtea à pietate Conſtantini illis reſtituta.

XXIII. Nedum autem pius ille Imperator bona Eccleſiæ erepta reſtitui eidem mandavit ſed alia adjunxit. Ubi enim ut ſupra dixi bona quæ Martyrum aut Confeſſorum fuerant cognatis eorum adjudicavit, iſtis deficientibus, Eccleſiam hæredem inſtituit. Ita Euſebius L. 2. de Vita Conſt. cap. 36. ejus verba refert: *Quòd ſi nullus cognatus ſuperſit, qui prout rationi conſentaneum eſt, hæreditatem capeſſat eorum, quos ſupra memoravi, Martyrum ſcilicet & Confeſſorum, aut illorum, qui ob hujuſmodi cauſam ex patria migraverunt; cujuſque loci Eccleſiam hæreditatem adire decernimus. Nec defunctis utique moleſtum erit, ſi cujus gratiâ nullum non diſcrimen ſubierunt, eam ipſam hæredem habere contingat.* Quanta autem Conſtantinus in Eccleſiam contulerit, & quot temporalibus bonis eas ditaverit, quem alii Imperatores, ac pii Principes poſtea imitati ſunt, nedum hiſtoria ſed experientia ipſa loquitur. Quæ omnia ad obſtruendum os Wicleffo & aliis abundè ſufficiunt.

XXIV. Supereſt modò reſpondere ad ea, quæ de Levitis ſupra oppoſita ſunt. In hoc tollenda eſt æquivocatio. Aliud enim eſt, quòd in diſtributione Terræ promiſſionis Levitarum Tribui non fuerit aſſignata, ſicut aliis Tribubus, determinata pars, extra quam habitare non poſſent, eamque ſicut aliæ Tribus in hæreditatem haberent: Aliud eſt, quòd Levitæ in Civitatibus, ubi habitabant, nihil omninò poſſiderent, nec hæreditatis capaces eſſent, ſed de oblatis tantùm vivere deberent, ut modò quidam Mendi-

can-

cantium Ordines vivunt. Primum verum eſt; & hoc ſignificat id quod Deus Aaroni dixit Num. 18. v. 20. *In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael*. Et Deuteron. 18. v. 1. *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem Tribu ſunt partem & hæreditatem cum reliquo Iſrael*: Quia Levitis non fuit in diviſione Terræ promiſſionis aliqua Civitas vel regio in partem & hæreditatem, ſicut alteri populo, determinata, ſed libera per omnes Tribus habitatio, ut ſicut Deus eſt communis Dominus omnium, ita & Levitæ miniſtri ejus communem cum omnibus poſſeſſionem haberent: & hoc exprimunt illa verba: *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael*. Et ad hanc formam hodie poſſeſſionem ſuam habet Eccleſia in omnibus Regnis: ubi enim omne Regnum ſuis terminis circumſcriptum alterum excludit, Eccleſia in omnibus Regnis nullis clauſa limitibus ſedem obtinet.

At ſecundum omninò falſum eſt. Nam primò titulo oblationis poſſeſſiones proprias habere poterant Levitæ: offerebantur autem non ſolùm victimæ, ſed etiam agri, quos etiam poterant emere: hoc tamen diſcrimine, quòd agros, quos pecuniâ ſua emerant, anno Sabbatico ad veteres dominos redibant. Agri verò, & domus privatorum religione Domino devotæ, jure perpetuo Sacerdotum erant, faſque erat tamquam de re ſua decernere. Secundò in urbibus, quas incolebant, ſuas quoque habebant villas, agros, & paſcua. Hinc Jeremias, & S. Barnabas Levitæ ambo fundos jure proprio poſſidebant. Jeremias cap. 32. v. 7. emit agrum Hananeelis patrui ſui; & Barnabas Act. 4. v. 37. agri ſui venditi pretium detulit ad Apoſtolos. Claudam igitur ex S. Thoma in 4. diſt. 24. q. 3. art. 1. quæſt. 3. ad 2. *Quòd Levitæ in Veteri Teſtamento habebant jus in hæreditate paterna. Sed ideò non acceperunt partem cum aliis Tribubus, quia erant per omnes Tribus diſpergendi: quod fieri non potuiſſet, ſi unam determinatam partem terræ accepiſſent, ſicut aliæ Tribus*.

XXV. Sicut autem in Levitis, ita in Eccleſiæ Miniſtris, diſtinguenda ſunt bona propria, quæ nempè jure paternæ hæreditatis, vel aliunde ſibi competunt, & bona jam Eccleſiæ conſecrata & applicata, quæ ipſi participant. Nam priorum quidem ſunt domini & poſſunt ea vel ſibi retinere, vel aliis diſpenſare pro libito ſicut Laici. At poſteriorum domini non ſunt, ſed Deus & Eccleſia; ipſi verò miniſtri & diſpenſatores. Ita S. Proſper (ſeu veriùs Julianus Pomerius) Lib. 2. de Vita contemplativa cap. 16. *Poſſeſſiones*, inquit, *quas oblatas à populo ſuſcipiunt Sacerdotes, jam non ſunt res mundi credendæ ſed Dei. Quoniam ſi veſtes ac vaſa &*

cætera, quæ in ſacris uſui miniſtrantibus erant, ſancta vocabantur, nec in uſus humanos revocari jam poterant, Divinis ſemel miniſteriis conſecrata: quomodo non ea quæ conferuntur Eccleſiæ ſacra credenda ſunt, quibus non ut ſeculi rebus, luxurioſè, ſed ſanctè, ut Deo conſecratis utuntur ad neceſſaria Sacerdotes? De hoc videndus eſt S. Thomas 2. 2. q.185. art. 7. ubi agens de Epiſcopis diſtinguit inter bona quæ ſunt propria, & ea quæ ſunt Eccleſiæ, ac dicit, Epiſcopum priorum quidem eſſe dominum, poſteriorum autem miniſtrum, ac diſpenſatorem: ſtatuitque quomodo circa iſta ſe gerere debeat. Ejus verba non refero, quia hic Theologum Moralem non ago, ſed Polemicum.

CAPUT XXXVII.

De Sabellianis.

§. I.

Eorum Origo, Auctor, Tempus &c.

I. SAbelliani à Sabellio hujus hæreſis auctore, ſeu veriùs propagatore, nomen accepere. Eam enim à Praxea Montani prius aſſecla, poſtea deſertore, excogitatam, ut de Montano agens adnotavi, Noetus & Noetiani de quibus ſupra c.32. latis ulnis ſuſcipientes ſuam fecerunt, quæ in Sabellium & Sabellianos tranſiens nomen mutavit, ſed non errorem; quem deinde Photinus & Photiniani adoptarunt. S. Auguſtinus L. de Hæreſ. c. 41. ſupponens Sabellium fuiſſe Noeti diſcipulum, & eumdem errorem, quem magiſter, promulgaſſe, mirari videtur cur S. Epiphanius Noetianam & Sabellianam tanquam duas hæreſes diſtinctis Capitibus propoſuerit, & dicat de Sabellio: *Qui quidem paucis quibuſdam exceptis eadem cum Noetianis aſſeruit*. Quòd ſi velit, ut notat S. Auguſtinus, Sabellianos ſimilia cum Noeto dogmatizaſſe, *præter hoc quod dicunt, Patrem non eſſe paſſum*: hoc eſſe impoſſibile demonſtrat S. Auguſtinus dicens: *Quomodo de Sabellianis hoc intelligi poteſt, cùm ſic innotuerint dicere Patrem paſſum, ut Patripaſſiani quàm Sabelliani celebriùs nuncupentur? Aut ſi fortè in eo quod ait*,, præter hoc quod dicunt Patrem non eſſe paſſum,, *Noetianos hoc dicere intelligi voluit, quis eos in hac ambiguitate diſcernat? Vel quomodo poſſunt, intelligi quilibet eorum Patrem paſſum fuiſſe non dicere, cùm dicant, eumdem ipſum eſſe & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum?* Ita S. Auguſtinus, qui deinde hoc idem

Digitized by Google

idem oſtendit ex Philaſtrio, qui *Sabellianos continuò poſt Noetianos ponens* (Hæreſ. 54.) „ Sabellius, *inquit*, diſcipulus ejus, qui ſimi-
„ litudinem ſui Doctoris itidem ſecutus eſt, unde & Sabelliani
„ poſtea ſunt appellati, qui & Patripaſſiani, & Praxejani à Pra-
„ xea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa,
„ qui, & ita ſentientes, abjecti ſunt ab Eccleſia Catholica „. *Certè iſte eoſdem poſtea Sabellianos dixit appellatos, qui ea quæ Noetus ſentiebant*. Hactenus S. Auguſtinus, non inveniens cauſam, cur Epiphanius Noetianos & Sabellianos ſub duobus numeris tanquam duas hæreſes poſuerit, nempè in Synopſi Tom.1. L.2. n.16. ubi ait: *Sabelliani cum Noetianis in omnibus propemodum conſentiunt, niſi quòd Patrem ipſum negant eſſe paſſum, ab eoque prolatitium dumtaxat manare Verbum*.

II. Epiphanio Damaſcenus conſentit L. de Hæreſ. cap. 62. de Sabellianis: *Sabelliani*, inquit, *cum Noetianis in omnibus propemodum iſti conſentiunt, niſi quòd Patrem negant eſſe paſſum: ajuntque Verbum eſſe ad inſtar illius, quod ore profertur, atque iterum revocatur*. Quæ P. Lequien in Notis exponens ait: Non idem fuit Sabellii ſenſus atque Noeti, cùm tamen uterque unicam in Trinitate perſonam agnoſceret. Sabellius ſibi finxerat Verbum & Spiritum Sanctum efficientias quaſdam Dei eſſe minimè ſubſiſtentes, ſed quas Deus irradiationum inſtar, quando opus eſſet, evibraret, rursùmque ad ſe contraheret. Ex quo fiebat, quòd cenſuerit, Jeſum, cùm ſolâ efficientiâ illâ quæ Verbum extimum diceretur perfuſus eſſet, purum hominem extitiſſe, non Deum Incarnatum: ideoque Paulo Samoſateno præluſerit. Cùm ergo Pater in Jeſum ſolâ Deitatis efficientiâ deſcenderit, non perſona Patris ſecundum Deitatem in ejus humanitate ſubſiſteret, dici non poterat, patiente Jeſu Patrem quoque propriè fuiſſe paſſum.

III. Communior tamen Patrum ſententia eſt, Sabellianos æquè ac Noetianos in eodem errore fuiſſe, Patrem nempè fuiſſe paſſum, quia eoſdem quos Sabellianos, Patripaſſianos etiam appellant. Etenim præter Philaſtrium ſupra à S. Auguſtino relatum, Athanaſius Lib. de Synodis: *Tales*, inquit, *ſunt qui apud Romanos quidem Patripaſſiani, apud nos Sabelliani nominantur*. Auguſtinus ipſe hoc repetit Tract. 36. in Joann. dicens: *Nam Sabelliani dicti ſunt quidam hæretici, qui vocantur Patripaſſiani, qui dicunt ipſum Patrem paſſum fuiſſe*. Idem confirmat Marius Mercator Auctor S. Auguſtino coævus in Diſſert. de duodecimo anathematiſmo Neſtoriano his verbis: *Poſt hæc Sabellius & Marcellus Monarchiam ſe in Divinitatis ſubſtantia retinere debere putantes*,

nefando errore decepti, *auſi ſunt* (dicere) *Deum Patrem ipſum ſibi Filium*, *ipſum ſibi eſſe Patrem*, *ipſum ſibi Spiritum Sanctum*, *ipſum incarnatum*, *paſſum*, *crucifixum*, *ipſum à Judæis omnia pertuliſſe*, *reſurrexiſſe à mortuis*, *& omnia peregiſſe*, *quæ nos per Chriſtum in perſona propria ejus*, *pro humani generis ſalute*, *geſta eſſe credimus & confitemur*. Liquet ergo, Sabellianos in hoc cum Noetianis conſenſiſſe, quòd & ipſi dicerent Patrem eſſe paſſum. Quod Euſebius confirmat L. 2. contra Marcellum Ancyranum c. 1. ubi probans, eum Sabellii errorem renovaſſe ait: *Agedum deinceps intueamur Idolum Sabellii velut de terra ſe exerentis*. *Auſus eſt dicere*, *Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti Deum de Sancta Virgine genitum*, *ipſum quoque paſſum*; quod antea dixerat L. 1. c. 20. pag. 91.

IV. Itaque Sabelliana hæreſis, ut in Deo Monarchiam & Divinitatis tueretur unitatem, auferebat à Deo Perſonarum Trinitatem, ſed ſicut unam Dei naturam, ita & unam Perſonam aſſerebat, quæ ſecundùm triplicem notionem, ſeu actum tria haberet nomina. Ita eam exponit Theodoritus Lib. 2. Hæret. Fab. ubi de Sabellio: *Dicebat*, inquit, *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam eſſe hypoſtaſim & unam perſonam*, *quæ tria habet nomina*, *& eundem aliquando quidem vocat ut Patrem*, *aliquando autem ut Filium*, *aliquando verò ut Spiritum Sanctum*: *& in Veteri quidem Teſtamento ut Patrem Legem tuliſſe*, *in Novo autem ut Filium hominem factum eſſe*, *ut Spiritum autem Sanctum ad Apoſtolos veniſſe*. Eodem modo hanc hæreſim exponit Nicetas L. 4. Theſauri Hæreſ. 28. hoc inſuper exemplificans, tum in homine, in quo eſt corpus, anima, & ſpiritus: ita ut corporis Pater, animæ Filius, Spiritus verò Sanctus vices ſpiritus ſuppleret. Tum in Sole, in quo tres actiones eluceſcunt, illuminativa, calefactiva, & ipſa figura, quæ in Orbem circumducitur; & tamen Sol unum ſuppoſitum eſt.

V. Hoc eodem modo Sabellianorum deſcribens hæreſim S. Epiphanius Hæreſ. 62. num. 1. ait: *Horum hæc opinio eſt*: *Eumdem eſſe Patrem & Filium & Spiritum Sanctum*, *ut ad eandem hypoſtaſim tres appellationes conveniant*. *Aut perinde atque in uno homine corpus*, *anima*, *& ſpiritus ineſt*. *Ita ut corporis inſtar ſit Pater*, *animæ Filius*, *Spiritus denique in ipſa Divinitate humani ſpiritus inſtar habeatur*. *Quod & Solis ſimilitudine declarant*; *in quo cùm una ſit hypoſtaſis*, *triplex nihilominus actus eſt*, *nimirùm illuſtrandi vis*, *& calefaciendi*, *& orbicularis figura*. *Ac vim quidem illam calefaciendi*, *hoc eſt calorem atque æſtum*, *ſpiritui reſpondere*; *illuminandi verò vim Filio*, *Patrem denique totius hypoſtaſis velut quandam eſſe formam*. *Igitur Filium affirmant radii in morem emiſſum omnia quæ ad Evangelii & humanæ ſalutis procurationem attinerent*, *in hoc Mundo*

præ-

Digitized by Google

præſtitiſſe, atque in Cælum rediiſſe, quemadmodum is, qui à Sole manavit radius in eundem poſtea refunditur. Spiritum porrò Sanctum in hunc Orbem immitti, ac deinceps ſingillatim in eos omnes illabi, qui eo munere digni ſunt: eundemque inſtaurare vitam, & animare fervore; fovere denique ac calefacere, ut ita dicam, vi quádam, conſenſioneque ſpiritus. Ita juxta Epiphanium errorem ſuum deſcribebant Sabelliani. Ita etiam Nicephorus L. 6. Hiſt. c. 7. & c. 26.

VI. Hæreſis hæc à Sabellio nomen & errorem accepit, quem, ut dixi, à Noeto cujus diſcipulus fuit, hauſerat. Afrum Sabellium extitiſſe è regione Pentapolis Lybiæ Cyrenaicæ, ſcribit Theodoritus ſupra relatus: *Sabellius autem Afer Pentapolitanus*. Nicetas, Sabellium facit ex Lybia Pentapoli oriundum: *Sabellius Lybicâ Pentapoli oriundus*. Unde & Lybicum appellat Magnus Baſilius Epiſt. 78. dicens: *Et nonnulli ex illis, qui impietatem Sabellii Lybici ſectantur*. Ptolemaidem verò Pentapolis urbem ei patriam vel domicilium fuiſſe, colligitur, quia teſte Euſebio L. 7. Hiſt. cap. 6. ibi ſuæ hæreſi dedit initia: *De dogmate illo*, inquit, *quod nuper apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos commotum eſt*. Loquitur autem de hæreſi Sabelliana. Idem aſſerit Nicephorus locis ſupra citatis.

VII. De tempore, quo hæreſis hæc emerſit, parva controverſia eſt. Ut à Sabellio nomen accepit (is enim ex dictis in eodem errore Noeto ſucceſſit) vel ad extrema Pontificatus Stephani, vel ad initia Xiſti referenda eſt. Sub Xiſto increbuiſſe, & de ea Dionyſium Alexandrinum literas ad Xiſtum dediſſe, refert Euſebius L. 7. Hiſt. c. 6. dicens: *In eadem Epiſtola de Sabellianis hæreticis, utpotè qui tunc temporis increbreſcebant, Xiſtum certiorem facit*. Quibus apparet, Stephani tempore exordia habuiſſe, incrementa verò ſub Xiſto, quod fuiſſe putatur circa ann. Domini 257. In hoc Danæus ipſe conſentit Opuſc. 41. dum ait „ Cœpit autem Sabelliani nomen innoteſcere ſub Xiſto Romano Pontifice, durante adhuc Decianâ, vel potiùs jam Valerianâ perſecutione quemadmodum Platina vult, & circa annum à Chriſto paſſo 224. Quamquam quidam exiſtimant, temporibus Cypriani jam quodammodo errorem hunc deguſtatum & delibatum fuiſſe. Sed de Montaniſtis potiùs intelligenda ſunt, quæ Cyprianus in Sabellianos jaculari videtur „. Ita Danæus. Nullam tamen invenio repugnantiam, quòd S. Cyprianus de Sabellianis loqui potuerit, cùm enim hæc hæreſis ſub Xiſto innotuerit, & eo tempore adhuc in vivis eſſet S. Cyprianus, imò Xiſti martyrio ſuperſtes fuerit, potuit Sabelliana hæreſis in Africæ regione exorta ei innotuiſſe.

VIII. Cujus

VIII. Cujus conditionis Sabellius fuerit, nec Auguſtinus, nec Epiphanius, nec Theodoritus, nec Damaſcenus, nec alii Patres indicant. Solus Zonaras in Notis ad Can. 1. Conc. Conſtantinop. I. ſcribit Sabellium Ptolemaidis Epiſcopum fuiſſe: *Jubet etiam anathematizari ſecundum eos Sabellianos, qui à Sabellio quodam Lybico nomen accepere. Is Ptolemaidis, quæ urbs in Pentapoli fuit, Epiſcopus, concreatione quâdam coalitioneque excogitatâ tres hypoſtaſes in unam ſubſtantiam Divinitatemque miſcet, ac unam in Trinitate, tribus licèt variam nominibus, Perſonam agnoſcebat.* Timotheus autem Presbyter Conſtantinopolitanus in Lib. de Recept. Hæretic. duos diſtinguit Sabellios, ſimilia tamen docentes: unum Lybicum, alterum diverſum quem Epiſcopum fuiſſe dicit. Cùm tamen nemo ante hos duos auctores de Sabellii Epiſcopatu quidquam indicaverit, verius puto Sabellium Epiſcopum non fuiſſe.

IX. In Africa hanc hæreſim, & in Lybia ſua habuiſſe natalia ex dictis conſtat. Indè Meſopotamiam invaſiſſe & Romam uſque perveniſſe, teſtis eſt S. Epiphanius num. 1. Hæreſ. 62. dicens: *Atque hujus Sectæ plurimi, cum in Meſopotamia, tum Romæ verſantur veſaniâ quâdam perciti.* In Oriente diù viguit, adeò ut ſub Magno Conſtantino Euſtathius Epiſcopus Antiochenus hâc hæreſi infectus fuerit: unde Socrates L. 1. Hiſt. cap. 23. de Euſebio Nicomedienſi dicit: *Euſtathium verò criminatur, tanquam dogma Sabelli adſtruentem.* Et jure quidem: nam, ut idem Socrates refert cap. 24. in initio, hujus rei cauſa in Antiochena Synodo depoſitus fuit: *Congregatâ igitur Antiochiæ Synodo Euſtathium deponunt, ut qui Sabellii dogmati potiùs, quàm Nicænæ Synodi decretis inſiſteret.* Hujus Sectæ ſequaces extitiſſe anno 381., colligitur ex Canone 1. Conc. Conſtantinop. I. à quo unà cum aliis hæreticis Sabelliani damnantur. Et S. Baſilius Epiſt. 64. conqueritur, ſuâ ætate non defuiſſe, qui hunc errorem revocare tentarent. In Africa tamen ceſſaſſe, indicat S. Auguſtinus Tract. 40. in Joann. dum ait: *Quidam enim fortaſsè ſunt in iſta multitudine Ariani. Non audeo ſuſpicari eſſe Sabellianos, qui ipſum Patrem dicunt eſſe qui Filius eſt: hæreſis quippe iſta nimis antiqua eſt, & paulatim eviſcerata.* In Oriente autem aliquas Sabellianorum reliquias ſeptimo deſinente ſeculo extitiſſe, videtur colligi ex Synodo Trullana, in cujus Can. 94. ſancitum fuit, inter alios Hæreticos ad fidem venientes, Sabellianos eſſe rebaptizandos.

X. An verò hâc noſtrâ ætate, quâ à prætenſis Reformatis omnes antiqui & ſepulti errores excitati ſunt, etiam Sabellianiſmus revixerit, teſtimonio Georgii Hernii unius ex illis fateri cogor. Is enim in ſua Eccl. Hiſt. Periodo 3. art. 3. ſcribit, in Anglia has evul-

evulgatas propoſitiones fuiſſe, quæ ſunt 24. 25. & 26. nimirùm: *In unitate Dei non eſſe Trinitatem*; item: *Non tres perſonas eſſe in Deo, ſed tantùm tria officia*; demum: *Unam tantùm in Deo eſſe perſonam*. Ad hunc errorem apud quemcumque ſit confutandum accedamus.

§. II.

Sabellii error refutatur.

I. ERravit ergo Sabellius, quia in Divinis poſuit unam tantùm Perſonam trinominem, quæ ſcilicet ratione unius officii diceretur Pater, ratione alterius Filius, & ratione tertii Spiritus Sanctus. Sed quia hunc errorem à Noeto magiſtro ſuo didicerat, in quo illum ſupra Cap. 32. §. 2. ex Scripturis, tum teſtimonio æterni Patris, tum ipſius Chriſti filii, tum aliis rejeci: ideò ibi dicta Lector adire poterit; dum interim aliqua in confirmationem fundamentalis hujus veritatis adjiciam; præter ea quæ dixi Tom. 4. in 1. p. Tract. de Deo Trino Dub. 1. ubi etiam alios plures hujus hæreſis Innovatores recenſui. Prima hujus erroris ſemina jecit Simon Magus, qui omnibus hæreſibus facem prætulit: inter alia enim ſua deliria teſte S. Auguſtino L. de Hæreſ. c. 1. dicebat, ſe in Monte Sina Legem dediſſe Judæis, tempore Tiberii in Filii perſona putativè apparuiſſe, poſtea ſe in linguis Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos veniſſe. Nec enim eſt improbabile, quòd dementiam quam ſibi affingebat Simon, in impietatem erga Deum Sabellius converterit, dicens, unam Divinam Perſonam tria hæc officia ſub diverſis nominibus præſtitiſſe.

II. Sabellianam hæreſim ex Judaiſmo prodiiſſe cenſet S. Baſilius Magnus Epiſt. 64. modò 210. ubi poſtquam oſtendit, quid ad eam extirpandam Neocæſareæ egerit S. Gregorius Thaumaturgus, videns, quoſdam eam ſubintroducere moliri, primores Neocæſarienſes his verbis monet: *Judaiſmus eſt Sabelliana hæreſis ſub Chriſtianiſmi ſpecie in Evangelicam prædicationem invecta. Qui enim rem unam perſonis multiplicem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dicit, unamque trium ponit hypoſtaſim, quid aliud facit, niſi quod Unigeniti ſempiternam negat præexiſtentiam? negat autem & diſpenſatorium ejus ad homines adventum, deſcenſum ad inferos, reſurrectionem.*

III. A Stoicis verò eam deducit S. Athanaſius Tract. 4. contra Arianos, ubi num. 13. *Fortè autem*, inquit, *hujuſmodi opinio ex Stoicorum ſchola emanavit, qui nempè Deum putant contrahi; rurſùsque*

ſùsque cum rebus creatis dilatari, infinitèque quieſcere. Quod enim dilatatur, contractum dilatatur, & quod extenditur contractum extenditur: atque idem quidem eſt, nihil autem aliud præter affectionem quamdam patitur. Itaque ſi Unitas dilatata facta eſt Trinitas; & ſi item Unitas eſt Pater, Trinitas verò eſt Pater Filius & Spiritus Sanctus, primò ſequitur ut dilatata Unitas aliquam paſſa ſit affectionem, factaque ſit quod non erat: ſiquidem dilatata eſt, quæ lata non erat. Deinde ſi ipſa Unitas in Trinitatem dilatata eſt, Trinitaſque Pater eſt & Filius & Spiritus Sanctus: ipſe ergo Pater factus eſt & Filius & Spiritus, ut ſentit Sabellius, niſi fortè unitas quam ille propugnat aliquid ſit aliud præter Patrem. Hæc aliaque validè Athanaſius in Sabellium intorquet, oſtendens, ipſum ponere Deum paſſioni & mutationi obnoxium.

IV. Porrò cùm ex Sabellianis aliqui poſt Concilium Nicænum ſuum errorem tueri vellent ejuſdem Concilii decreto, quo anathemate damnat, qui dixerit, *ex alia eſſentia vel hypoſtaſi Filium eſſe*, ex quo inferebant, Filium nedum ejuſdem eſſentiæ, ſed ejuſdem hypoſtaſis cum Patre eſſe; propterea S. Baſilius Epiſt. 78. modò 125. illos ita redarguit: *Nonnulli ab impia Sabellii Lybienſis hæreſi, hypoſtaſim & eſſentiam idem eſſe rati, anſam inde trahunt ad blaſphemiæ ſuæ defenſionem, quòd ita in fide ſcriptum ſit* ,, Si verò ,, quiſpiam dixerit, ex alia eſſentia, aut hypoſtaſi Filium eſſe, ,, eum anathemate ferit Catholica & Apoſtolica Eccleſia ,,. *Non enim idem dixerunt illic eſſentiam & hypoſtaſim. Etenim ſi una & eadem notio eſt ſubjecta vocibus; quid opus erat utrâque? Sed perſpicuum eſt, aliis quidem Filium ex Patris eſſentia eſſe negantibus, aliis verò neque ex eſſentia eſſe, ſed ex aliqua alia hypoſtaſi dicentibus, illos ita demum utramque opinionem tanquam à ſententia Eccleſiaſtica alienam rejeciſſe. Nam ubi ſuam ipſorum declarabant ſententiam, dixerunt ex eſſentia Patris Filium, non ampliùs adjicientes illud*, ex hypoſtaſi. *Quare illud quidem poſitum eſt ad everſionem nequioris ſententiæ; hoc verò declarationem habet ſalutaris dogmatis. Confitendum igitur eſt, conſubſtantialem eſſe Patri Filium, quemadmodum ſcriptum eſt. Confitendum etiam, in propria hypoſtaſi Patrem eſſe, in propria Filium, in propria Spiritum Sanctum, quemadmodum & ipſi manifeſtè expoſuerunt. Plenè enim & clarè oſtenderunt dicendo* Lumen de Lumine, *aliud quidem eſſe Lumen quòd genuit, aliud verò quod genitum eſt, Lumen tamen & Lumen; ita ut una & eadem ſit eſſentiæ ratio*. Hactenus Baſilius.

V. Ex his apparere incipit, Sabellio errandi cauſam dediſſe, quòd neſciebat, vel nolebat diſtinguere Eſſentiam, ſeu naturam ab Hypoſtaſi, ſeu perſonâ: ut Eſſentia ſeu natura ſit aliquid commune

mune pluribus, ut homo: Hypoſtaſis verò ſeu Perſona ſit aliquid ſingulare in ea natura ſubſiſtens, ut Petrus, Franciſcus: & hoc nomen Deus ſit nomen naturæ, & nomina Pater Filius & Spiritus ſint nomina hypoſtaſeon ſeu Perſonarum eandem naturam Divinam habentium, ac in ea ſubſiſtentium: cum hoc tamen diſcrimine, quòd natura humana, & quælibet alia creata eſt communis ſuis ſingularibus perſonis ſolùm per rationem, re autem diverſa; at Natura Divina tribus Divinis Perſonis communis realiter eſt, & una ac eadem realiter ac numero indiviſa in illis. Et hoc eſt myſterium altum, quod fides docet, Trinitas unus Deus, cui humana ratio velut captivam ſe ſe ſubdere debet.

VI. Fateor, hujus duplicis vocis *Subſtantia* ſeu *Natura*, & *Hypoſtaſis* diſtinctionem, ac mentionem apud Veteres Ethnicos Philoſophos non fieri, aut in ſacris Literis ea nomina expreſsè non reperiri; eas tamen voces (teſte Socrate L.3. Hiſt. c. 7.) admittendas eſſe, Patres præcipuè in Synodo Alexandrina decrevere: *Tunc videlicet, cùm opinionem refutant Sabellii, ne verborum inopiâ Trinitatem rem unam eſſe putaremus triplici nomine appellatam, ſed ut potiùs unumquemque eorum, qui nominantur in Trinitate, Deum in propria perſona eſſe credamus*.

Hanc veritatem confitetur etiam Danæus Opuſc. 41. ubi de Sabellianis ait „ Itaque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum „ unam & eandem eſſe *hypoſtaſim* volunt, quæ variis nominibus, „ prout neceſſitas & uſus exigit appellata eſt, uti unum & idem „ Solis corpus lux, ſplendor, & calor pro diverſis effectis nominatur. Confirmant autem ſuam ſententiam, quia Deuteron. *6.* „ dictum eſt: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*. „ Quod certè perperàm intellectum Judæos ipſos, à quibus prima „ hujus hæreſeos fundamenta jacta ſunt, in eumdem errorem induxit, atque etiamnum hodie retinet: clamant enim *Polytheiam*, „ ideſt Deorum multitudinem à Chriſtianis Ethnicorum more renovari, ſi Tres in una & eadem Divina eſſentia Perſonæ re ipsâ „ diſtinctæ & ſubſiſtentes ponantur. Reſponſio verò facilis eſt. „ Nos unam quidem & eandem etiam numero, non tantùm genere & ſpecie *Uſian*, ideſt eſſentiam Divinam docere, conſtituere & defendere. In ea verò eſſentia tres *hypoſtaſes*, ideſt „ perſonas & ſubſiſtentias agnoſcere, ut Veteres verterunt. Itaque neque Deos numero multos facimus, cùm non ſeparemus „ Divinam illam naturam; neque perſonas tollimus, quia quemque, ideſt Patrem Filium & Spiritum Sanctum in Divina eſſentia propriam perſonam habere demonſtravimus. Ut autem „ hæc commodiſſimè docerentur voces *Uſias* & *hypoſtaſeos* ſunt à

Patri-

„ Patribus receptæ, ut ait Socrates L. 3. c. 7. „ Ita Danæus in hoc cum Catholicis ſentiens.

VII. Hanc diſtinctionem excogitarunt Veteres, non proprio ſtudio, ſed à Scripturis edocti, in quibus dum de Deo ſermo eſt frequenter pluralitas unitati copulatur, ut Geneſ. 1. v. 26. ubi Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: & v. 27. ſubditur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit illum*. Et pluralitas Perſonarum ad hominis formationem concurrens, & unitas Divinitatis, ad cujus imaginem factus eſt homo, & ideo *ad imaginem* dixit, non *ad imagines*, ut indicaret in illis pluribus unicum eſſet exemplar. Item Gen. 18. dicitur quod ſedenti Abrahæ in valle Mambre: *Apparuit ei Dominus, & cum elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum*. Abraham autem accurrit *& adoravit in terram, & dixit; Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum*. Si apparuit Dominus, quomodo apparuerunt tres viri? Si tres viri, quomodo dixit Abraham *Domine, ne tranſeas*? Non aliâ ratione, niſi quia in illis tribus, licèt Angeli eſſent, adoravit Abraham Trinitatem Perſonarum in unitate Divinitatis: & ideo dixit *Domine*. Geneſ. item 19. v. 24. legitur: *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de Cælo, & ſubvertit Civitates has*. Si ergo Deus eſt una perſona, quis eſt hic Dominus qui pluit à Domino? Certè cum dixit *Dominus à Domino*, oſtendit Filium & Patrem: Filius enim Dominus eſt, & à Domino, ideſt Patre, à quo habet eſſe & operari.

VIII. Rursùs Pſalm. 2. v. 7. David inducit Dominum dicentem ad Chriſtum: *Filius meus es tu: Ego hodie genui te*. Et Pſalmo 109. v. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te*. Hæc certè Filio ſibi conſubſtantiali non alicui ex Angelis Dominus dixit, ait Paulus Hebr. 1. v. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu; ego hodie genui te*? Non eſt autem poſſibile ut idem gignat ſe ipſum. Ergo alius eſt qui gignit, alius qui genitus eſt: alius Pater, alius Filius. Hanc veritatem demonſtrat Pſalmus 66. v. 7. illis verbis: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ*; ubi ter nominando Deum indicat Trinitatem perſonarum; addens autem *& metuant eum*, declarat omnes tres unum eſſe Deum. Idem teſtantur voces Seraphim Iſaiæ 6. v. 3. invicem clamantium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Quibus dum ter *Sanctus* repetunt Trinitatem Perſonarum ſe venerari oſtendunt, dum verò addunt, *Dominus Deus* unitatem Divinitatis profitentur. Alia etiam ex Novo Teſtamento clariora hujus veritatis adſunt teſtimonia, quæ addu-

adduxi, tum de Noeto agens, tum in Theolog. loco ſupra citato.

IX. Præſtat igitur cum S. Epiphanio Hæreſ. 62. num. 3. dicere: *Non enim Deorum multitudinem invehimus, ſed Monarchiam prædicamus. In ea autem prædicanda nequaquam aberramus; ſed unâ Trinitatem confitemur, unitatem, inquam in Trinitate, & Trinitatem in unitate, unamque Patris & Filii & Spiritus Sancti Divinitatem. Nam neque ſe ipſum Filius genuit: neque Pater, ut eſſet Filius, eſſe Pater deſiit: neque Spiritus Sanctus ſe ipſum unquam Chriſtum appellavit, ſed Spiritum Chriſti, ac per Chriſtum communicatum, procedentem à Patre, & accipientem à Filio. Subſiſtens eſt Pater, ſubſiſtens Filius, ſubſiſtens Spiritus Sanctus. Sed non confuſio quædam eſt Trinitas, uti Sabellius credidit; nec ab æternitate ſua gloriaque demutatur, ut Arius vaniſſimè docuit. Sed Trinitas perpetuò Trinitas fuit, nec ei quidquam acceſſit; cùm una ſit Divinitas, una dominatio, una prædicanda celebrandaque gloria. Eadem nihilominus Trinitas numeratur, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Non ut idem atque unum triplici appellatione declaretur; ſed perfecta re verâ nomina ſunt, perfectæque perſonæ, neque quidquam varium ineſt ac diverſum. Pater ipſe perpetuò Pater extitit, nec ullum unquam tempus fuit, quo Pater non eſſet. Semper enim perfectus ille Pater eſt, atque ſubſiſtens, ut & perfectus ſemper Filius ſemperque ſubſiſtens, verè à Patre genitus, abſque initio tamen ac tempore; eoque modo, quem nulla explicare poteſt oratio. Non is Patris velut germanus frater eſt, nec eſſe cæpit unquam, aut aliquando deſiit; ſed legitimus perpetuò Filius eſt, exiſtens cum Patre, ab eoque ſinè tempore genitus, æqualis, Deus ex Deo, Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non creatus. Neque tamen aut ipſe Pater eſt, aut Pater ipſe Filius. Ac ſi Deus Pater eſt, & Filius utique erit, & Spiritus Sanctus.* His Epiphanius Catholicam hanc veritatem adversùs Sabellianos exponit. Alia videri poſſunt in locis à me ſupra citatis.

X. Hoc unum addo ex eodem Epiphanio num. 2., Sabellianos uſos fuiſſe Libris tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti, quædam ex eis ſeligentes ad ſui erroris tegumentum. His adjeciſſe alios apocryphos, & præcipuè pſeudo-Evangelium quod vocabant ſecundum Ægyptios, in quo multa Chriſtum Diſcipulis ſuis ſecretò dixiſſe ſuo errori ſervientia fabulabantur: *Hunc autem errorem omnem* (inquit Epiphanius) *ejuſque firmamentum ex apocryphis quibuſdam hauſerunt, præſertim ab Ægyptiorum Evangelio: hoc enim illi nomen indiderunt; in quo pleraque ſunt hujus generis, quæ ex perſona Salvatoris clam atque occultè velut myſteria proponuntur, quaſi diſcipulis ipſe declaret, eundem eſſe Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.* De hoc Evangelio ſecundum Ægyptios mentio-

tionem facit Clemens Alexandr. L.3. Strom. pag.452. & 465., quo uſum fuiſſe dicit Caſſianum hæreticum, & fragmentum ab eodem Caſſiano recitatum affert, quod in quatuor nobis traditis Evangeliis non habetur.

Subjungit de Sabellianis Epiphanius: *Deinde quoties in aliquem ex ſimplicioribus ac rudioribus inciderint, qui exactam Divinarum Litterarum ſcientiam non habent, hunc in modum interrogant. Quid tandem, boni viri, dicemus? Unum habemus Deum, an tres? Quibus auditis religioſus ille, nec perfectá ad cavendum ſcientiá perpolitus, perturbatus illicò eorum aſſentitur errori, ac Deum imprudens negat: negat, inquam, Filium ac Spiritum Sanctum.* Sed de his ſatis.

CAPUT XXXVIII.

De Origenianis ſeu Origeniis.

§. I.

Origeniani qui fuerint, & quis eorum auctor.

I. HOs ab Origeniſtis Origenem Adamantium auctorem habentibus (licèt dubitanter) ſeparat Epiphanius Hæreſ. 63. his verbis: *Nonnulli ſunt, quos Origenios appellant: quæ hominum Secta non uſquequaque diffunditur; proximo tamen loco poſt ſuperiores illos hæc hæreſis occurrit. Sed quanam de cauſa Origenii vocentur, nondum planè compers: Utrumnam ab Origene Adamantio, qui cognomento Syntactes, hoc eſt* Lucubrator *eſt dictus: an ab aliquo altero, quod, ut dixi, penitùs ignoro, nec aliud præter ipſum nomen accepi.*

S. Auguſtinus autem Lib. de Hæreſ. cap. 42. ab alio quam ab Adamantio Origene ortum traxiſſe pronuntiat: *Origeniani*, inquit, *à quodam Origene dicti ſunt, non ab illo qui ferè omnibus notus eſt, ſed ab alio, neſcio quo, vel ſectatoribus ejus.* Idem ſentit Damaſcenus Hæreſ. 63. Et quidem incredibile eſt, quòd Hæretici iſti, qui, ut dicam, infandæ libidini & corruptelæ corpora ſua tradebant, ex Adamantii Origenis, qui ſeverus caſtitatis cuſtos fuit, imò & ſuperſtitioſus adeò, ut ad eam tuendam ſe ipſum caſtraverit (ut ex Nicephoro L. 5. Hiſt. c.8.) ſcholâ prodierint.

II. Quinam iſte Origenes hujus infamis Sectæ auctor extiterit, adhuc ſub judice lis eſt. Lambertus Danæus c.42. de Hæreſ. ſolitâ ſuâ Monachorum Inſtituto calumniandi indole abreptus, dicit,

Digitized by Google

dicit, auctorem hujus Sectæ fuiſſe Origenem quemdam Monachum, de quo Sozomenus L. 6. Hiſt. c. 30. Sed falſitatis eum redarguit Sozomenus ipſe, qui hunc Origenem laudat, & inter Monachos, qui in Monaſterio circa Scetim ſub Magni Antonii diſcipulatu maximè claruerunt recenſet: *Eodem tempore*, inquit, *in Monaſterio Scetis claruerunt, ſenes quidem, Origenes, qui ex Magni Antonii diſcipulis adhuc ſupererat, & Didymus & Chronion annos natus decem ſupra centum*. Et aliis recenſitis, addit: *Cumque in Monaſtica Philoſophia conſenuiſſent, tunc temporis Monaſteriis illic ſitis præerant. Ex junioribus verò, & in media adhuc ætate conſtitutis multi probi, atque honeſti viri unà cum ſuperioribus illis florebant*. En quales cum Origene erant ſub Antonii ſchola Monachi, honeſti & probi, non turpes ac inhoneſti, quales fingit Danæus. Imò ſibi etiam contradicit: dicit enim de his Origenianis: *Cœpiſſe verò videntur iſti paulò poſt Gnoſticos*. At ſi ita eſt, quomodo dicis, eos cœpiſſe ab Origene Antonii diſcipulo; cum iſte ineunte ſeculo quarto floruerit, illi verò nempe Gnoſtici ineunte ſeculo ſecundo emerſerint? Si Origeniani paulò poſt Gnoſticos emerſerunt, certè ante ſeculum quartum extitere, & proinde non ab Origene Antonii diſcipulo ortum habuere.

III. Porrò quia Danæus hanc Sectam ab Origene Monacho ortam hâc arte confinxit, ut hinc ſtatui præſenti Monachorum & Clericorum detrahendi anſam arripiat: unde ſubdit: *Hodie verò paſſim regnat inter Clericos in Papatu*; ſciat, Epiphanio teſte n. 2. ab Origenianis ipſis hoc ſe hauſiſſe, qui ſimiliter illius temporis Clericos quaſi idem facientes in ſuæ fœditatis exemplum advocabant: *Interim verò*, inquit, *Catholicos illos Clericos accuſant, qui* Dilutas, *quas vocant*, & Contubernales *feminas adſciſcunt, quos aſſerunt, clanculùm iſtud ipſum propter hominum pudorem committere, ut & cùm nequitia illa ſepeliantur; & ſpecie tenus ob aliorum verecundiam, caſtitatis nomine glorientur*. Imò nec defunctis etiamſi Epiſcopis parcens, ſubdit: *Nonnulli ex iis certos homines, qui jam vitâ functi ſunt, ad me detulerunt, à quibus commiſſum hoc flagitii genus affirmarent, idque ſe ab ipſis, quas illi compreſſerant, mulierculis accepiſſe. Inter quos quendam Epiſcopum nominabant; qui in exiguo Palæſtinæ oppido multis annis Eccleſiæ præfuit, & contubernales iſtiuſmodi feminas ad domeſticum miniſterium habuit: quem nos etiam ex Confeſſorum numero fuiſſe ſcimus. Sed iis, qui de eo iſtud affirmarent, & de mulierculis ipſis cognoviſſe dicerent, fidem nullam adhibendam putavimus. Nam eorum qui id jactabant improbitas neceſſitatem quandam attulit, ut aliquando crederemus, aliquando minimè crederemus, quæ ad ſenis illius infamiam Epiſcopi poſt ejus obi-*

tum referrent. Ita Epiphanius. An hoc reſponſo dimittendi ſint Danæus, & ſui ſimiles, qui ob conceptum in cælibatum odium eâdem infamiæ notâ aſpergere conantur Clericos, & Monachos, judicet æquus ac pius Lector.

IV. Non diffiteor, in Eccleſiam etiam primitivam irrepſiſſe apud aliquos Clericos abuſum in propria domo retinendi extraneas feminas, quas *Dilectas* ſive *Agapetas* vocabant, non ſinè præjudicio caſtitatis & cælibatus quem voverant. Contra hunc abuſum declamat S. Hieronymus Epiſt. 18. ad Euſtochium. Et ad eum extirpandum multum adlaboravit Chryſoſtomus, ut videre eſt Tom. 1. in Tract. *Adversùs eos qui apud ſe habent virgines ſubintroductas*. Et alio: *Quòd Regulares feminæ viris cohabitare non debeant*. Unde in ejus Vita refert Palladius, hunc abuſum tollere laboraſſe præcipuè à Sacerdotibus, qui ſubintroductas haberent mulieres, dicens comparatione mali tolerabiliores eſſe lenones. At numquid propterea Hieronymus, Chryſoſtomus aliique Veteres propter cælibatus abuſum, quem in aliquibus deteſtabantur, cælibatum damnarunt, & ab omnibus eum ſuſtulere, concedendo cuique ſive Clerico, ſive Presbytero, ſive Monacho, ſive Epiſcopo nuptias inire, & uxori copulari, ut exemplo ſui Pſeudo-Reformatoris Lutheri fecerunt, & adhuc faciunt Proteſtantes? Nequaquam. Non enim æquum exiſtimarunt ob aliquorum tranſgreſſionem legem ſanctam, & Dei ſervitio mancipatis conſonam abrogare, ſed abuſus tollere ac tranſgreſſores punire; quod Canonibus in plurimis Conciliis editis præſtitere.

Interim non inficiabor, etiam hodie non deeſſe, qui voti emiſſi immemores illud aliquando violent: ſunt tamen iique plurimi, qui illud illibatè totâ vitâ angelicâ puritate cuſtodiunt. Dicat mihi Danæus. Cur propter illos, eoſque paucos, fœdifragos, votum cælibatus execratur, nec potiùs propter iſtorum tot millia ex utroque ſexu illud non celebrat? Ex diſcipulis Chriſti unus exivit proditor, alius eum negavit. Numquid propterea diſcipulatum Chriſti totum damnabit? Lex Divina vetat adulteria: & tamen ex nuptis dantur adulteri. Numquid propterea tollenda eſt Lex vetans pluribus feminis commiſceri, & ne adulteria ſequantur, concedendum ut cui voluerit quiſque commiſceatur? Si non: cur ob paucorum à lege cælibatus deficientiam legem iſtam abrogandam vult Danæus?

V. Ad Origenianos revertendo. E' ſchola Epiphanis Carpocratis filii (de quo ſupra cap. 5. §. 4.) eos prodiiſſe cenſet Epiphanius num. 1. dicens: *Horum verò hæreſis ad Epiphanis dogma conformata videtur, de quo in Gnoſticorum Secta ſermonem antea fecimus*.

Atque

Atque ita ex Gnoſticorum reliquiis mutato nomine exorta creditur. Familiare namque Gnoſticis fuit ſub diverſis nominibus errores ſuos obtrudere, ut idem Epiphanius advertit Hæreſ. 26. n. 3. Unde ex eadem Gnoſticorum Secta alii dicti ſunt Borboriani, alii Coddiani, alii Militares, quidam Phibionitæ; ſunt etiam qui Zacchæos vocent, Barbelitas alii. Cùmque ibidem num. 17. referat, ſuâ ætate hujus Sectæ aliquos adhuc extitiſſe, & cum eis congreſſum habuiſſe, hos fuiſſe Origenianos credibile eſt, cum Hæreſ. 63. num. 2. ut ſupra dixi tradat, ſe à quibuſdam ex illis accepiſſe, nonnullos ex Catholicis in Origenianorum, nempe Gnoſticorum, flagitiis deprehenſos fuiſſe.

§. II.

Origenianorum errores.

I. Origenianorum error præcipuus in turpiſſimis operationibus, quas, ut olim Gnoſtici, cujus Sectæ ut dixi ſurculus erant, ſibi licitas faciebant, ſitus erat. Ita S. Auguſtinus de Hæreſ. cap. 42. *Turpis autem ſunt operationis. Iſti ſunt nefanda facientes, ſua corpora corruptioni tradentes.* Damaſcenus Hæreſ. 63. *Turpiſſimi iſti ſunt, ac nefariam præpoſteramque libidinem exercent, ſuaque corpora corrumpunt.* Quæ autem facerent, quantum pudor permittit, ex Epiphanio ſic referam: *Nuptias repudiant: neque tamen obſcenis libidinibus modum ullum adhibent; adeòque omni genere ſpurcitiæ & corpus ſuum & mentem animamque contaminant. Quidam enim ex iis monaſticam vitam ſpecie ipſâ profitentur, itidemque mulieres idem vitæ inſtitutum præferunt. Qui omnes corruptis ſunt corporibus: adeò ut cùm libidinem ipſi ſuam expleant, facinus, ut honeſtiùs dicam, illud perpetrent, quod Judæ filius Onas admiſiſſe legitur* (Geneſ. 38.) *Nam ut iſte cum Thamare coibat, ac libidini ſuæ ſatisfaciebat; neque quidquam tamen ad propagationem ſobolis, cujuſmodi hominibus è Deo conceſſa eſt, efficiebat, imò verò ſibi eo ipſo modo, quo flagitium iſtud patrabat, conſciſcebat injuriam.* Hanc Origenianos imitatos fuiſſe dicit, & omne ſtudium adhibentes, ne conſtuprata mulier prægnans fieret, ſemen ipſum in terram projiciebant, & pedibus conterebant. Ita pergit Epiphanius: *Nec minùs iſti Judæ, quem diximus, imitantur filium: dum nefariis ſuis ſceleribus & abominandi humoris deſtillatione terram commaculant: imò verò profluvium illud ſuum in ſolo pedibus exterunt: ne ſurreptum ab impuris ſpiritibus ad ullam fœtus procreationem poſſit excipi.*

II. Hæc ultima verba indicant, hoſce impuros homines ad deji-

dejiciendum & conterendum ſemen proprium eâ opinione fuiſſe permotos, quam S.Th. q. 6. de Miraculis art.8. ad 5. & 6. non improbabilem cenſet: nempè, quòd etſi Dæmon per ſe ipſum generare non poſſit, poteſt tamen per ſemen ab homine aſſumtum, & in mulierem transfuſum, ſicut alias res naturales cauſare poteſt propria ſemina adhibendo, ut dicit Auguſt. L.3. de Trinit. Et hoc poteſt facere Dæmon, *tum per velocitatem motus, tum adhibendo aliqua fomenta, per quæ calor naturalis conſervetur in ſemine*. Ita ex S. Thoma. Ad quod impediendum Origeniani proprium ſemen nedum effundebant in terram, ſed & pedibus conterebant. Verè digni, ut qui Onæ ſocii fuerunt in crimine, ſocii quoque fierent in pœna. De eo enim legitur Gen.38. v.16. *Et idcircò percuſſit eum Dominus, eò quod rem deteſtabilem faceret.*

III. Quare meritò eos ita increpat Epiphanius n. 3. Si fœtum concipere malum eſt, ergo & ipſa corporum copulatio ad hoc inſtituta mala eſt: aut ſi corporum copulatio mala non eſt, nec ipſa prolis conceptio mala erit. Si enim terram ſeminare bonum eſt, ex ea fructus colligere bonum erit. Cur ergo iſti nequam ſemen effundere volunt, fructum autem ſeminis recuſant: niſi quia norunt, quòd ſicut copulatio corporum in ipſis mala erat, ita & fœtus malè & illicitè conceptus erat, & ideò erubeſcebant? *Si omninò*, inquit, *concipere malum eſt; profectò non ob ipſam ſobolis procreationem; ſed ob corporum copulationem malum eſſe videbitur. Quare quid vos attinet voluptate ſuperatos commiſcere corpora? Aut ſi corporum illa conjunctio mala non eſt: ne ipſum quidem quod gignitur ad exitum perducere, malum eſt;* deinde exemplum agriculturæ ſubjicit.

IV. Poſtea Virginitatem præferens Nuptiis n. 4. *Enim verò*, inquit, *licèt tantus nuptiis honor, quantus virginitati minimè ſit habendus, & hæc illis anteponenda ſit*. Nuptias tamen etiam commendat in iis qui cum honeſtate & virtute, & propter finem ob quem à Deo inſtitutæ ſunt, nempè liberorum procreationem, eas exercent, & in illis etiam Deo ſerviunt, ut Abraham, Iſaac &c. Virginitatem etiam & caſtimoniam laudat, ſed in iis qui illibatam illam cuſtodiunt, ut Elias, Eliſæus, & Joannes, his verbis: *Verùm & Abrahamum ſcimus liberis operam dediſſe, & amicum interim Dei fuiſſe: perinde atque Iſaacum & Jacobum & deinceps cæteros. Qui neque ſemetipſos execrandis flagitiis, ac fœdiſſimis uſurpandis rebus inquinarunt, neque rectè à Deo conſtitutæ liberorum per nuptias procreationi refragati ſunt. Neque porrò, qui inter ipſos caſtimoniam ac virginitatem inſtituerant, certaminis leges violarunt, aut velut quibuſdam præſtigiis, hanc virtutis excitationem alio modo commutarunt.*

runt. Atque Elias ſanè urbes ipſas propemodum ne ingrediebatur quidem, nec inter mulieres verſabatur: ſed in deſertis locis aſſiduè vivebat: quemadmodum Eliſæus & Joannes, ac cæteri omnes; qui ut præclarè ex Evangelico Domini mandato inſignem illam imitationis Angelicæ notam atque formam exprimerent, ſemetipſos propter Regnum Cæleſte caſtraverunt. Ita Epiphanius, & laudat ſanctè viventes in nuptiis, & celebrat virginitatem illibatè cuſtodientes: à quorum utroque Origeniani deficiebant: nam & nuptias repudiabant, & corpora ſua nefandis turpitudinibus fœdabant. Ab his refellendis abſtineo, ſatis enim ſupra contra Gnoſticos & alios dictum eſt.

V. Origeniani nedum aliquibus Veteris & Novi Teſtamenti Libris, ſed & quibuſdam aliis apocryphis utebantur. Ita idem Epiphanius num. 2. *Cæterùm*, inquit, *variòs tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti libros adhibent; necnon & apocryphos quoſdam, velut Andreæ & aliorum Actus.* Mos iſte Hæreticorum ſemper fuit, ut ex præcedentibus apparet, nimirùm ex Canonicis & legitimis Libros aliquos ſuſcipere, aliquos pro libito rejicere, & loco iſtorum alios ſpurios & apocryphos adoptare: ut ſuis erroribus patrocinium, quod à primis ſperare non poterant, ab hiſce ſecundis impetrarent. At verè dici poteſt: Malâ causâ pejus patrocinium. Eos ergo relinquamus.

CAPUT XXXIX.

De Origene & Origeniſtis.

§. I.

Origenis geſta, & exitus.

I. ORIGENIS ſi juventam & mediam ſpectes ætatem, nemo eo glorioſior fuit: dictus propterea *Adamantius*, ſive ob adamantinam ejus in fide conſtantiam, ſive ob infractum in ſacris Libris evolvendis ſtudium, & novis conſcribendis laborem. At ſi ejus in ætate progreſſum, exitumque conſideres, nemo fuit eo infelicior. Alexandriæ natus parentem habuit Leonidem, ac ſimul in pietate, nec non in humanis Diviniſque literis inſtitutorem ac magiſtrum, qui puero quoſdam Sacræ Scripturæ locos memoriæ mandare, ac ſibi recitare quotidie jubebat. Quæ puer nedum lubenti animo exequebatur, ſed obviâ Sacrarum Scripturarum lectione minimè contentus, altiores ac profundio-

res ſenſus ſcrutari ſatagebat: de quibus cùm à Patre ſciſcitaretur, ille quidem coram, puerum objurgabat; monens, ne ſupra captum ætatis ultra obvium & apertum Scripturæ ſenſum quidquam inquireret. Clam tamen ſe tali filio donatum Deo gratias agebat, ac ſæpè dormientis pueri cubiculum ingreſſus, pectus ejus nudaſſe dicitur, ac velut quoddam Divini Spiritus ſacrarium deoſculatus fuiſſe.

II. Interea Severo annum Imperii decimum agente, Alexandriæ ac totius Ægypti Præfecturam obtinente Læto, Epiſcopatum verò Eccleſiarum illarum poſt Juliani obitum Demetrio recèns adepto, cùm perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur, Origeni adhuc admodum puero tanta martyrii inceſſit cupido, ut ſe periculis ipſis objiceret, & ultrò ad certamen proſilire geſtiret, adeò ut mors illi procul dubio eveniſſet, niſi Divinâ ſic ſtatuente providentiâ, matris precibus detentus fuiſſet. Verùm cum vehementiùs incitatum vidiſſet, Leonidâ patre capto ac in vinculis detento, pia mater omni ejus veſte abſconditâ domi manere vel invitum coegit. Quare frequentibus literis patrem adibat, eum ad martyrium vehementer cohortans, ac his inter cætera verbis: *Cave, mi pater, ne noſtrâ cauſâ ſententiam mutes*.

III. Cæterùm patre martyrii coronam adepto, ipſe cum matre, & parvulis fratribus ſex orbus relictus eſt, ac opibus paternis in Fiſcum redactis, ad ſummam rerum egeſtatem redactus eſt. Divina tamen providentia non defuit: nam mulier quædam nobilis & opibus potens ſummâ humanitate ipſum excepit ac fovit. Sed cùm in ejus domo Paulo cuidam Antiochiæ oriundo, hæreticorùm qui tunc Alexandriæ erant (fortè Marcionitarum aut Valentinianorum) propugnatori convivere cogeretur, adduci nunquam potuit, ut cum eo in precibus communicaret. Porrò cùm Græcis diſciplinis primùm à patre fuiſſet imbutus, & poſt ejus obitum totum ſe liberalibus ſtudiis vehementiùs addixiſſet, adeò ut ſufficientem artis Grammaticæ peritiam ſibi comparaſſet, paulò poſt patris mortem eam artem profeſſus, neceſſaria vitæ ſubſidia abundè, ut in illa ætate, ſibi comparavit. Hæc ex Lib. 6. Hiſt. Euſebii cap. 2. excerpſi.

IV. Decimum octavum ætatis agebat annum, cùm omnibus ob perſecutionem pulſis ac fugatis, nemine ſuperſtite, qui tradendis fidei noſtræ documentis operam daret, dimiſsâ ceu minùs neceſſariâ Grammaticæ ſcholâ, hoc ſalutare opus Verbi Dei tradendi alacriter Origenes aſſumpſit, & ad illud audiendum plures etiam Gentiles conveniebant. Quo in munere tantâ ſe ſe exercuit caritate,

Digitized by Google

tate, ut cùm Sanctis Martyribus ſive notis ſive ignotis, nedum in carceribus detentis, aut dum ad extremam uſque ſententiam interrogarentur, comes adeſſet: ſed ad eos dum ad ſupplicium ducerentur, accederet, eoſque confirmans in oſculo ſalutaret, ab inſana Gentilium multitudine lapidibus obrutus fuiſſet, niſi Deus præter ſpem adjutrice manu ipſum ſervaſſet. Adeòque Ethnicorum furor in illum exarſit, ut ſcientes, multos ad eum ſacris fidei documentis imbuendos convenire, diſpoſitis militibus domum in qua manebat obſiderent, ſic, ut in tota civitate Alexandrina vix locum obtineret, & dum de una in alias ædes migraret, undique fugaretur.

Nihilominus perſiſtens intrepidus plurimos ad Chriſtum trahebat. Quin ſe totum huic muneri dicans, Scholam Grammaticæ, utpote huic ſancto operi minimè conſentaneam, penitùs abjecit, ac ne alieno ſtudio opus haberet, venditis priſcæ doctrinæ voluminibus, quæ eleganter conſcripta penes ſe habebat, contentus fuit quatuor obolis, qui ab emtore voluminum ſingulos in dies ei pendebantur. Præter labores quos die exercebat, noctis maximam partem Divinarum Scripturarum ſtudiis impendebat. Quibus auſterum vitæ genus conjungebat jejuniis ſe macerans, partem noctis quam ſomno indulgebat, non in ſtrato, ſed ſuper nudo ſolo tranſigens, unicam tunicam habens, diù nudis omninò pedibus incedens etiam rigente hyeme, à vino abſtinens, ac demum etiam ſibi à pietate multorum oblata modeſtè recuſans, adeò ut admirabili ejus exemplo permoti plures etiam ex Gentilibus ejus ſe magiſterio ſubjicerent, qui ab eo veram fidem edocti perſecutionis illius tempore adeo inclaruere, ut aliqui eorum comprehenſi martyrio coronati ſint. Hæc ab Euſebio L. 6. cap. 3. ſumta ſunt. Qui cap. 4. numerans illos primo loco ponit Plutarchum, cui cùm ad mortem duceretur, & individuus comes Origenes uſque ad terminum ei adhæreret, parum abfuit, quin ab illius occideretur civibus, utpote qui necis illius auctor fuiſſet. Poſt hunc ex Origenis diſcipulis martyr fuit Serenus igne probatus. Tertius Heraclides, quartus Heron ambo ſecuri percuſſi. Prior dum eſſet Catechumenus, alter verò neophytus. Quintus alter nomine Serenus, qui poſt plurima pro Chriſto ſuperata tormenta capite truncatus dicitur. Sed ex mulieribus quoque Herais quædam adhuc catechumena per ignem Baptiſmum adepta ex hac luce migravit.

V. Tanto caſtitatis amore ardebat Origenes, ut ad eam tuendam audax facinus perpetrarit, ut refert Euſebius L. 6. c. 8. Dum enim Alexandrinam ſcholam Catechumenis & aliis in fide in-

ſtruendis regeret, & ad eum non ſolùm viri, ſed & mulieres formâ elegantes & juventutis floridæ plerumque convenirent, ille adhuc juvenis caſtitati ſuæ periculum timens ſe ipſum eunuchum fecit. Quamvis autem hoc facinus occultare pro viribus ſatageret, latere tamen adeò non potuit, quin ad aures Demetrii Epiſcopi perveniret: qui primò juvenis audaciam admiratus, alacritatem fidei in eo collaudavit ac bono animo eſſe juſſit, eumque permiſit cœptum opus cum ingenti laude & fructu proſequi. Sed cùm poſtea reſciviſſet, eum à Theoctiſto Cæſareæ & Alexandro Jeroſolymorum Epiſcopis Sacerdotio fuiſſe inſignitum (ſive zelo permotus, ſive humani aliquid paſſus) repentè mutatus, datis ad totius Orbis Epiſcopos literis, facinus illud Origenis palàm proſcindere, ejuſque Ordinationem impugnare cœpit, tanquam Canonico obſtante impedimento factam, ac proinde nullam. Quod, an jure fecerit, adhuc diſceptatur. Affirmat Baronius, negant alii, inter quos Natalis Alexandre Diſſert. 15. ſeculi 2. qu. 1.

VI. Zephyrino in Cathedra Petri ſedente Romam profectus eſt Origenes, Eccleſiæ illius omnium celeberrimæ & antiquiſſimæ coram viſendæ ſtudio. Inde Alexandriam reverſus, Demetrio ipſo Epiſcopo (fortè jam placato) hortante, & tantùm non ſupplicante, ſolitum docendi munus reſumſit. Verùm cùm regendæ ſcholæ ob confluentium numerum à primo lucis ortu uſque ad veſperam ſolus non ſufficeret, Heraclam diſcipulorum ſuorum peritiſſimum in partem laboris vocavit, commiſſâ ei Catechumenorum, & recèns Baptizatorum inſtructione, ſibi verò perfectiores docendos reſervavit. Hæc Euſebius L. 6. Hiſt. c. 15.

VII. Sacrarum Literarum intelligentiæ ſtudium, cui impensè vacabat, eum impulit, ut linguam hebraicam diſceret, ac Vulgatas Verſiones Septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis ſollicitè quæreret. Quod juvante Deo ei feliciter evenit: nam tres antiquiſſimas Verſiones Scripturæ Sacræ reperit: unam Nicopoli ad Actium littus, aliam alibi æquè fauſto eventu, tertiam in dolio repertam in urbe Jericho, Antonini Caracallæ qui Severi filius fuit temporibus. Ex his adornavit Opus quod Tetrapla inſcripſit, quatuor columnis per ſingulas paginas diſtinctum, quarum una Verſionem LXX. Interpretum, altera translationem Aquilæ, tertia Symmachi, quarta Theodotionis exhibebat. Hexapla ideſt Sextupla ſex columnis pariter diſpoſita confecit, in quibus præter quatuor priores, aliæ duæ ignoti Auctoris interpretationes viſebantur. Octopla tandem addit octo columnas exhibentia, quæ præter ſex priores, textum etiam hebraicum, & interpretationem in dolio repertam referebant. De his Euſebius Lib. 6.

Hiſt.

Hiſt. cap.16. Epiphanius L. de Menſuris & Ponderibus. S. Hieronymus in cap.3. Ep. ad Titum & Nicephorus L.5. Hiſt. c.11.

VIII. Quamvis autem in Sacris Scripturis occupatus, Philoſophiam tamen præſertim Pythagoricam & Platonicam non deſeruit, ſperans has ſibi adjumento fore ad Hæreticorum confutationem, & Sacræ Scripturæ interpretationem. Propterea cum Ammonio Chriſtiano Philoſopho (nunquam tamen Fidei deſertore, ut falsò ei Porphyrius imponit) qui hanc ſcientiam Alexandriæ profitebatur, ſtudiorum iniit ſocietatem. Hæc & alia refert Euſebius L. 6. Hiſt. c. 19. His adeò celebre Origenis nomen evaſit, ut ab omnibus pro Sacris Scripturis interpretandis exquireretur; ac plures ab hæreſi ad Catholicam Fidem reduceret. Inter hos Ambroſius quidam, de quo Euſebius ibid. cap.18., Valentianâ (ſeu Marcionis Sectâ ut vult S. Hieron. Lib. de Script. Eccleſ.) hæreſi ejuratâ, ad rectæ fidei profeſſionem tranſiit. Hic Origenem impensè fovit, mecœnatis in ſacris ſtudiis beneficentiam ipſi exhibens. Septem enim Scribas, qui ei dictanti præſtò eſſent, non pauciores librarios, & puellas ad eleganter ſcribendum exercitatas ei addixit, quibus neceſſaria ſubminiſtrabat. Ita Euſebius Lib.6. cap.23. Unde huic Libros contra Celſum Origenes nuncupavit. A Mamea matre Alexandri Imperatoris vocatus Antiochiam venit, ubi ſummo honore exceptus eſt. Ad Philippum, qui primus ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus à quibuſdam putatur, & ad Matrem ejus literas dedit, quarum S. Hieronymus meminit.

IX. In Decii perſecutione multa pro Fide paſſus fuit Origenes, ut refert Euſebius L. 6. Hiſt. c.39. Captus enim & in vincula conjectus multos pertulit cruciatus, ferrei torquis ærumnas, multorum dierum ſpatio pedes in nervo ad quatuor uſque foraminum interſtitia diſtentos, ignium minas, & alia, quæ omnia conſtantiſſimè pertulit. Quomodo autem à cruciatibus, & carcere liber evaſerit, Euſebius ſilet, ſolùm dicens: *Cujuſmodi tandem harum rerum exitus fuerit, judice omni virium niſu ambitiosè contendente, ne illum interficeret: denique quos ſermones poſt hæc, quàmque utiles iis qui conſolatione indigent reliquerit, plurimæ ejus epiſtolæ non minùs verè, quàm accuratè commemorant.* Quibus Euſebius Origenis conſtantiam in fide commendare videtur.

X. S. Epiphanius verò ab oppoſito, eum facto ſaltem fidem negaſſe accuſat, thus Idolis adolendo, atque ad hoc nefas adactum fuiſſe metu ſtupri ſibi ab Æthiope inferendi, quem Judex ad hunc finem conduxerat. Ita enim ait Hæreſ. 64. num. 2. refert: *Tum illud verò Diaboli calliditate improbitatis artifices commenti ſunt, ut*

ut ad turpitudinis neceſſitatem hominem adigerent, atque ejuſmodi pœnam ſtatuerent, ut ad illius corpori ſtuprum inferendum Æthiopem compararent. Ad hæc Origenes fraudulentum illud Diaboli conſilium non ſuſtinens, vocem illam edidit, quâ duobus illis propoſitis, ſacrificare maluit. Quamquam non omninò ſponte illud ſuâ præſtitiſſe vulgò dicitur, ſed ubi ſemel hoc ſe eſſe facturum aſſenſus eſt, thus in manum illius impoſitum in ſubjectum aræ focum excuſſiſſe Gentiles aſſerunt. Hoc modo & à martyrii gloria Confeſſorum Martyrumque, qui illius temporibus erant judicio excidit, & ab Eccleſia dejectus eſt. Accidit hoc Alexandriæ, ubi cùm exprobrantium ludibria ferre non poſſet, illinc abiit, & in Palæſtina ſive Judæa domicilium conſtituit. Fortè contigit, ut Jeroſolymam profectus, ut erat ſacrarum literarum egregius & eruditiſſimus interpres, ab Sacerdotum collegio (nam & ipſe priuſquam ſacrificaret ad ſacerdotii gradum perveniſſe dicitur) ad verba in Eccleſia facienda ſolicitaretur. Cùmque ab iis, uti dixi, qui tunc ſacerdotalem in Eccleſia dignitatem obtinebant, vi propemodum ad id agendum impelleretur, ille in pedes conſurgens, reliquis verſibus prætermiſſis, poſtquam hunc unum è Pſalmo quadrageſimo nono locum attuliſſet „ Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum„ ? *Complicatum librum reddidit, flenſque & lacrymans reſedit, flentibus cum eo qui aderant univerſis.* Hactenus Epiphanius.

XI. Hoc factum, quod primus & ſolus Epiphanius narrat, cùm nemo alius ex veteribus Patribus ejus meminerit, in controverſiam vertitur. Qui pro ejus veritate ſtant, Leontium afferunt L. de Sectis act. 10. qui ſexto ſeculo vixit. Nemeſium ſeculi 4. auctorem L. de Natura hominis cap. 30. Juſtinianum Imperatorem in Tract. adversùs Origenem à Synodo quinta probato, Nicetam L. 4. Theſauri Hæreſ. 31. Anaſtaſium Bibliothecarium in Hiſt. ad ann. Chriſti 244. Nicephorum Lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 32. Zonaram L. 2. Hiſt. Glycam Annal. p. 3. Quos ex Recentioribus ſequuntur Daniel Huetius, Petavius, Alexandre, Pagi &c. E contra tamen Origenem ab hoc lapſu immunem volunt Baronius, & alii, quibus Tilmontius Notâ 22. in Origenem ſubſcribit; volentes Epiphanium in hoc falſo rumore proceſſiſſe, vel hæc ab aliquo Origeniani nominis hoſte fuiſſe in textum S. Epiphanii intruſa. Quod ex ſilentio SS. Auguſtini, Hieronymi & aliorum PP. ſe colligere putant. In hac quæſtione prout ſibi magis libuerit quiſque ſentiat.

XII. Obiit Origenes anno Chriſti 256. Galli & Voluſiani Imperatorum initio, ſeptuageſimo ætatis anno, ut teſtatur Euſebius Lib. 7. Hiſt. cap. 1. dicens: *Quo tempore Origenes ſeptuageſimo ætatis anno ex hac vita migravit.* Nicephorus quoque L. 5. Hiſt. cap. 34.

Gal-

Digitized by Google

Gallo, inquit, *poſt Decium imperante, Origenes undeſeptuaginta annis peractis, miſerabiliter infelix obiit*. Tyri mortuus creditur, ibique ſepultus, teſte S. Hieronymo L. de Script. Eccleſ. c. 54.

§. II.

De Origenis Fide.

I. Sicut, ut dicebam, non defuere nec deſunt, qui Origenem à lapſu in idololatriam vindicare contendant: ita fuere & ſunt, qui eum ab omni errore in Fide purgare conati ſint & adhuc conentur. At licèt cum primis contendere noluerim, hos tamen ſecundos dimittere propter oppoſitum Patrum & Eccleſiæ judicium conſcientia vetat. Qui ergo Origenem ab omni erroris nævo purgare conati ſunt, ex antiquis fuere Euſebius Cæſarienſis, qui in Hiſtoria ubique de eo & ejus ſcriptis cum laude loquitur, ut L. 6. Hiſt. c. 39. ſupra indicavi, cui Pamphilus Martyr adjungitur; Ruffinus Aquileenſis Presbyter, Auctor anonymus apud Photium Codice 117. E Recentioribus Joannes Picus Mirandulanus, Jacobus Merlinus, Genebrardus, Binetus, Petrus Halloxius, & Daniel Huetius, qui in L. 2. Origenianorum in Origenem videtur propenſior.

II. Ab oppoſito tamen ſtat communis ferè Patrum ſententia. Mitto Demetrium Alexandriæ Epiſcopum, qui ipſum adhuc viventem damnavit anathemate, contra quem & omnes totius Orbis Epiſcopos & Clericos Epiſtolam Origenes ſcripſit, ut refert S. Hieronymus in Apologia adversùs Ruffinum. Nam fortè Demetrius ad hoc anathema contra Origenem proceſſit, non propter errorem in fide, ſed propter ejus Ordinationem, cujus poſt evirationem incapacem eſſe, ut ſupra dixi, eum Demetrius exiſtiſtimavit, ideoque illam publicè improbavit. Primus ergo doctrinam Origenis poſt obitum impugnavit Methodius Tyri Epiſcopus, qui ſub Diocletiani imperio floruit, cujus inter Opera Libros de Reſurrectione contra Origenem recenſet S. Hieron. L. de Scrip. Eccleſ. c. 83. cujus Operis fragmentum exhibet Epiphanius Hær. 64. n. 12. & 40. & Photius Cod. 234. Ejus errores impugnavit & S. Petrus Alexandrinus Methodio coævus, ex quo teſtimonia adversùs Origenem profert Juſtinianus in Tractatu ad Mennam.

III. Accedunt primò Theophilus Alexandrinus tum in Epiſt. ad Epiphanium Salaminæ Cypri Epiſcopum (quæ inter Hieronymianas olim 67. modò eſt 111.) ubi eum adhortatur ut modis omnibus adnitatur, quò convocatâ Synodo *ipſe Origenes nominatim & hæreſis nefaria condemnetur*. (quod ipſe Alexandriæ coactâ Syno-

Synodo jam præſtiterat) & cauſam ſui pro fide zeli ſubjungens: *Didici enim*, inquit, *quòd calumniatores veræ fidei Ammonius, Euſebius, & Eutinius novo pro hæreſi furore bacchantes, Conſtantinopolim navigarint, ut & novos, ſi quos valuerint, decipiant: & veteribus ſuæ impietatis ſociis conjungantur*. Eodem zelo fertur in Epiſt. ad S. Hierònymum (antea 69. modò 60.) dolens, quòd Origenis hæreſis in Monaſteriis Nitriæ vigeret. Et in Epiſt. ad eundem antea 72. modò 62. inter Hieronymianas, monet, ut exploſis Origeniſtis, eos etiam qui clam Origenem ſequuntur ejiciat.

IV. Secundò, S. Cyrillus Alexandrinus in Epiſt. ad Monachos, qui erant in Phua, errorem tollentem carnis reſurrectionem tribuit Origeni his verbis: *Hujuſmodi autem improba opinio ab Origenis dementia eſt: quem & Patres noſtri ut veri depravatorem abdicaverunt, & anathematizaverunt. Non enim ſenſit ut Chriſtianus, ſed Paganorum ſecutus ineptias & nugas, in errorem incidit. Hinc autem ei contigit morbi principium: Aſſeverat, animas ante corpora eſſe, & à ſanctimonia abductas fuiſſe in cupiditates ac nequitiam, deſciviſſeque à Deo, à quo hanc ob cauſam damnatæ ſunt & corpori obſtrictæ, ſuntque in carne tanquam in carcere.*

V. Tertiò, S. Epiphanius, præter ea quæ in Panario ſcribit Hæreſi 64. ubi Origenis capitalia dogmata (ut infra dicam) recenſet, ac de eo hoc ſcribit elogium: *Qui cùm adversùs ſuperiores omnes hæreſes diſputaſſe, ac ſingulas evertiſſe viſus ſit, poſtea tamen ſuam & ipſe hæreſim, & quidem haud vulgarem, in Orbem terrarum evomuit.* In Epiſtola etiam ad Joannem Jeroſolymitanum, quæ inter Hieronymianas ante 60. modò 110., inter alia eum monet, ut ab erroribus Origenis abſtineat, quâ occaſione plures Origenis indicat errores, ut de Trinitatis Perſonis, de Animabus anteà in ſupernis creatis, poſteà in hunc Mundum dejectis & in corpora ut in ſepulchra relegatis, de Diabolis ad priſtinam dignitatem redituris, de carnis reſurrectione ab eo negata, & aliis ejus erroribus. Et Epiſtolam concludit, ut invigilet, ut Ruffinus ab hæreſi Origenis recedat, & Palladium caveat, quondam quidem ſibi carum, ſed modò miſericordiâ Dei indigentem, quia Origenis hæreſim prædicat, & docet.

VI. Quartò, S. Hieronymus Epiſt. ad Pammachium & Oceanum priùs 65. nunc 41. de Erroribus Origenis, cùm ab Origeniſtis de inconſtantia argueretur, quòd nempè, cùm olim Origenem ſummis laudibus celebraſſet, modò convitiis illum proſcinderet: poſtquam oſtendit, ſe laudaſſe quidem Origenis ingenium, non tamen dogma: *Laudavi*, inquit, *interpretem, non dogmatiſten, ingenium non fidem, Philoſophum non Apoſtolum*: poſt multa ſic ad

ad eos convertitur: *Si Origenem nunquam ſecutus ſum, fruſtra infamare me quæritis. Si diſcipulus ejus fui, imitamini pœnitentem. Credidiſtis confitenti, credite & neganti. Si iſta, ut ais., inquit, noveras, cur eum laudaſti in Opuſculis tuis? Et hodie laudarem, niſi vos ejus laudaretis errores. Non mihi diſpliceret ingenium, niſi quibuſdam ejus placeret impietas. Et Apoſtolus præcipit* (1. Theſſ. 5.) „ Omnia legentes, quæ bona ſunt retinentes „. Et oſtenſo, aliquorum Opera, in quibus errores continentur, legi, & laborem probari, non tamen probari errores, ad Origenem veniens: *Confitemini*, inquit, *& vos, in quibuſdam errare Origenem, & mù* (verbum) *ultra non faciam. Dicite, eum malè ſenſiſſe de Filio, pejùs de Spiritu Sancto, animarum de Cælo ruinas impiè protuliſſe, reſurrectionem carnis verbo tantùm confiteri, cæterùm aſſertione deſtruere: & poſt multa ſecula atque unam omnium reſtitutionem idipſum fore Gabrielem quod Diabolum, Paulum quod Caipham, virgines quod proſtibulas. Quum hæc rejeceritis, & quaſi cenſoriâ virgulâ ſeparaveritis à fide Eccleſiæ, tutò legam cætera: nec venena jam timebo, quum antidotum præbibero.* Hanc Hieronymi Regulam in Eccleſia Catholica etiam nunc ſervamus. Origenis Opera publicè proſtant: quod in eis bonum eſt, tenemus, ingenium laudamus: quod à vera fide alienum eſt, deteſtamur.

Rursùs in Apologia adversùs Ruffinum procacem Origenis defenſorem Lib.2. non multò ante finem ait: *Probo ego inter multa Origenis mala, hæc maximè hæretica: Dei Filium creaturam; Spiritum Sanctum miniſtrum; mundos innumerabiles, æternis ſibi ſeculis ſuccedentes: Angelos verſos in animas hominum: animam Salvatoris fuiſſe antequam naſceretur ex Maria; & hanc eſſe, quæ quum in forma Dei eſſet, non eſt rapinam arbitrata æqualem ſe eſſe Deo; ſed ſe exinanivit formam ſervi accipiens: reſurrectionem noſtrorum corporum ſic futuram, ut eadem membra non habeant; quia ceſſantibus membrorum officiis, ſuperfluò membra reddantur; ipſaque corpora tenuia & ſpiritalia paulatim evaneſcere, & in auram tenuem atque in nihilum diſſipari: In reſtitutione omnium quando Indulgentia principalis venerit, Cherubim & Seraphim, Thronos, Principatus, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Angelos, Diabolum, Dæmones, animas omnium hominum, tam Chriſtianorum, quàm Judæorum, & Gentilium unius conditionis & menſuræ fore. Quumque ad formam & libram æquitatis pervenerint, & rationabiles creaturas omni corporum fæce depoſitâ, novus de mundi exilio populi revertentis monſtraverit exercitus; tunc rursùs ex alio principio fieri mundum alium & alia corpora, quibus labentes de Cælo animæ veſtiantur, ut verendum nobis ſit, ne qui nunc viri ſumus, poſtea naſcamur in femi-*

nas, & quæ hodie virgo, tunc fortè proſtibulum ſit. Hæc in Origenis Libris ego hæretica doceo: tu oſtende, in quo ejus Opere his contraria legeris. Hæc Hieronymus.

VII. Quintò, S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap. 43. ubi retulit, quoſdam Origenis defenſores conari ipſum immunem tueri ab erroribus, quibus ab Epiphanio traducitur circa mortuorum reſurrectionem & Chriſtum & Spiritum Sanctum; cùm re verâ docuerit, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unius ejuſdemque ſubſtantiæ eſſe; nec carnis reſurrectionem repuliſſe: *Quamvis & in iſtis eum convincere ſtudeant, qui ejus plura legerunt*, addit. *Sed ſunt hujus Origenis alia dogmata, quæ Catholica Eccleſia omninò non recipit; in quibus ipſum falſi arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus excuſari, maximè de purgatione & liberatione, & rursùs poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ. Quis enim Catholicus Chriſtianus vel doctus, vel indoctus non vehementer exhorreat, eam quam dicit purgationem malorum, ideſt, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & ſacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipſum etiam poſtremò Diabolum atque Angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora, purgatos atque liberatos Regno Dei lucique reſtitui, & rursùs poſt longiſſima tempora omnes qui liberati ſunt, ad hæc mala denuò relabi & reverti; & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, ſemper fore? De qua vaniſſima impietate adversùs Philoſophos, à quibus iſta didicit Origenes, in Libris de Civitate Dei diligentiſſimè diſputavi.*

Hic L. 21. de Civit. Dei c. 17. agens contra quoſdam, qui putabant, aliquorum ſaltem hominum damnatorum pœnas non fore æternas, ait: *Qua in re miſericordior profectò fuit Origenes, qui & ipſum Diabolum atque Angelos ejus poſt graviora pro meritis & diuturniora ſupplicia ex illis cruciatibus eruendos, atque ſociandos Sanctis Angelis credidit. Sed illum & propter hoc, & propter alia nonnulla, & maximè propter alternantes ſinè ceſſatione beatitudines & miſerias, & ſtatutis ſeculorum intervallis ab iſtis ad illas, atque ab illis ad iſtas itus ac reditus interminabiles, non immeritò reprobavit Eccleſia: quia & hoc quod miſericors videbatur amiſit, faciendo Sanctis veras miſerias, quibus pœnas luerent, & falſas beatitudines, in quibus verum ac ſecurum, hoc eſt ſinè timore certum ſempiterni gaudii bonum non haberent.*

VIII. At dimiſſis Patribus videamus, quale fuerit de doctrinâ, fide, & libris Origenis Eccleſiæ judicium. Primò, eum ejuſque doctrinam damnatam fuiſſe in Synodo Alexandrina ſupra animadverti à Theophilo ex totius Ægypti, Libyæ, & Pentapolis Pro-

Provinciis congregata. In qua Sulpitius Severus in Dialogis n. 3. ſicut in frequentibus aliis Synodis, dicit, Libros Origenis legi aut retineri interdictos fuiſſe. Et licèt multi reclamarent, Sacerdotes tamen in decreto perſtitere, adeò ut Origenis fautores Monachi per diverſas oras fugati ſint. Secundò, ut ſupra dixi, eodem Theophilo movente damnata fuit doctrina Origenis à S. Epiphanio in Synodo Cypri. Tertiò, Origenis doctrinam in Synodo damnavit Anaſtaſius Romanus Pontifex, cujus judicium totus Occidens ſecutus eſt. Unde Theophilus Alexandrinus, ut refert Juſtinianus Imperator in Tract. adversùs Origenis errores, ad quoſdam Monachos Origeni aſſentientes ſcribit, ut anathematizent Origenem cæteroſque hæreticos, exemplo ſuo & Anaſtaſii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, quem & univerſa Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit ac probavit Alexandrinæ Eccleſiæ ſententiam in impium latam.

IX. Porrò quanto zelo Anaſtaſius Romanus Pontifex ſollicitus eſſet, ne doctrina erronea Origenis per Orbem Catholicum diffunderetur, declaravit ipſe in Epiſtola ad Joannem Jeroſolymitanum de translatione Librorum Periarchon Origenis à Ruffino adornata. Eâ enim reprobatâ tanquam Operis continentis doctrinam impiam & acceptæ ab Apoſtolis fidei contrariam: *Abſit hæc*, inquit, *ab Eccleſia Romana nequaquam Catholica diſciplina. Nunquam profectò eveniet, ut aliquâ hoc admittamus ratione, quod jure meritoque damnamus. Quapropter in toto Orbe Chriſti Dei noſtri diffuſa providentia probare dignabitur, accipere nos omninò non poſſe, quæ Eccleſiam maculent, probatos mores evertant, aures circumſtantium vulnerent, jurgia, iras, diſſenſioneſque diſponant. Quare noſce, qualem Epiſtolam ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Venerium diligentiori curâ perſcriptam parvitas noſtra tranſmiſerit, ſibique hanc conſcientiam fecerim, quòd non ſuperfluâ laborem formidine, neque vano timore ſolliciter; mihi certè cura non deerit Evangelii fidem circa meos cuſtodire populos, parteſque populi mei per quæque ſpatia diverſa terrarum diffuſas, quantum poſſim literis convenire: ne quæ profana interpretationis origo ſubrepat, quæ devotas mentes immiſsâ ſibi caligine labefactare conetur. Illud quoquè quod eveniſſe gaudeo, tacere non potui, beatiſſimorum Principum* (Honorii & Arcadii) *manaſſe reſponſa, quibus unuſquiſque Deo ſerviens, ab Origenis lectione revocetur: damnandumque ſententiâ Principum, quem lectio rerum profana prodiderit.* Ecce in Anaſtaſio ſolita Romanæ Cathedræ omnium Eccleſiarum ſollicitudo pro fide ſarta tecta in eis tuenda. Ecce quanta Origeniſtarum protervia, quam ut deprimeret Principum brachium implorare Eccleſia coacta fuit. Num-

quid ab errore immunis erat Origenis doctrina, ad quam à fidelibus avertendam totius Orbis Epiſcopi Romanique Pontifices adeò laborarunt, ut etiam Principum implorarint auxilium?

X. Præ ceteris manum validam admovit ad Origenem eliminandum ſeculo ſexto Juſtinianus Imperator, edito adversùs ipſum tractatu, ubi illius errorem palam facit, quem cùm ad Synodum Conſtantinopolitanam II. ordine quintam direxit, moti illius Synodi Patres Origenem ejuſque doctrinam diris devoverunt. Juſtiniani Tractatum iſtum, ſeu Epiſtolam ad Mennam pro Eccleſiæ judicio habendam eſſe, ex eo apparet, quia Pelagio Romanæ Eccleſiæ Diacono, & Apocriſario inſtante dictata fuit & poſtmodum à Vigilio Pontifice, & tandem in V. Synodo, ut dicam, approbata. Legitur per extenſum in Tomo 3. Concil. edit. Harduini ann. 545. Novem anathemata in Origenis doctrinam continet. Et tandem impingit *Anathema & Origeni, qui & Adamantius, qui hæc expoſuit unà cum nefaria, atque exſecrabili ſceleſtaque ejus doctrina; & cuivis qui ea ſentiat, aut defendat, aut ullo modo prorsùs quocumque tempore tueri præſumat.*

XI. Vigilii auctoritatem in damnando tunc Origenem interceſſiſſe, affirmat Caſſiodorus Divin. Literarum Inſtit. Lib. 1. c. 1., ubi de Origene, pro quo defendendo multi ſtabant: *Hunc*, inquit, *licèt tot Patrum impugnet auctoritas, præſenti tamen tempore, & à Vigilio beatiſſimo Papa, denuò conſtat eſſe damnatum.* Subditque damnationem antea factam à Theophilo Alexandrino, & Epiphanio, de quibus ſupra. Nec ſolus Romanus Pontifex Vigilius, ſed & cæteri Orientis Patriarchæ Juſtiniani Edictum comprobando, eique ſubſcribendo ſuum fecerunt. Rem geſtam ſic narrat Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis in Breviario cap. 23. *Sed redeunte Pelagio Conſtantinopolim, Monachi quidam ab Jeroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerunt ad eum in comitatu, portantes Capitula de Libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem ut Origenes damnaretur, ipſaque Capitula talia docentia. Annuit Imperator facillimè: gaudens ſe de talibus cauſis judicium ferre. Jubente eo dictata eſt in Origenem & illa Capitula anathematis damnatio: quam ſubſcribentes unà cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperti; deinde directa eſt Vigilio Romano Epiſcopo, Zoilo Alexandrino, Euphemio Antiocheno, & Petro Jeroſolymitano. Quibus eam accipientibus, Origenes damnatus eſt mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.* Num magis authentica deſiderari poterat damnatio à quatuor Eccleſiæ Patriarchis ſubſcripta?

XII. Nec defuit Generale Concilium. Fuit hoc Œcumenicum

cum V. & Conſtantinopolitanum II. anno 545. Vigilio Papa congregatum. Acceptis Juſtiniani Literis Origenis damnationem urgentibus, necnon ejuſdem Edicto à Romano Pontifice, & tribus Orientis Patriarchis approbato & ſubſcripto, illius Synodi Patres numero centum ſexaginta quinque anathematiſmata quindecim contra Origenem ejuſque errores protulere, ut legere eſt Tom. 3. Concil.edit. Harduini. Teſtis eſt hujus rei Evagrius L. 4.Hiſt.Eccl. c.38.,ubi de Geſtis in QuintaSynodo agens poſt trium Capitulorum enarratam damnationem, ſubjungit: *Cùm autem libelli ab Eulogio, Conone, Cyriaco, & Pancratio Monachis dati eſſent contra dogmata Origenis Adamantii, & contra eos qui impietatem atque errorem illius ſequebantur; de bis Juſtinianus Synodum, quæ congregata erat, conſuluit, ſubjecto Epiſtolæ ſuæ exemplari ejuſdem libelli, & iis quæ ad Vigilium eiſdem de rebus ſcripſerat. Ex quibus omnibus deprehendere licèt, id ſtudium fuiſſe Origeni, ut Apoſtolicorum dogmatum ſimplicitatem Gentilium & Manichæorum lolio repleret. Miſſa eſt igitur relatio à prædicta Synodo ad Juſtinianum poſt acclamationes, quas contra Origenem & ejuſdem cum illo erroris ſectatores congeſſerant...* Et paulò poſt: *Fugimus itaque, fugimus iſtam doctrinam. Neque enim novimus alienorum vocem. Et illum tanquam furem ac latronem anathematis laqueis firmè conſtrictum procul à ſacris ſeptis ejicimus.*

XIII. Scio, Halloixium ex Origenis defenſoribus unum, negare de damnatione Origenis quidquam in S. Synodo actum fuiſſe; cùm nec Victor Tunnenſis, nec Facundus Hermianenſis ſcriptores coævi ejus meminerint. Sed horum duorum ſilentio, quod fortè proceſſit, vel Origeniſtarum fraude, qui Acta illius Synodi in iis quæ Origenem tangunt mutilarunt, vel nimiâ feſtinatione eorum qui latinam Synodi verſionem ad uſum Vigilii non adhuc integram reddiderant, prævalere debent poſitiva teſtimonia Evagrii nuper relati, qui eodem ſeculo vixit, Auctoris Chronici Alexandrini, Georgii Syncelli, Photii in Libello de Synodis, Zonaræ, Glycæ, Cedreni, Cyrilli Monachi Juſtiniano coævi in Vita Euthymii cap. 105. & in Vita Sabæ cap. ultimo; & Nicephori, qui & anathematiſmos in Origenem à Synodo vibratos refert L.17. c.28. Quæ omnia confirmant Synodi Acta,quæ Tom.3. Conc. edit. Harduini modò præ manibus habentur.

XIV. Sed adverſantium obſtruunt ora: primò, Sophronius Patriarcha Jeroſolymitanus, qui annis octoginta poſt quintam Synodum in Epiſtola Synodica ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham relata in ſexta Synodo Act. 11. profitetur, ſe cum quatuor cæteris quintam Synodum Œcumenicam amplecti: *Quæ*

con-

confirmat Synodum Chalcedonenſem ; tollit verò & funditùs abolet, principaliter quidem inſanum Origenem & ejus deliramenta ; & unà cum eo Didymi & Evagrii impia dogmata. Secundò, eadem ſexta Synodus Conſtantinopolitana III. quæ Actione 18. proteſtatur, ſe in omnibus conſonare ſanctæ quintæ Synodo : *Quæ hic congregata eſt adversùs Theodorum Mopſueſtenum, Origenem, Didymum, & Evagrium*. Tertiò, ſeptima Synodus ideſt Nicena II. Act. 1. *Sanctæ*, inquit, *venerabilis quintæ Synodi, quæ Conſtantinopolim congregata eſt, communi & univerſali ſubmiſſi ſunt anathemati Origenes & Theodorus Mopſueſtiæ, & ea quæ ab Evagrio & Didymo dicta ſunt, de eo videlicet, quod ante ſubſtantiam fuiſſe perbibebant ; & quod de reſtitutione in ſtatum priſtinum fatebantur, conſentientibus & præſentibus quatuor Patriarchis*. Idem dicit Act. 3. & Actione 7. anathemate confoſſis aliis hæreticis, hæc addit : *Origenis, & Evagrii & Didymi fabulas anathematizamus ; ſicuti & Conſtantinopoli congregatum quintum Concilium egiſſe dignoſcitur*.

XV. Quid ad hæc Origenis Patroni ? Patres in Operibus Origenis errores agnoverunt, & ſi unus vel alter ab initio anceps viſus fuerit, veritate tamen pleniùs inſpectâ, in Origene laudaverunt quidem ingenium, ſed doctrinam multis atque gravibus ſcatere erroribus, eamque non alieno vitio intruſam, ſed genuinum ipſius Origenis fœtum eſſe ingenuè confeſſi ſunt. Eam ut Origenis Romani Pontifices damnarunt, propter eam Eccleſia univerſa in Conciliis Œcumenicis anathematibus Origenem confixit. Quid ad hæc, inquam, dicent ? An Patres, Pontifices Eccleſiam univerſam ex deceptione proceſſiſſe imponendo Origeni errores, qui ipſius non ſunt ? Si iſta dixerint, ſe evadere ſciant non poſſe cenſuram, quà meritò moderni quidam Janſenii Defenſores notantur, aſſerentes, errores quos in Janſenio Eccleſia proſcripſit, ex falſo cogitatu ei tributos, cùm verè Janſenii non ſint, nec ex ejus doctrina eruantur : ideoque in hoc utpotè judicio facti Eccleſiam errare potuiſſe, & de facto erraſſe. Quòd ſi Origenis patroni ad hoc devenerint (quod non crediderim) ſciant, quòd, quidquid ſit, an in judicio puri facti Eccleſia falli queat : In judicio tamen dogmatico ſeu facti connexi cum dogmate, quale eſt judicium de doctrina Origenis ſicut & Janſenii, errare aut falli nequit : ſed ejus judicio tanquam irreformabili, & prorsùs infallibili ſtandum eſt. Alioquin in nullo certi, ſed in omnibus fluctuantes erimus, niſi hoc ut certum ſtatuamus cum Paulo 1. ad Timoth. 3. v. 15. Quòd *Eccleſia Dei vivi columna eſt & firmamentum veritatis*.

XVI. Ut tamen aliquid Origeni indulgeam, cum à nota hæretici abſolverem : non quia errores quos effudit verè hæreſes non ſint ;

ſint; ſed quia illos cum pertinacia defendiſſe non legitur, quæ ſola hæreticum conſtituit, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. ex S. Auguſt. Epiſt. 162. modò 43. c. 1. ſic dicente: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam nullâ pertinaci animoſitate defendunt, & præſertim quam non audaciâ præſumtionis ſuæ pepererunt... quærunt autem cautâ ſollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, non ſunt inter hæreticos deputandi*: nimirùm, addit S.Th. *Quia non habent electionem contradicentem Eccleſiæ doctrinæ*. Ex quo infert, quòd etſi aliqui Doctores in aliquibus quæ pertinent ad fidem diſſenſerint, quia tamen nondum erant per Eccleſiam determinata, hæretici habendi non ſunt: *Poſtquam autem eſſent auctoritate univerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter reſidet in Summo Pontifice*.

Porrò cum Origenis errores nonniſi poſt ejus mortem à Romanis Pontificibus Anaſtaſio & Vigilio, & ab univerſa Eccleſia in Conciliis damnati fuerint, non videtur præſumi poſſe in Origene pertinacia decretis Eccleſiæ repugnandi. Imò contrarium Euſebius nobis proponit L. 6. Hiſt. c. 36., ubi dicit quòd Origenes jam ſexagenario major poſt pleroſque à ſe compoſitos Libros, *Ad Fabianum* Romanæ urbis Epiſcopum, & ad complures alios Eccleſiarum Antiſtites de recta fidei ſuæ ratione Epiſtolas ſcripſit. Quæ indicant, eum paratum fuiſſe, quæ ſcripſerat Eccleſiæ judicio ſubmittere. Unde S. Epiphanius, ut refert Gregorius Alexandrinus Epiſcopus in Vita S. Chryſoſtomi cap. 43., Conſtantinopolim profectus, & adversùs Origenem agens: *Non ipſum Origenem extra communionem eſſe decrevit, ſed Libros ſolùm criminatus eſt*. Hæretici tamen tuere ejus doctrinæ pertinaces ſectatores, qui poſt Eccleſiæ damnationem eam propugnare auſi ſunt, tanquam veram & Catholicam.

§. III.

Origenis errores de Animabus &c. rejecti.

I. Quos ſcriptis ſuis Origenes evulgarit errores, colligi poteſt ex ſæpè laudato Tractatu Juſtiniani Imperatoris & ex Actis quintæ Synodi, in quibus referuntur, & ſub anathemate proſcribuntur. Horum primus eſt, Hominum animas priùs fuiſſe intellectuales mentes, ſive naturas; Divinâ verò contemplatione exſatiatas, atque in deterius prolapſas, animas evaſiſſe, & in pœnam corpore velut in carcere incluſas fuiſſe. Hunc palmarem Origenis errorem refert Epiphanius Hæreſ. 64. num. 4. his

his verbis : *Animam hominis ante corpus extitiſſe putat , & eaſdem Angelos eſſe , virtuteſque ſuperiores , quæ quòd peccata contraxerint , ſupplicii causâ in hoc corpus incluſæ ſunt ; proindeque ad pœnas ſubeundas à Deo relegari , ut hìc judicii prioris damnationem ſuſtineant , quam ob cauſam , ait , & corpus* demas *appellari ; quòd corpori illigata ſit anima . In quo vetera Græcorum ſomnia & nugas retexit. Quin nonnullas ad eandem ſententiam fabulas accommodat. Nam animam ob id* Pſychin *dicimus , quòd cœlitùs afflata ſit . Ad hæc certas ad opinionis falſæ præſidium auctoritates affert , quas Scripturis Sacris perperam affingit , quæ nec ita ſe ſe habent , ac longè aliter ſunt editæ . Quod enim à Propheta dictum eſt* „ Priuſquam humiliarer ego deliqui „ (Pſalm. 118. v.67.) *verba eſſe animæ ipſius affirmat , cùm in Cœlo antea deliquiſſet , quàm ad hoc corpus abjiceretur . Quod verò alibi* (Pſal.114. v.7.) *ſcriptum eſt* „ Convertere anima mea in requiem tuam „ *eò referendum putat , quòd qui ſtrenuè atque egregiè ſe in hoc mundo geſſerit , ob præclara ſua facinora , vitamque ex juſtitia temperatam , ad ſupremam illam cæleſtemque requiem ſe ſe convertat* . Ita Epiphanius , qui cùm ex dictis cauſam contra Origenem egerit in Synodo , omni eſt fide dignus . Et hic eſt primus ejus error in Synodo 5. & à Juſtiniano damnatus . Quem rejeci Tom.6. in 1.p. Tract. de Homine Qu.1. Dub.2. §.2.

II. Secundus error erat , quia dicebat , Animam etiam Chriſti antequam corpori uniretur præextitiſſe. Hunc etiam proſcripſit eadem Synodus his verbis : *Si quis dicit aut ſentit , animam Domini præexſtitiſſe , unitamque eſſe Deo Verbo ante Incarnationem & Nativitatem ex Virgine, anathema ſit* . Deinde : *Si quis dicit aut ſentit, priùs formatum eſſe corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti in utero Beatæ Virginis , ac poſtea unitum ei eſſe Deum Verbum & animam , utpotè quæ ante fuiſſet , anathema ſit* .

III. Tertius , quòd Dei Verbum factum eſſet ſimile aliis ſupernis virtutibus; qui error ita proſcribitur : *Si quis dicit, aut ſentit, omnibus cæleſtibus ordinibus aſſimilatum eſſe Deum Verbum, Cherubimque factum eſſe ipſis Cherubim , & Seraphim ipſis Seraphim , ac omnibus planè ſupernis virtutibus ſimile eſſe factum ; anathema ſit .* Quibus Verbum facit unam ex creaturis .

IV. Quartus , quòd corpora in reſurrectione , formæ orbicularis , non recta futura ſint : *Si quis dicit aut ſentit , in reſurrectione corpora hominum orbiculata ſuſcitari , nec confitetur nos ſuſcitari rectos : anathema ſit* .

V. Quintus , quòd Sol , Luna , & Aſtra animatæ quædam virtutes ſint : *Si quis dicit & Solem & Lunam & Stellas & aquas , quæ ſuper cœlos ſunt, animatas & materiales* (ſeu ratione præditas) *eſſe quaſdam virtutes, anathema ſit* . VI. Sex-

VI. Sextus, quòd Chriſtus iterum crucifigendus ſit pro Dæmonibus. *Si quis dicit aut ſentit, Dominum Chriſtum in futuro ſeculo crucifixum iri pro Dæmonibus, ſicut & pro hominibus, anathema ſit.*

VII. Septimus, potentiam Dei dicebat eſſe finitam. *Si quis dicit, aut ſentit, vel finitam eſſe Dei poteſtatem, vel eum tanta feciſſe, quanta comprehendere potuit: anathema ſit.*

VIII. Octavus, Dæmonem & impiorum pœnas finem habituras. *Si quis dicit aut ſentit, ad tempus eſſe Dæmonum & impiorum hominum ſupplicium, ejuſque finem aliquando futurum: ſive reſtitutionem & redintegrationem fore Dæmonum aut impiorum hominum: anathema ſit.* Poſt quæ concludit: *Anathema, & Origeni qui & Adamantius, qui hæc expoſuit unà cum nefaria atque exſecrabili ſceleſtaque ejus doctrina; & cuivis qui ea ſentiat, aut defendat, aut ullo modo prorsùs quocumque tempore tueri præſumat.* Hæc ſunt quæ in Origene damnavit Quinta Synodus teſte Nicephoro L. 17. Hiſt. c. 28. vel ut damnanda eidem Synodo à Juſtiniano exhibita, cùm alios & copioſiores errores ab ipſa Synodo damnatos Tomo 3. Concil. edit. Harduini legamus, à quibus per extenſum referendis abſtineo. Solùm de aliquibus gravioribus aliqua dicam, eos etiam refutando, ex Theophilo Alexandrino Lib. 1. Paſchali S. Hieron. interprete Tom.4. ejuſdem Operum, & aliis ut infra.

IX. Et quidem primò. Nam quòd dicit, animas puros ſpiritus ab initio fuiſſe, ſed illas quæ à Deo deſciverunt, in corpora velut in carceres detruſas in pœnam fuiſſe, ut falſum rejicitur. Tum quia hoc poſito, dicendum erit, Mundum iſtum corporeum propter peccatum intellectualium creaturarum conditum fuiſſe, aliàs non extiturum, ſi iſtæ non peccaſſent. Hoc autem quis ex Prophetis dixit? Moyſes certè hujus Mundi conditionem deſcribens, nullâ præmiſsâ causâ præter Dei bonitatem dicit: *In principio creavit Deus Cælum & Terram.* Agens de conditione hominis deſcribit animam non priùs exiſtentem, ſed de ſpiritu ſuo ei inſufflavit: animam non priùs peccatricem, ſed innocentem & ſanctam, quæ peccatum in corpus non traxit, ſed in corpore poſita contraxit: nec propter peccatum comminatus ei fuit Deus reclusionem in corpore, ſed ſeparationem à corpore per mortem, *morte morieris.* Non ergo conjunctio animæ corpori pœna peccati eſt, ſed animæ à corpore ſeparatio. Ideoque anima non odit corpus, ſicut quilibet odit carcerem, ſed diligit & ab ea dolet ſeparari, & eo rurſum in reſurrectione ſuperveſtriri cupit, juxta illud Pauli 2. Cor. 5. v. 4. *Nolumus expoliari ſed ſuperveſtiri*, corpore ſcilicet non ampliùs mortali, ſed incorruptili: unde ſubdit, *Ut abſorbeatur*

quod mortale eſt à vita: ubi Paulus corpus appellat veſtem, non carcerem, veſtem inquam, quâ anima ſpoliata cupit iterùm ſuperveſtiri, ut gloria animæ redundet ad corpus.

Rursùs Anima Chriſti, quam corpori præextitiſſe dicit Origenes, certè antea non peccaverat, juxta dictum Petri 1. Epiſt. c. 2. v. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*. Aliàs quomodo à peccato hominem redimere potuiſſet, cujus anima peccato obnoxia in corpus ut in carcerem detruſa fuiſſet? Cùm ergo Deus in Chriſto animam corpori, & quidem mortali, copularit, falſum eſt, ânimam propter peccatum corpori velut carceri alligari. Addo, ſi animæ propter peccatum corpore tenerentur incluſæ, oporteret ut liberatæ à peccato à corporis carcere ſolverentur, & effectus redemtionis Chriſti eſſet ſolutio à corpore: & ſic cùm Chriſtus in Baptiſmate peccata dimittit, ſtatim deberet animas de corporis ſolvere carceribus. Præterea ſi anima corpori velut carceri traditur propter peccatum, quæ graviùs peccavit, carceri magis tetro tradi debebit: gravius autem peccarunt Angeli, quàm animæ hominum: cur ergo illi juxta Origenem carcere leniori nempè corpore aereo clauſi ſunt: iſtæ carceri magis ſquallido, corpori nempe terreo & corruptibili ſunt mancipatæ? Sed de hoc ex S. Auguſt. infra.

X. His accedit, quòd ſi hominum generatio eſt detruſio animæ ſeu ſpiritus in corpus velut in carcerem, humani generis multiplicatio jam non erit benedictio, ſed maledictio. Ita S. Epiphanius in Epiſt. ad Joann. Jeroſol. apud S. Hieron. Tom. 4. novæ edit. *Ubi*, inquit, *benedictio ad Adam, & ad ſemen ejus, & ad Noë & ad alios filios ejus*, Creſcite & multiplicamini, & replete terram,,? *Jam enim non erit benedictio, ſed maledictio, juxta Origenem, qui Angelos vertit in animas: & de ſublimi faſtigio dignitatis facit ad inferiora deſcendere; quaſi Deus generi humano non poſſit animas per benedictionem dare, niſi Angeli peccaverint: & tot in Cælo ſint ruinæ, quot in terra nativitates*. Unde fieret quòd ſicut continua eſt in terris hominum generatio, ita continua eſſet in Cœlis Angelorum defectio & peccatum, nec ab initio ſolùm quando duce Lucifero tertia pars Angelorum cum eo cecidit & debitas pœnas luit.

XI. Hanc Origenis erroneam opinionem exponit ſimulque refellit S. Thomas 1. p. q. 47. art. 2. ubi oſtendens quòd Origenes ut declinaret unum errorem excogitavit alium; *Volens*, inquit, *excludere poſitionem ponentium diſtinctionem in rebus ex contrarietate principiorum boni & mali, poſuit à Deo à principio omnia creata eſſe æqualia. Dicit enim quòd Deus primò creavit creaturas rationales tantùm, & omnes æquales. In quibus primò exorta eſt inæqualitas ex libero*

libero arbitrio, quibuſdam converſis in Deum ſecundùm magis & minus, quibuſdam etiam ſecundùm magis & minus à Deo averſis. Illæ igitur rationales creaturæ, quæ ad Deum per liberum arbitrium converſæ ſunt, promotæ ſunt ad diverſos ordines Angelorum pro diverſitate meritorum. Illæ autem quæ averſæ ſunt à Deo, ſunt corporibus alligatæ diverſis: & hanc cauſam dicit eſſe creationis & diverſitatis corporum. Sed (inquit S. Doctor) *ſecundùm hoc univerſitas corporalium creaturarum non eſſet propter bonitatem Dei communicandam creaturis, ſed ad puniendum peccatum, quod eſt contra illud quod dicitur Gen. 1.* „ Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona „.

XII. Sumſit hæc Angelicus Doctor ex S. Auguſtino Lib. 11. de Civit. Dei cap. 23. ubi addit: *Nec mala voluntas, quæ naturæ ordinem ſervare noluit, ideò juſti Dei leges omnia benè ordinantis effugit. Quoniam ſicut pictura cum colore nigro loco ſuo poſita, ita univerſitas rerum, ſi quis poſſit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra eſt, quamvis per ſe ipſos conſideratos ſua deformitas turpet.* Inde proſequitur: *Videre debuit Origenes, & quicumque ita ſapiunt, ſi hæc opinio vera eſſet, Mundum à Deo factum, ut animæ pro meritis peccatorum ſuorum tanquam ergaſtula, quibus pœnaliter includerentur, corpora acciperent, ſuperiora & leviora quæ minùs, inferiora verò & graviora, quæ ampliùs peccaverunt; Dæmones, quibus deterius nihil eſt, terrena corpora, quibus inferius & gravius nihil eſt, potiùs quàm homines etiam malos habere debuiſſe. Nunc verò ut intelligeremus animarum merita non qualitatibus corporum eſſe penſanda, aerium peſſimus Dæmon, homo autem & nunc licèt malus, longè minoris mitiorisque malitiæ, & certè ante peccatum, tamen luteum corpus accepit.*

Porrò quia dicebat aliquam ex peccantibus animabus detruſam fuiſſe in corpus ſolare, ſubdit: *Quid autem ſtultius dici poteſt, quàm per iſtum Solem, ut in uno Mundo unus eſſet, non decori pulchritudinis, vel etiam ſaluti rerum corporalium conſuluiſſe artificem Deum, ſed hoc potiùs eveniſſe, quia una anima ſic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc ſi contigiſſet, ut non una, ſed duæ, imò non duæ, ſed decem, vel centum, ſimiliter æqualiterque peccaſſent, centum ſoles haberet hic Mundus? Quod ut non fieret, non Opificis proviſione mirabili ad rerum corporalium ſalutem decoremque conſultum eſt, ſed contigit potius tantâ unius animæ progreſſione peccantis, ut ſola corpus tale mereretur?* Hactenus S. Auguſtinus.

XIII. Quod verò dicebat, Angelos, Archangelos, cæteroſque Angelicos ordines ex animarum bonarum qualitate proceſſiſſe, non à Deo ſic creatos fuiſſe, reprobatur ab Apoſtolo Coloſs. 1.

 v. 16.

v. 16. aſſerente omnia in Chriſto ſic condita à Deo fuiſſe: *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cælis & in Terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt*. Unde Theophilus Alexandr. ſupra citatus: *Neque enim*, inquit, *Origenis & diſcipulorum ejus imitamur errorem, qui putant in ſimilitudine Dæmonum & Diaboli, qui propriâ voluntate talia nomina officiaque ſortiti ſunt, Principatus & Poteſtates, Virtutes & Thronos & Dominationes, poſt conditionem ſui boni aliquid perpetraſſe, ut aliis ad inferiora delapſis, ad excelſa conſcenderent, & his nominibus inſignirentur, habentes poſtea quod priùs non habuerunt. Quæ dicentes non intelligunt Pauli ſe ſententiæ contraire, in Chriſto creatos Principatus & Poteſtates & Thronos & Dominationes loquentis. Quod autem dicit* creatos, *nulli dubium eſt, quin ſic ab exordio conditi ſint, & non poſtea iſtiuſmodi acceperint dignitatem*.

XIV. Circa Reſurrectionem erravit quoque. In quo autem erraverit, controverſia eſt. Eam abſolutè etiam in impiis admiſiſſe, ejus doctrinæ, ut infra, conſonum eſt. Eam tamen non admiſiſſe ut Fides Catholica docet, exploratum ex dictis eſt. Nam corpora non ſurrectura recta ut modò, ſed orbicularis figuræ, nec cum ſanguine & membris quæ modò habent, quia pro illo ſtatu non inſervientibus, ſed ſubtilia & aeria fore dicebat. Sed contrarium oſtendit Reſurrectio Chriſti exemplar reſurrectionis noſtræ, cujus corpus poſt reſurrectionem omnibus partibus, quibus ante, imò & ipſis vulnerum cicatricibus conſtabat, eademque peragebat quæ priùs, ut ex Evangelio Joannis cap. 20. & 21. Et ratio eſt (inquit S. Th. 3. p. q. 79. art. 1. Supplem.) *Non enim reſurrectio dici poteſt, niſi anima ad idem corpus redeat, quia reſurrectio eſt iterata ſurrectio. Ejuſdem autem eſt ſurgere & cadere. Unde reſurrectio magis reſpicit corpus quod poſt mortem cadit, quàm animam, quæ poſt mortem vivit: ergo ſi non eſt idem corpus quod anima reſumit, nec dicetur reſurrectio, ſed magìs novi corporis aſſumtio*. De hoc fusè egi Tom. 16. Theol. Qu. 5. de Conditionibus reſurgentium per totam. Et aliqua ſupra indicavi in hoc Opere contra Hæreticos corporum reſurrectionem negantes.

XV. Circa ſtatum animarum poſt hanc vitam, & etiam Dæmonum, illum fore æternum, ſive in pœna, ſive in præmio negabat; ſed quaſdam alternationes beatitudinis & miſeriæ ponebat: ita ut tranſacto aliquo annorum (fortè mille) curriculo, animæ beatæ iterum in mortalia corpora reverti, & in eis corporis moleſtias iterum perpeti, & inde rursùs ad beatitudinem evocari, & à beatitudine rursùm ad miſeriam deflecti tenerentur: & ſic per-

perpetuus quidam beatitudinis & miſeriæ circulus fieret. Idem quoquè de damnatis impiis & Dæmonibus ipſis ſtatuebat, nempè illos ad hoc ſeculum rursùm redituros, & hinc ad beatitudinem evocandos, ſicut & Dæmones in priorem ſtatum & ordinem reſtituendos. Cui hanc addebat blaſphemiam, ſcilicet, Chriſtum pro Dæmonibus ſicut pro hominibus iterum crucifixum iri, & moriturum.

XVI. Hunc errorem deſcribit & deteſtatur S. Auguſtinus L.de Hæref. cap.43. Et rursùs Lib.de Civitate Dei cap.17., cujus verba ſ. præcedente num.5. retuli. Quod repetit S. Doctor L.de perfect. Juſtitiæ hominis c. 3. ubi de Patribus congregatis in Synodo Palæſtinâ contra Pelagium loquens, ait: *Hoc acceperunt judices, quod re verá in Origene deteſtatur Eccleſia, idest quòd etiam illi, quos Dominus dixit æterno ſupplicio puniendos, & ipſe Diabolus & Angeli ejus, poſt tempus licèt prolixum purgati liberabuntur à pœnis, & Sanctis cum Deo regnantibus ſocietate beatitudinis adhærebunt. Hoc ergo Synodus dixit.... Secundùm Evangelium, quòd tales iniqui & peccatores æternis ignibus exurentur, quales tali ſupplicio dignos judicat Evangelium; & quòd deteſtabiliter cum Origene ſentiat, quiſquis dixerit, aliquando eorum finiri poſſe ſupplicium, quod Dominus dixit æternum*: nimirùm Matth. 25. v. 37. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Et v. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. De æternitate pœnarum Dæmonum egi Tom. 5. in 1.p. Quæſt. 9. Dub. 5. & generaliter Tom. 16. Theol. de Juſt. Dei erga damnatos Qu.8. Dub.1.

XVII. In hoc autem quod dixit, Chriſtum in futuro ſeculo crucifigendum eſſe etiam pro Dæmonibus, dum erga iſtos ſe miſericordem exhibere vult, duplicem blaſphemiam profert in Chriſtum. Unam, quâ dicit, Chriſtum non eſſe perpetuò regnaturum, ſed regnum ejus fore terminandum, ſi iterum paſſurus eſt: alteram quòd ſi paſſurus eſt pro Dæmonibus, Dæmon & ipſe futurus ſit. De utraque blaſphemia eum accuſat Theophilus Alexandrinus ſupra laudatus L. 2. Paſchali, ubi facit Origenem Pilato pejorem, imò & ipſis Judæis. Ubi enim Pilatus, nec ſeditione, nec precibus ad hoc potuit adduci, ut Regnum Chriſti de titulo tolleret: & ubi Judæi Chriſtum Regem in terra eſſe negabant, Origenes Regnum Chriſti fore terminandum æſtimavit: nec regnum terrenum tantùm, ſed cœleſte in futuro ſeculo: *Neque enim*, inquit, *quos ſemel ſalvos fecit iterum præcipitabit de Cælo, & dimittet, juxta Origenis deliramenta & fabulas, ut rursùm de ſublimibus corruant*. Et infra: *Fruſtraque ſomniat aſcendere animas in*

Cælum & deſcendere, & nunc proficere, nunc ad inferiora delabi, ut per ruinas innumerabiles ſæpè moriantur, & Chriſti paſſio irrita fiat. Qui enim ſemel pro nobis mortuus eſt, æternam nobis victoriæ ſuæ lætitiam dedit, quæ nullâ vitiorum mole extenuetur. Nec quiſquam hominum crebriùs moritur, quod Origenes auſus eſt ſcribere, Stoicorum impiiſſimum dogma Divinarum cupiens Scripturarum auctoritate firmare. Et hic ſanè fuit errorum Origenis fons: quia nempè voluit Chriſtiana dogmata paganæ Philoſophiæ accommodare.

XVIII. De altera verò in Chriſtum blaſphemiâ, quâ dicebat, Chriſtum & pro Dæmonibus apud Superos adfigendum Cruci, eum ita redarguit Theophilus: *Si enim Chriſtus pro hominibus paſſus homo factus eſt, ut Scripturarum teſtantur eloquia, conſequens erit, ut dicat Origenes: & pro Dæmonibus paſſurus, Dæmon futurus eſt: hoc enim neceſſitate cogetur inferre, ne ab eo quod cœpit diſcrepare videatur imitator Judæorum. Etenim illi Chriſto ſimiliter loquebantur* Dæmonium habes... *Sed abſit, ut pro Dæmonibus Chriſtus paſſurus ſit, ne & ipſe Dæmon fiat. Et qui hoc credunt, rursùm crucifigunt, & oſtentui habent Filium Dei, qui nequaquam, ut ſemen Abraham apprehendit, ita adſumet & Dæmonum, ut pro illis quoque crucifigatur.* Hæc & alia Theophilus. Quæ concordant cum Paulo ad Hebr. 2. ubi poſtquam dixit quod Chriſtus participavit & ſanguini, *ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti: nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Quomodo ergo Chriſtus, qui venit ut Dæmonis imperium ſupra homines deſtrueret, ideoque homo factus fuit, non Angelus, iterum venturus fingitur pro ſalute Dæmonum, & pro illis factus & ipſe Dæmon moriturus? Apage inſaniam. *Chriſtus* (ait idem Apoſtolus Roman. 6. v. 9.) *reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Unde S. Bernardus Serm. 54. in Cantic. *Hoc*, inquit, *adversùm Origenem, qui in aere Dominum gloriæ denuò pro Dæmonibus impudenti crucifigit mendacio: cùm hujus conſcius myſterii Paulus affirmet, quòd reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

XIX. Dicebat inſuper, animas damnatorum nihil pati ab igne corporeo. Et hoc, quia putabat poſt reſurrectionem corpus cum anima conjunctum non permanere, ſed in auras abire, & evaneſcere. Hunc errorem ei tribuit S. Th. q. 26. de Verit. art. 1. in corp. quem ita rejicit: *Sed quia reſurrectionem credentes, non ſolùm credimus futuram eſſe pœnam ſpirituum ſed corporum, corpora*

verò puniri non poſſunt niſi corporali pœnâ, eadem pœna hominibus poſt reſurrectionem & ſpiritibus debetur, ut patet Matth. 25. ubi dicitur, „ Ite maledicti in ignem æternum &c. „ *Ideò oportet dicere, ut Auguſtinus probat 21. de Civit. Dei, ipſos ſpiritus pœnis corporalibus aliqualiter affici. Nec eſt ſimile de gloria Beatorum & pœnâ damnatorum, quia Beati ſublimantur in id, quod eorum naturam excedit; damnati verò deprimuntur in id, quod ſub eis eſt: unde corporalibus tormentis puniuntur;* & ſic quæ dicit Scriptura de pœnis corporalibus damnatorum, non ſunt accipienda allegoricè, benè tamen allegoricè ſumendæ ſunt delectationes corporales, ut edere, bibere ſuper menſam in Regno Dei, & alia ſimilia, quæ Beatis in Scriptura promittuntur.

XX. Ulteriùs, ut notat Epiphanius Epiſt. ad Joan. Jeroſolymit. (apud D. Hieron. Tom. 4.) Omnia, quæ Moyſes in initio Geneſis narrat, allegoricè intelligebat, ut de corpore Adami & Evæ in eorum formatione, & de arboribus, & aliis in Paradiſo à Deo productis. Volebat enim, Deum Adamo & Evæ ſolùm poſt peccatum corpus in pœnam indidiſſe; & hoc ſignificari, quando poſt peccatum fecit eis tunicas pelliceas. Paradiſum autem, in quo eum formaverat, non eſſe terrenum ſed cœleſtem, & plantas quæ in eo deſcribuntur, eſſe angelicas fortitudines. Ita refert de Origene Epiphanius ſupra citatus.

Sed hæc ſomnia, ne dicam deliria, ſunt: Primum quidem, nempè, quòd ante peccatum Adam & Eva non habuerint corpus: *Quomodo*, inquit, *legimus ante pelliceas tunicas, & ante inobedientiam, & de Paradiſo ruinam, Adam loquentem, non ſecundùm allegoriam ſed verè,* „ Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea „? *Aut unde aſſumtum eſt illud, quod Divinus ſermo teſtatur:* „ Et injecit Deus ſoporem in Adam, & dormivit: & ſumſit unam „ de coſtis ejus, & adimplevit pro ea carnem, & ædificavit co„ ſtam, quam tulerat ex eo, illi in uxorem „? *Aut quæ corpora contegebat Adam & Eva foliis ficus, poſtquam comederunt de arbore vetita?* Habuit ergo à ſui conditione verum corpus Adam ex limo terræ priùs à Deo formatum, cui poſtea Deus ipſe inſpiravit ſpiraculum vitæ ideſt animam. Habuit à ſui formatione & Eva corpus, quia ex una de coſtis Adæ ædificata. Alioquin ſi neuter eorum verum habuiſſet corpus: quomodo poſt peccatum cognoſcentes ſe eſſe nudos erubuerunt, ac ſibi conſuerunt folia ficus, antequam Deus faceret eis tunicas pelliceas?

Secundum quoque chimæricum eſt. Paradiſum enim, in quo conditi fuere Adam & Eva, non in Cœlo, ſed in terra fuiſſe, veritas ipſa oſtendit, inquit Epiphanius: *Neque enim dixit Scriptura*

Vl. 1 *Divi-*

Digitized by Google

Divina: *Depoſuit Deus Adam & Evam in terra; ſed ejecit eos de Paradiſo, & habitare fecit eos contra Paradiſum*: *Non ait ſub Paradiſo. Et poſuit romphæam flammeam & Cherubim cuſtodire introitum ligni vitæ*: *non dixit, aſcenſum*. Fuiſſe etiam in Paradiſo illo veras arbores, probat. Quia aquæ ex illo egrediebantur in quatuor fluvios diviſæ (non dicit deſcendebant) ad irrigandam terram. Aquas veras eas eſſe non ſpirituales, teſtatur, quia ipſe de Euphrate uno ex illis aquam bibit. Unde concludit: *Ubi autem flumina ſunt, quæ & videntur & bibuntur, ibi conſequens eſt, quod & ficus, & alia ligna ſint, de quibus dicit Deus*,, Ex omni ligno, quod eſt in Paradiſo comedes,,; *ſimilia ſunt lignis aliis & arboribus, ſicut flumina ſimilia ſunt fluminibus & aquis. Si autem aqua quæ cernitur, verè aqua eſt, neceſſe eſt, ut & ficus vera ſit, & alia ligna; & Adam verus ſtatim à principio plaſmatus in corpore, ſicut & Eva, & non in phantaſmate, & poſt ruinam (ut vult Origenes) propter peccatum poſtea corpus acceperit*. Ita Epiphanius, qui deinde proſequitur oſtendens, aquas quæ ſuper firmamentum ſunt, non eſſe angelicas poteſtates, & quæ ſub firmamento ſunt, non eſſe virtutes contrarias, ideſt Dæmones, ut ſomniabat Origenes: *Et quomodo*, inquit, *legimus, in diluvio apertas cataractas Cœli & aquas inundaſſe diluvii? Unde aperti ſunt fontes abyſſi & totus Mundus opertus eſt aquis?* Hoc certè non eveniſſet, ſi aquæ illæ non fuiſſent veræ.

XXI. Addebat Origenes, Adam per peccatum perdidiſſe imaginem Dei. Quod falſitatis idem Epiphanius ibi pluribus evincit; & probat, in homine Dei imaginem ſemper manſiſſe. In quo autem homo factus ſit ad imaginem Dei oſtendit S.Th. 1. p. q. 3. ad 2. dicens, *quòd homo dicitur eſſe ad imaginem Dei, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm id, quo homo excellit alia animalia, unde ſequitur Geneſ. 1. poſtquam dictum eſt*,, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ut præſit piſcibus maris &c.,, *Excellit autem homo omnia animalia quantùm ad rationem & intellectum; unde ſecundùm intellectum & rationem, quæ ſunt incorporea, homo eſt ad imaginem Dei*. Se autem hoc modo ad imaginem Dei eſſe, non negabit Origenes, niſi ſe brutum animal eſſe velit, ratione & intellectu ſpoliatum. An autem imago Dei inveniatur in quolibet homine, & quot modis inveniri poſſit, docet S.Th. 1. p. q.93. art. 4. nempè in omni homine inveniri per conformitatem naturæ: in Juſtis qui Deum amant, per conformitatem gratiæ: in Beatis verò etiam per conformitatem gloriæ.

§. IV.

§. IV.

Origenis de Filio Dei, de Chriſto.

I. Mitto quod ſupra dixi, inter nævos à Synodo V. Origeni imputatos eſſe hunc, quòd nimirùm de Omnipotentia Dei indignè locutus ſit, dicens, ejus virtutem terminatam eſſe in his, quæ produxit, & tantum in creaturis condidiſſe, quantum virtus ejus complecti poterat. Qui tamen error concordari nequit cum alio, quo dicebat, in perpetuis circulationibus, & animarum tranſmigrationibus novos ſemper Mundos Deum condere. Hoc errore eum notat Theophilus Alex. L. I. Paſchali, ac demonſtrat, Deum in rerum conditione non tantum feciſſe quantum poterat facere, ſed quantum natura & dignitas rerum, quas facere decreverat, poſtulabat, cùm tamen majora facere poſſet. Sic architectus domum conſtruit quantam ſuſtinere poteſt fundamentum, & qualem fert idea quam ſtatuit, cùm tamen altiorem & meliorem conſtruere poſſit, nec illi ars ejus ſit alligata. Unde infert: *Et quomodo non impium eſt humanæ arti finem non imponere, nec operibus ſuis artificum ſcientias coæquare, & Deum tanta feciſſe dicere rationabilium creaturarum, quanta facere poterat? Audiat ergo & diſcat impius: non tanta eſt virtus Dei, quantas feciſſe dicitur rationabiles creaturas: ſed imponens menſuram operibus, ultra quam eſſe non poterant, & rerum numerum diſpoſitionis ſuæ arte concludens, ipſe menſurâ & numero non tenetur. Ex quibus liquidò apparet, non eum tanta feciſſe, quanta poterat, ſed quantum rerum neceſſitas expetebat, tantum ejus feciſſe virtutem.* Et hoc quia ut inferiùs demonſtrat ex Iſaia c. 40. *Omnes gentes quaſi ſtilla de ſitula, & ſicut momentum ſtateræ computatæ ſunt* &c. Hoc ergo dimiſſo, ſicut & quòd de Providentia non rectè ſenſerit;

II. Quod hic in controverſiam vocatur eſt, quid ſenſerit Origenes de Filio Dei. Malè eum ſenſiſſe judicant Patres inferiùs recenſendi. Epiphanius Hæreſi 64. num. 8. vult & probat, Origenem poſuiſſe Dei Filium unigenitum non à Patre de ſua ſubſtantia genitum, ſed creatum. Cùmque ex alia parte vellet Filium eſſe ejuſdem ſubſtantiæ & adorandum cum Patre; Epiphanius contra eum opponit, quòd ſi Filius creatus eſt, creatura eſt, nec cum Patre adorandus *quin & nos cum unico Creatore cætera adoremus omnia, quæ ſervili nobiſcum conditione, eâdemque nominis ratione continentur.* Et addit, propterea Chriſtum in Evangelio non dixiſſe, *Deus me creavit, vel Pater meus creavit me*: nec Patrem unquam pronuntiaſſe: *Ego creavi eum, & miſi ad vos.* Non enim crea-

tus eſſe poteſt, qui de ſe dixit: *Ego in Patre & Pater in me eſt*: & *Ambo unum ſumus* &c.

III. S. Hieronymus quoque Epiſt. 41. aliàs 65. ad Pammachium, alioquin in Origenem ejuſque ſcripta adeò propenſus, ut à pleriſque Origeniſta judicaretur; ut à ſe hanc opinionem depellat, quaſi apologiam pro ſe formans, provocat, ut eum arguant, qui putant cum Origene in aliquo errore ſenſiſſe & ſignatè de Filio Dei & Spiritu Sancto: *Arguite potiùs*, inquit, *ubi hæreſim defenderim, ubi pravum Origenis dogma laudaverim. In lectione Iſaiæ, in qua duo Seraphim clamantia deſcribuntur: illo interpretante Filium & Spiritum Sanctum, nonne ego deteſtandam expoſitionem in duo teſtamenta mutavi?* (hoc legitur in Comment. Hieron. ad cap. 6. Iſaiæ) Si ergo Origenes in duobus Seraphim clamantibus ante thronum Dei intellexit Filium & Spiritum Sanctum, malè de utroque ſenſit. Quia verò Origeniſtæ magiſtrum ab errore iſto purgare conabantur, quòd in Nicæna Synodo, ubi error iſte damnatur, nulla Origenis mentio habetur:

Reſpondet, S. Hieronymus: *De Ario tunc non de Origene quæſtio fuit: de Filio, non de Spiritu Sancto. Confeſſi ſunt quod negabatur, tacuerunt de quo nemo quærebat. Quamquam latenter Origenem fontem Arii percuſſerunt. Damnantes enim eos, qui Filium de Patris negant eſſe ſubſtantia, illum pariter Ariumque damnaverunt*. Dum ergo Hieronymus Origenem vocat *fontem Arii*, & ſimul cum Ario tacitè damnatum, dicit, errorem Arii de Filio Dei ab Origene præformatum fuiſſe.

Hoc repetit L. 1. Apologiæ adv. Ruffinum dicens: *Sex Libros (ut ante jam dixi) Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, Arianæ quondam ſignifer factionis pro Origene ſcripſit, latiſſimum & elaboratum Opus, & multis teſtimoniis approbavit Origenem juxta ſe Catholicum, ideſt juxta nos Arianum eſſe*. Quibus & Origenem Arianum vocat, & Euſebium Cæſarienſem Origenis, ut etiam ſupra vidimus, in omnibus Encomiaſtem, Arianæ factionis ſigniferum appellat.

IV. Porrò quam indignè, ne dicam blaſphemè, de Filio Dei & Spiritu Sancto Origenes loquatur, exponit idem S. Hieronymus in Epiſt. modò 94. aliàs 59. ad Avitum. Cùm enim Ruffinus Libros Periarchon Origenis vertiſſet, ſed infideliter, ipſe fidelem verſionem adornavit. At quia in eis multa Arianorum hæreſi faventia deprehenderat, Avitum, ad quem ſuæ verſionis exemplar dirigit, monet, à quibus in legendo cavere debeat tanquam à vera fide alienis; dicens: *Accipe igitur quod petiſti: ſed ita ut ſcias, deteſtanda tibi in eis eſſe quàm plurima, & juxta ſermonem Do-*

Digitized by Google

Domini, inter ſcorpiones & colubros incedendum, ut eſt illud ſtatim in primo volumine: Chriſtum Filium Dei non natum eſſe ſed factum. Deum Patrem per naturam inviſibilem etiam à Filio non videri: Filium, qui ſit imago inviſibilis Patris, comparatum Patri non eſſe Veritatem: apud nos autem qui Dei omnipotentis non poſſumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri: ut majeſtas ac magnitudo majoris, quodammodo circumſcripta ſentiatur in Filio, Deum Patrem eſſe tamen incomprehenſibile. Chriſtum collatione Patris, ſplendorem eſſe perparvum, qui apud nos pro imbecillitate noſtra magnus eſſe videatur. Duarum ſtatuarum majoris & parvulæ, unius, quæ Mundum impleat, & magnitudine ſuâ quodammodo inviſibilis ſit, & alterius, quæ ſub oculis cadat, ponit exemplum: priori Patrem, poſteriori Filium comparans. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum, & perfectæ bonitatis. Filium non eſſe bonum, ſed auram quandam & imaginem bonitatis, ut non dicatur abſolutè bonus, ſed cum additamento, Paſtor bonus, *& cætera. Tertium dignitate & honore poſt Patrem & Filium, aſſerit Spiritum Sanctum. De quo quum ignorare ſe dicat, utrum factus ſit, an infectus, in poſterioribus quid de eo ſentiret, expreſſit: nihil abſque ſolo Deo Patre infectum eſſe confirmans. Filium quoquè minorem Patre, eò quòd ſecundus ab illo ſit, & Spiritum Sanctum inferiorem Filio in Sanctis quibuſvis verſari: atque hoc ordine majorem Patris fortitudinem eſſe, quàm Filii & Spiritus Sancti. Et rurſùm majorem Filii fortitudinem eſſe quàm Spiritus Sancti; & conſequenter ipſius Sancti Spiritus majorem eſſe virtutem cæteris, quæ ſancta dicuntur*. His Origenis de Filio Dei & Spiritu Sancto doctrinam in Libris Periarchon Hieronymus Avito exponit.

V. Perpendat quæſo Lector, & judicet, an qui talia de Filio Dei & Spiritu Sancto docuit, ab Arianiſmi labe excuſari poſſit. Hæc ex Origenis Periarchon in ſua Verſione excerpſit Hieronymus, Auctor certè Origeni non infenſus, ſed alioquin adeò ei addictus, ut in ſuſpicionem Origeniſtæ apud aliquos venerit. Scio, in Scriptis Origenis, quæ modo habemus hæc non legi: ſed hoc accidit, quia ſolam habemus Ruffini translationem, qui pro genio illa expunxit ac detraxit, addiditque alia non pauca, uti ipſe in Prologo ſuæ Verſionis teſtatur. E contra verò non ſinè Eccleſiæ & veritatis detrimento ingenua Hieronymi Verſio excidit. Nec Ruffinum juvat, ſe ea expunxiſſe, quia ab hæreticis & malevolis intruſa. Unde enim id probat? A quibus hæreticis? Non ab aliis quàm ab Origeniſtis ejus diſcipulis, qui certè errorem, quem ipſe non docuiſſet, magiſtro non impoſuiſſent. Ut ut ſit, Photius in Biblioth. Cod. 8. *Lecti ſunt*, inquit, *Origenis de Principiis Libri 4.*

Horum primus de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto agit. Quo in Libro plurima blaſphemè ſcribit: ut Filium à Patre factum: Spiritum à Filio: & Patrem quidem per omnia quæ exiſtunt pervadere: Filium verò ratione dumtaxat prædita: Spiritum verò ea tantùm quæ ſalva facta ſunt: alioſque ejus errores recenſet. Quibus omnibus penſatis etiam S.Thomas 1.p. q.34. art.1. ad 1. Origenem *fontem Arianorum* appellat. Et S. Auguſtinus L. de Hæreſ. c.43. quamvis abſolutè Origeni hunc errorem non tribuat, ab eo tamen illum non abſolvit.

VI. Pelagianam quoque hæreſim Origenis doctrinâ præformatam fuiſſe, ſentit S.Hieronymus Epiſt.43. ad Cteſiphontem ubi Pelagium redarguens ait: *Vis adhuc & alium noſſe tui erroris principem? Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* Et ſubſcribit S. Thomas in 3. contra Gentes cap.89. his verbis: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præjudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has auctoritates* (nimirùm Proverb. 21. „ Cor Regis in manu Domini, quocunquè voluerit inclinabit illud „. Et ad Philipp. 2. „ Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate „) *malè exponere: ut ſcilicèt dicerent, quòd Deus cauſat in nobis velle & perficere, inquantum dat nobis virtutem volendi, non autem ſic, quòd faciat nos velle hoc vel illud; ſicut Origenes exponit in 3. Periarchon liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas.*

Hoc autem Origenem ibi c.2. dixiſſe ejus verba demonſtrant: *A Deo datur*, inquit, *non ut ſuſtineamus, alioquin nullum jam videretur eſſe certamen, ſed ut ſuſtinere poſſimus. Eâ tamen virtute quæ nobis data eſt, ut vincere poſſimus ſecundùm liberi arbitrii facultatem, aut induſtriè utimur, & vincimus: aut ſegniter, & ſuperamur. Si enim totum nobis hoc detur, ut omni genere ſuperemus & nullo modo vincamur, quæ jam ſupereſt cauſa certandi ei qui vinci non poteſt? Aut quod palmæ meritum, ubi repugnandi adimitur vincendique facultas? Si verò æquè quidem omnibus nobis vincendi poſſibilitas præbeatur, in noſtra autem poſitum ſit poteſtate, quomodo hâc poſſibilitate uti debeamus, ideſt vel induſtriè, vel ſegniter, juſta erit vel victi culpa vel palma victoris.* His quis non videt Origenem facem præbuiſſe Pelagio?

VII. Rursùs. Cùm ex dictis Origenes poneret animas unioni ad corpora præextitiſſe, gratiam dari dicebat ex meritis ante comparatis: Sic in c. 7. Jeremiæ ipſius ſanctificationem in utero præcedentibus ejus meritis collatam dicit. Parvulos ipſos vaſa in honorem, vel in contumeliam propter merita præcedentia his verbis pronuntiat: *Unumquodque igitur vas, ut vel ad honorem à*

Crea-

Creatore formetur, vel ad contumeliam, ex ſe ipſo cauſas & occaſiones præſtitit conditori. Et L.3. Periarcon c.1. *Quòd ſi*, inquit, *juſta hæc videtur, aſſertio, ſicut eſt certò juſta, & cum omni pietate concordans, uti ex præcedentibus cauſis unumquodque vas vel ad honorem à Deo, vel ad contumeliam præparetur: non videtur abſurdum eodem ordine, atque eádem conſequentiá diſcutientes nos antiquiores cauſas, eadem etiam de animarum ratione ſentire; & hoc eſſe in cauſa quòd Jacob dilectus eſt, etiam dum adbuc in ventre matris haberetur*. Quæ doctrina directè contradicit Paulo Rom.9.

VIII. Prælufit etiam Semipelagianis Origenes, dum ait: initium fidei in nobis eſſe ex nobis: perfectionem verò & augmentum eſſe à Deo. Ita L.9. in Epiſt. ad Romanos ad illa verba Apoſtoli: *Habentes donationes, unuſquiſque ſecundùm menſuram fidei*. Quæ ſic exponit: *Quod autem dixit ſecundùm rationem vel menſuram fidei, puto jam plenè in ſuperioribus expoſitum: quæ ſit fides, quæ à nobis requiritur, & quæ à Deo per gratiam datur, ſecundùm hoc quod idem Apoſtolus dicit* „ Alii fides in eodem ſpiritu „; *& item ubi ad Dominum dicunt* „ Auge nobis fidem „[. *Quòd fides quidem quæ ſperet, & credat, & abſque ulla dubitatione confidat, in nobis eſt, ratio verò fidei ipſius & ſcientia, & perfectus eorum intellectus quæ credimus, donatur à Deo... Ut ergo in nobis tanta fides inveniatur, quantam poſſit ſublimior gratia promereri, noſtri videtur & ſtudii*. Quibus verbis jactum Semipelagianiſmi ſemen quis non videt? Hæc de Origene dicta ſufficiant.

IX. Priuſquam tamen illum dimittam, monendos omnes cenſeo, ne nimiùm de ſe ſuoque ingenio præſumant: ſed *ut omnes verè Catholici noverint, ſe cum Eccleſia Doctores recipere, non cum Doctoribus Eccleſiæ fidem deſerere debere*: Origenis exemplo edocti, cujus initiis & progreſſibus nemo fuit glorioſior, at exitu nemo infelicior. Ita Vincentius Lirinenſis in Commonit. num. 17. *Nam ſi vita facit auctoritatem, magna illi induſtria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio; quid eo nobilius, qui primùm in ea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata martyrio, deinde pro Chriſto non ſolùm patre, ſed omni quoque facultate privatus, tantum inter ſanctæ paupertatis profecit anguſtias, ut pro nomine Dominicæ Confeſſionis ſæpiùs, ut ferunt, affligeretur. Neque verò hæc in illo ſola erant, quæ cuncta poſtea tentationi forent; ſed tanta etiam vis ingenii, tam profundi tam acris tam elegantis, ut omnes penè multùm longèque ſuperaret: tanta doctrinæ ac eruditionis magnificentia, ut pauca forent Divinæ, penè fortaſſe nulla humanæ philoſophiæ, quæ non penitùs adſequeretur*. Deinde celebratis tum ejus eloquentiâ, tum innumeris ab eo elaboratis ſcriptis, ſubdit: *Sed for-*

forſitan diſcipulis parum felix? Quis unquam felicior? Nempè innumeri ex ſinu ſuo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confeſſores, & Martyres extiterunt. Jam verò quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulo religioſior ex ultimis Mundi partibus advolavit? Hæc & alia ſubjicit de fama, quâ Origenes etiam apud Principes clarus erat.

X. Verùm quia humanâ gloriâ inflatus plus ſapere voluit, quàm decebat, doctrinam quâ excellere ſe præſumſit, in ſui & aliorum vertit ruinam. Ita enim Lirinenſis proſequitur: *Eò res decidit, ut tantæ perſonæ, tanti Doctoris, tanti Prophetæ, non humana aliqua, ſed, ut exitus docuit, nimiùm periculoſa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dum gratiâ Dei inſolentiùs abutitur, dum ingenio ſuo nimiùm indulget, ſibique ſatìs credit, cùm parvi pendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & veterum magiſteria contemnens, quædam Scripturarum Capitula novo more interpretatur, meruit, ut de ſe quoquè Eccleſiæ Dei diceretur* ,, Si ſurrexerit in medio tui propheta ,,: *& paulò poſt* ,, Non audies verba Prophetæ illius ,,. Hæc Lirinenſis. Salutaria certè monita, ne proprio ingenio quiſquam abutens, ac plus ſapere quàm cæteros præſumens, Eccleſiæ Traditione contemtâ, nova in dies audeat comminiſci, memor Apoſtolici conſilii Hebr. 13. v. 9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.*

CAPUT XL.

De Paulianis ſeu Samoſatenis.

§. I.

Pauli Samoſateni Patria, Conditio, Damnatio.

I. POST Sabellium & Origenem quidam emerſit Paulus, qui ab urbe Samoſata ejus patriâ Samoſatenſis, ſive Samoſateni nomen accepit. Samoſata Metropolis Comagenes regionis fuit ſita propè Euphratem, quà Syriam & Meſopotamiam ſpectat, ut tradunt Epiphanius Hæreſi 65. & Plinius Lib. 5. c. 24. Samoſatis teſte Baudrand in Lexico ortus eſt Lucianus, qui ſub Trajano vixit, Chriſtianæ religionis, quam priùs profeſſus fuerat, deſertor, ſed & Deorum irriſor in Dialogis quos ſcripſit. Is miſerè tandem à canibus dilaniatus interiit. Labes tamen magis peſti-

peſtifera fuit Paulus iſte ejuſdem urbis civis & alumnus, qui ſuâ hæreſi Chriſtianam Religionem infecit. Ab hoc ergo, qui ejus labem contraxere, Pauliani ſeu Samoſateni, vel Samoſatæi nuncupati ſunt.

II. Anno Chriſti circiter 262. Valeriano & Gallieno imperantibus Epiſcopatum Antiochenum Paulus adeptus eſt, ſeu veriùs invaſit. Nam ante Epiſcopatum pauper & mendicus, ſceleribus, ſacrilegiis, fratrum concuſſionibus, aliiſque malis artibus immenſas divitias ſibi comparavit (ut teſtantur ſecundæ Synodi Antiochenæ Patres in Epiſtola ſuâ Synodicâ) quibus abuſus eſt ad faſtum, quo maximam Chriſtianæ Religioni apud Ethnicos conflavit invidiam. Ita præfati Patres: *Faſtu*, inquiunt, *& arrogantiâ ſupra modum elatus, ſeculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari, quàm Epiſcopus mavult: per forum magnificè incedens: Epiſtolas legens ac dictans inter ambulandum palam ac publicè; ſtipatuſque maxima hominum multitudine partim præeuntium, partim ſubſequentium: adeò ut ex illius faſtu & arrogantiâ incredibilis invidia odiumque multorum adversùs fidem noſtram conflatum ſit.*

Vanâ ambitione ſe extollebat: *Neque item attinet examinare ambitioſam hominis vanitatem in Eccleſiaſticis conventibus, quam omni ſtudio conſectatur: nihil aliud quàm inanem gloriam captans & pompam affectans, atque hujuſmodi artibus animas imperitorum perterrefaciens. Nam & tribunal & ſublimem thronum, non ut Chriſti diſcipulus ſibi ipſe conſtruxit; & ſecretum, perinde ac ſeculares magiſtratus, ita appellatum habuit. Ad hæc femur manu percutere & tribunal pedibus pulſare ſolitus.*

In concionibus nil quærebat aliud, quàm plauſum & gloriam: *Eos verò qui non laudarent, nec ut theatris fieri ſolet, oraria concuterent, neque unà cum fautoribus ipſius, viris ac mulierculis indecorè auſcultantibus exclamarent, atque exſilirent, ſed cum gravitate ac modeſtiâ, ſicut in domo Dei decet, audirent, increpabat & contumeliis afficiebat.*

Antiquos Doctores contemnebat, ſe Angelum è Cœlo delapſum prædicari à ſuis patiebatur, Pſalmoſque in ſui laudem in Eccleſia cani. Ita proſequuntur in prælaudata Epiſtola iidem Patres: *Et alios quidem legis noſtræ Doctores jam vitâ functos petulanter in concione lacerabat; de ſe autem ipſe magnificè loquebatur, non ut Epiſcopus, ſed ut ſophiſta quidam & impoſtor. Quin etiam Pſalmos in honorem Domini Jeſu Chriſti cani ſolitos, quaſi novellos & à recentioribus hominibus compoſitos abolevit. Mulieres autem magno Paſchæ die in media Eccleſia Pſalmos quoſdam canere ad ſui ipſius laudem inſtituit: quod quidem audientibus horrorem meritò incuſſerit.*

rit. Epiſcopos quoque vicinorum pagorum & civitatum, necnon & Presbyteros aſſentatores ſuos ſubmiſit, qui in ſuis ad populum concionibus eadem de ipſo prædicarent. Etenim Filium Dei de Cælo deſcendiſſe, nobiſcum confiteri renuit .... At verò illi, qui in ejus honorem Pſalmos canunt, & coram populo eum deprædicant, ipſum, quem impietatis Doctorem habuerunt, Angelum eſſe dicunt è Cælo delapſum. Sic perfidus iſte, dum Chriſtum non de Cœlo deſcendiſſe, ſed de terra ortum (ut videbimus) aſſerebat, ſe ipſum Angelum è Cœlo delapſum prædicari à ſuis volebat.

Moribus etiam turpis, mulieres ſubintroductas duas ipſe habebat, & ſuis alias habere concedebat, ut præfati Patres his verbis narrant: *Quid hìc referre attinet ſubintroductas, ut Antiocheni ajunt, mulieres, tam ipſius quàm Presbyterorum ejus ac Diaconorum? In quibus non hoc ſolùm, ſed etiam alia inſanabilia crimina, quorum conſcius eſt, & quorum ipſos reos eſſe convicit, nihilominus tegit ac diſſimulat, ut illos ſibi obnoxios habeat: utque dum ſibi ipſis metuunt, ipſum ob ea quæ impiè agit ac loquitur accuſare non audeant. Ad hæc divitiis eos locupletavit. .. Itaque etiamſi quis concesſerit, nihil ab eo turpe committi, ſuſpicionem tamen quæ inde naſci poteſt, vitari oportebat, ne quemquam offenderet, neve aliquos ad imitationem ſui provocaret. Quo enim modo increpabit alium, & admonebit, ut à frequentiori mulieris conſuetudine abſtineat, ne fortè corruat, ſicut ſcriptum eſt, is qui unam quidem jam dimiſit, duas verò ætate florentes, & formâ conſpicuas ſecum habet, & quocumquè proficiſcitur ſecum ducit: idque deliciis diffluens, ſeſeque ingurgitans?* His & aliis in Epiſtola Synodica apud Euſebium L. 7. Hiſt. c. 30. Patres Antiochenæ Synodi rationem reddunt, cur Paulum non Paſtorem, ſed furem & latronem, oves nedum pravis moribus ſed impiâ doctrinâ ſeducentem, ab Epiſcopatu depoſuerint, & alium loco ejus ſubſtituerint.

III. Propterea addunt: *Verùm de his ſicut antea diximus, examinaverit fortaſſe aliquis & in judicium vocaverit hominem Catholicæ profeſſionis, nobiſque fidei ac miniſteriis ſocietate conjunctum. Ab hoc verò, qui prodito atque ejurato religionis noſtræ myſterio, ad exſecrandam tranſgreſſus hæreſim Artemæ (quidni enim parentem illius vobis tandem indicimus?) in ea ſe plurimùm jactavit: ab hoc, inquam rationem eorum omnium exigendam eſſe non exiſtimamus.... Hunc igitur Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, cùm à communione noſtra abdicaſſemus, neceſſe habuimus alium ejus loco Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum ordinare, non abſque Divinâ, ut credimus, providentiâ: Demetriani ſcilicet beatæ memoriæ Epiſcopi, qui ante hunc magna cum laude camdem rexit Eccleſiam, filium Domnum, virum*

virum omnibus, quæ Epiſcopum decent, dotibus exornatum. Quod quidem idcircò vobis ſignificavimus, ut & ad eum ſcribatis, & ab eo communicatorias literas accipiatis. Hic verò ad Artemam ſcribat, ſi lubet; & qui Artemam ſectantur, cum eo communicent. Ita claudunt Epiſtolam Synodicam Patres Antiocheni.

IV. Ex qua apparet, Paulum Samoſatenum, tum ob mores Epiſcopo indignos; tum, & maximè propter hæreſim, ab Epiſcopatu Antiocheno in Synodo ibi coacta dejectum fuiſſe, & in ejus locum ſubſtitutum Domnum. Notandum tamen, duas contra ipſum Synodos Antiochiæ convocatas fuiſſe. Prima fuit anno 264. Dionyſio Romano Pontifice, Gallieno imperante, de qua Euſebius L. 7. Hiſt. cap. 27. & 28. qui ad eam plurimos undique Epiſcopos conveniſſe refert, inter quos S. Gregorium Neocæſarienſem, & Athenodorum ejus fratrem, Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, Helenum Tarſenſem, Nicomam Iconii, Hymeneum Jeroſolymorum, Theotecnum Cæſareæ in Paleſtina, & Maximum Boſrorum. Valetudine & extremâ ſenectute coactus S. Dionyſius Alexandrinus intereſſe non potuit; literas tamen dedit ad Patres, quâ ſuam de Paulo & ejus errore ſententiam aperiebat. Accuratè à Patribus in Pauli fidem inquiſitum eſt, & contra ipſum accuſationes ſuſceptæ ſunt; ſed iſtis Catholicæ fidei ſimulatione & emendationis ſpecie vaferrimus hæreſiarcha illuſit. Ita præter Euſebium citatum refert etiam Theodoritus L. 2. Hæret. Fab. c.8. dicens: Patres qui convenerant *primùm quidem ſuaſionibus & exhortationibus conati ſunt, Paulum ab improba opinione abducere. Poſtquam autem ille apertè negavit ſe tale quid ſenſiſſe, ſed ſe Apoſtolica decreta ſequi dixit, laudato pro concordia & conſenſione Domino, ad ſuos greges redierunt.*

V. Sed cùm procedente tempore fama ubique pervaderet, Paulum in pejus declinaſſe; & monitis quibus per literas, ut ad ſe rediret, hortati fuerant, nihil prodeſſe viderent, Antiochiam rursùs redierunt, ubi præmiſſis iterum lenibus adhortationibus, quibus ei pacta quibus ſe obſtrinxerat in memoriam ei revocare conati ſunt: ſed inſtante populo, eumque accuſante, convenerunt in Concilium, ubi à Malathio (vel Malchione) quodam viro eruditiſſimo Paulus convictus, à communione abſciſſus, & Epiſcopatu dejectus fuit. Hæc fuit ſecunda Synodus contra Paulum Samoſatenum, & quidem decretoria, Antiochiæ congregata anno Domini 270., in Petri Cathedra adhuc Dionyſio ſedente, & Aureliano Imperium conſecuto. De qua præter Theodoritum laudatum, Euſebius L.7. c. 29. ait: *Hujus* (Aureliani) *temporibus poſtrema Synodus innumerabilium ferè Epiſcoporum congregata eſt: in*

qua author ille nefariæ apud Antiochiam hæreſeos Paulus, convictus, & ab omnibus manifeſtiſſimè deprehenſus falſi dogmatis reus, ab univerſa, quæ ſub cælo eſt, Eccleſia Catholica eliminatus eſt. Præcipuè verò illum coarguit, & latere cupientem confutavit Malchion quidam, vir diſertiſſimus: quippe qui ſophiſticæ apud Antiochiam ſcholæ præfuerat: & qui ob fidei Chriſtianæ ſinceritatem in ejus loci Eccleſia presbyterii honorem erat conſecutus. Hic igitur adversùs Paulum ſuſceptâ diſputatione, excipientibus cuncta notariis (quæ quidem diſputatio etiamnum conſtat) occultos hominis ſenſus fraudeſque detegere ſolus omnium valuit.

VI. Ex hac ſecunda Synodo ſcriptæ fuerunt literæ, de quibus ſupra (Euſebio teſte c. 30.) ad Dionyſium Romanæ Urbis Epiſcopum, & ad Maximum Alexandrinum; quas & ad omnes Provincias tranſmiſerunt, de geſtis contra Paulum Samoſatenum ejuſque vitâ, moribus, ac hæreſi; ob quæ eum anathemate & depoſitione mulctarant. At quis hic Pauli inverecundiam non deteſtetur? Jam à fide ſimul & Epiſcopatu exciderat, jam Domnus Antiochenſis Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſceperat: *Sed cum Paulus è domo Eccleſiæ nullatenus excedere vellet; interpellatus Imperator Aurelianus, rectiſſimè hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Chriſtianæ religionis Antiſtites, & Romanus Epiſcopus ſcriberent. Hoc modo vir ſupra memoratus cum ſummo dedecore per ſecularem poteſtatem ab Eccleſia exturbatus eſt.* Ita Euſebius dicto cap. 30., cujus facti memini ſupra Tom. 6. agens de Aureliani Perſecut. cap. 12. §. 1.

VII. Lambertus Danæus Opuſc. de Hæreſ. c. 44. hinc arripit occaſionem ſe ipſum ac prætenſos Reformatores ſuos fortè excuſandi, ſi in ſui tutamen & auxilium ſecularem Principum poteſtatem implorarunt „ Nec enim (inquit) in publicæ pacis tranquillitate tuenda, Imperatoris quamquam Ethnici, auxilium implorare boni illi & Chriſtiani viri & ſubditi dubitarunt: quod nobis poteſt prodeſſe ad exemplum, ut in Chronicis ſuis annotat D. Philippus Melanchton „.

Sed Melanchtonem, & Danæum in meridiana luce cæcutire nemo non videt, dum in ſui præſidium trahunt exemplum quod facto ſuo apertè reſiſtit: nam ibi Epiſcoporum Synodus potentiam Imperatoris Ethnici imploravit, ut Paulum jam Eccleſiæ Catholicæ decreto ut hæreticum ab Epiſcopatu dejectum, ſed contumacem, ad obediendum cogeret; quod Eccleſia Catholica contra Donatiſtas, & alios ſimiles agere conſuevit. At hic, non Epiſcoporum cœtus, ſed pauci, privati, & rebelles homines in ſuæ contumaciæ præſidium contra Eccleſiam Principes armarunt, & in ſuum

Digitized by Google

ſuum errorem traxere. Ibi Princeps quamquam Ethnicus, ad obediendum Eccleſiæ coegit, & cauſam Epiſcopis & Romano Pontifici adjudicavit. Hic Principes ante Catholici ab Eccleſiæ rebellibus ſeducti, & in hæreſim eorum tracti, eorum rebellionem tuiti ſunt, & adhuc tuentur, contra Catholicam Fidem, contra Epiſcoporum decreta, & maximè contra Romanum Pontificem, quem ab Eccleſia tollere totum eorum ſtudium eſt. Aptum quidem pro Danæo & ſuis fuiſſet exemplum, ſi Paulus ut Eccleſiæ judicium declinaret Aureliani præſidium imploraſſet, & iſte ei contra Eccleſiam patrocinium præbens in ſua rebellione tuenda præſto fuiſſet. Debuiſſet ergo Danæus ad exemplum potiùs Arianorum, & aliorum confugere: hi enim ut judicium Nicæni Concilii irritum redderent, Conſtantis & Valentis Imperatorum patrocinio ſe munierunt. Sed de hoc ſatis.

VIII. Porrò ſi Paulo jam hæretico Imperatoris Aureliani defuit præſidium, ei tamen Zenobiæ Reginæ auctoritas multum contulit. Cùm enim eo tempore, ut ſcribit Theodoritus Lib. 2. Hær. Fab. cap. 8., Perſæ victis Romanis Syriæ ac Phœniciæ regimini iſtam præfeciſſent, quæ Judæorum religionem profitebatur, Paulus licèt jam Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, homo tamen aulæ magis quàm Eccleſiæ ſervire volens, ejus ſibi conciliandi gratiam ſtudio, hæreſim quæ ei ac Judæis placeret excogitavit, cœpitque clam aſſerere, ſe idem de Chriſto ſentire quod Zenobia ipſa, & Judæi ſentiebant, nimirùm eſſe purum hominem, nec ante Mariam extitiſſe. Expendens hoc S. Jo. Chryſoſt. Homil. 7. modò 8. in Joann. *Quamobrem*, inquit, *mirari ſemper ſubit Pauli Samoſateni inſaniam, quomodo tam manifeſtæ veritati obſiſtere potuerit, ſeſeque ſponte præcipitem dederit. Neque enim ex ignorantia, ſed rei admodum gnarus erravit, non ſecus ac Judæi. Quemadmodum enim illi, ut hominibus aſſentarentur, ſanam prodidere fidem, gnari ipſum Unigenitum Dei eſſe, principum verò metu id non confitentes, ne ex Synagoga ejicerentur; ita & illum in mulieris cujuſpiam gratiam ſalutem ſuam inquiunt prodidiſſe.*

§. II.

Pauli Samoſateni errores.

I. PRimum erroris caput Pauli Samoſateni fuit, quòd Chriſtus non ſemper fuit, nec ante Mariam extitit, Verbum tamen & Sapientiam in eo habitare dicebat: ſed quæ tunc ſolùm ſubſiſtentiam habere cœperint à Patre diſtinctam, cùm in utero Vir-

ginis Chriſtus formatus eſt. Hâc enim temporali miſſione & externâ prolatione Verbum evaſiſſe Filium. Cæterùm licèt recens eſſet ac novellus Deus, prædeſtinatione tamen æternum fuiſſe. Ita eiſdem ferè verbis S. Athanaſius L. de ſalutari Chriſti adventu: *Paulus*, inquit, *Samoſatenſis Deum ex Virgine confitetur: Deum ex Nazaret viſum, ac qui indè cum exiſtendi, tum regnandi initium duxerit: Verbumque eſſe ex Cœlo efficax, in quo Sapientiam eſſe confitetur: quod præfinitione quidem ante ſecula ſit; exiſtentiâ verò ex Nazaret ſit editum, ut Deus, inquit, unus ille ſit, qui ſuper omnia Deus eſt Pater*. Et Antiochenæ ſecundæ Synodi Patres in Epiſtola ſua Synodica ſupra relata apud Euſebium Lib. 7. Hiſt. cap. 30. *Etenim*, inquiunt, *Filium Dei è Cœlo deſcendiſſe nobiſcum confiteri renuit... Neque id ſimplici aſſertione noſtrâ, ſed ex his, quæ ad vos miſimus, geſtis non ſemel declaratur: maximè verò ubi dicit, Jeſum Chriſtum de terra ortum fuiſſe*.

II. Apertiùs autem hunc Pauli errorem exponit Epiphanius Hær. 65. num. 1. his verbis: *Eſt autem illius hæc opinio: Deum Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum unum eſſe Deum. Verbum Dei ejuſque Spiritum ineſſe Deo perpetuò, ſicut hominis in corde proprium verbum ineſſe cernimus. Filium Dei ſubſiſtentiam habere per ſe ſe nullam, ſed in Deo ſubſiſtere: id quod Sabellio quoque placuit, & Novato & Noeto, aliiſque nonnullis: quamquam non eodem cum iſtis modo: ſed diverſo quodam ille ſentiat. Ad hæc Dei Verbum in terras delapſum, in Jeſu, qui homo merus eſſet, habitaſſe. Ita unus, inquit ille, Deus eſt: neque aut Pater eſt Pater, aut Filius Filius, aut Spiritus Sanctus Spiritus eſt Sanctus. Imò verò Deus unus eſt Pater, & hujus in ipſo Filius, ut eſt in homine ſermo*. Quod iterum exponens num. 3. de Paulianis: *Verbum*, inquit, *tale eſſe putant, quale in hominis eſt pectore, & ejuſmodi Sapientiam, qualem in animo quilibet hominum inſitam à Deo infuſamque poſſidet. Quare unam eſſe Dei Verbique perſonam exiſtimant, non ſecus atque homo unus eſt cum Verbo ſuo*. Ita cum Paulo delirabant inſani homines.

III. Ex his apparet, Paulum cum Sabellio & Noeto Perſonarum Trinitatem à Deo amoviſſe, ab eis tamen diſcrepaſſe, ait Epiphanius num. 1. *Neque verò cum Noeto Patrem ille paſſum eſſe definit. Sed ſolum, inquit, adveniens Verbum, totum illud adminiſtravit, & ad Patrem revertit*. Quod explicatiùs tradit Leontius L. de Sectis act. 3. his verbis: *Paulus autem Samoſatenus ſubſiſtentem per ſe Dei ſermonem in Chriſto fuiſſe non dicebat: ſed volebat, ſermonem eſſe juſſum quoddam ac mandatum: hoc eſt, juſſit Deus (ut ipſe loquebatur) fieri per illum hominem quod volebat: idemque per illum condebat. Nec erat eadem Pauli de Divinitate ſententia, quæ Sa-*

Digitized by Google

Sabellii. Nam Sabellius eundem dicebat eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Deumque trini nominis appellabat, nullam prorſùs Trinitatem ſtatuens: Paulus verò non eumdem dicebat eſſe Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum: ſed Patrem ajebat illum eſſe Deum, qui omnia creaſſet; Filium purum illum hominem; Spiritum, illam gratiam quæ ſuper Apoſtolos venerit. Ita Leontius.

IV. Ne autem videatur Leontius in hoc contrarius eſſe Epiphanio, conſiderandum cenſerem, Verbum & Spiritum ſumi poſſe dupliciter, nempè ut ſunt in mente & corde Dei: & hoc modo dicit Epiphanius Verbum Dei ejuſque Spiritum ineſſe Deo perpetuò, ſicut hominis in corde proprium verbum & ſpiritum ineſſe cernimus, & hoc modo dicebat Paulus Verbum & Spiritum unam eſſe Dei ac Verbi perſonam, ſicut homo unus eſt cum verbo ſuo. Alio modo ut Verbum eſt exteriùs prolatum, & Spiritus externè ſpiratus, & hoc modo Verbum & Spiritus à dicente & ſpirante diſtinguuntur. Unde quia Paulus dicebat Verbum in Chriſto inhabitans, & Filium Dei ipſum conſtituens, eſſe Verbum à Deo exteriùs prolatum, ideò dicebat Chriſtum eſſe purum hominem, nec ante Mariam extitiſſe. In quo à Sabellio diſſidebat, quia Sabellius ponebat Patrem, qui & Filius, immediatè per ſuam ſubſiſtentiam unitum & incarnatum fuiſſe in Chriſto Jeſu, & ideo patiente Jeſu Patrem fuiſſe paſſum. At Paulus ponebat, Deum Patrem non immediatè per ſuam ſubſiſtentiam unitum fuiſſe Chriſto, ſed ſolùm per Verbum temporaneè prolatum & in Jeſu ab ortu ſuo inhabitans, nec ipſo patiente fuiſſe paſſum, ſed ab eo abſceſſiſſe, & ad Deum Patrem reverſum fuiſſe, ut ex Epiphanio ſupra dixi.

V. Conſtat hoc ex Philaſtrio Hæreſ. 64. ubi ait: *Paulus quidam fuit Samoſatenus in Syria, qui Verbum Dei ideſt Chriſtum Deum Dei Filium ſubſtantivum ac Perſonalem & ſempiternum eſse cum Patre denegabat: prolativum autem, ideſt quaſi aera quendam dicebat, non tamen perſonam vivam Filii ſempiternam cum ſempiterno Patre credendam docebat. Hic Chriſtum hominem juſtum, non Deum verum prædicabat, Judaizans potiùs* &c. Marius quoque Mercator Diſſert. de 12. Anathematiſmo Neſtorii de Paulo Samoſateno: *Verbum autem*, inquit, *Dei Patris non ſubſtantivum, ſed prolativum, vel imperativum ſenſit, atque pronuntiavit, non ut fides habet Catholica, Verbum in ſubſtantia, vel eſsentia conſubſtantivum, ideſt* Homouſion *Filium Dei Patris*.

VI. Ex Artema, ſeu Artemone, ut dixi, hanc hæreſim hauſiſſe Paulum, Synodus Antiochena tradit: quod & S. Auguſtinus L. de Hæreſ. c. 44. confirmat dicens: *Pauliani à Paulo Samoſateno Chriſtum non ſemper fuiſse dicunt, ſed ejus initium ex quo de Maria natus*

natus eſt, aſſeverant; nec eum aliquid ampliùs, quàm hominem putant. Iſta hæreſis aliquando cujuſdam Artemonis fuit; ſed cùm defuiſſet, inſtaurata eſt à Paulo. Artemon iſte ſeu Artemas de quo Euſebius L. 5. Hiſt. c.28. circa annum Domini 220. hæreſim ſuam ſpargere cœpit de Chriſto puro homine, cujus ſemina paucos poſt annos ſuſcepta Paulus Samoſatenus reviviſcere fecit. Artemon autem ab Ebione, Cerintho, Carpocrate, Theodoto, Montano, qui omnes Chriſto Divinitatem eripuerunt, purum hominem eſſe dicentes, hunc errorem accepit, eumque in Samoſatenum transfudit, à quo deinde in Photinum, & alios mutato nomine peſtifera hæc lues pertranſiit.

VII. Quamvis autem errorem iſtum agens contra præfatos hæreticos Paulo antiquiores non ſemel impugnaverim: ſpecialiter tamen, ut ab ipſo aſſertum ex Epiphanio num. 3. aggredi placet: quòd enim dicebat Divinum Verbum fuiſſe ſemper quidem in Patre, non tamen à Patre ut Perſonam ab eo diſtinctam, opponitur Evangelio Joannis c. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* &c. Epiphanius: *Si enim*, inquit, *in principio Verbum erat, & Verbum erat apud Deum, hoc ipſum quod dicitur* eſſe, *non ad ſolam prolationem, ſed ad hypoſtaſim par eſt pertinere. Ac ſi* Verbum erat apud Deum, *non poteſt Verbum ille eſſe apud quem erat. Neque enim apud quem erat, eſt Verbum. Quòd ſi Verbum illud velut in corde Deus continet, nulloque modo genitum, quínam illud impleri poteſt quod legitur*, erat; *itemque* Deus erat Verbum? *Non enim verbum hominis homo eſt apud hominem, quod neque vivit, neque ſubſiſtit; ſed viventis ac ſubſiſtentis quidam cordis motus eſt, non hypoſtaſis: ſimul enim profertur, ſubinde nuſquam eſt: ac tamdiù dum pronuntiatur permanet. At Dei Verbum perinde ſe habet ac per os Prophetæ Spiritus Sanctus pronuntiat* (Pſalm.118. v. 89.),, Verbum tuum in æternum permanet ,,.

VIII. Hoc ergo *Verbum quod erat*, ideſt ſubſiſtebat, à Deo genitum ſinè initio ullo ac tempore à Patre Unigenitum in Chriſto incarnatum, idem Joannes dicit: *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Verbum ergo in Chriſto inhabitans non eſt verbum prolatitium & temporaneè emiſſum, ſed Verbum ab æterno à Patre procedens, & propriâ hypoſtaſi à Patre diſtinctum. Quo penitùs confoditur Pauli Samoſateni error dicentis, in Chriſto non eſſe Verbum & Filium Dei, niſi per gratiæ effuſionem. Quod Chriſtus ipſe falſitatis convicit cum Marci 14. v. 61. à Summo Sacerdote interrogatus: *Tu es Chriſtus Filius Dei bene-*

benedicti? Reſpondit: *Ego ſum*. Et Joann. 8. v. 56. cùm dixiſſet Jeſus Judæis: *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*. Et Judæi ei dicerent: *Quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidiſti?* Reſpondit Jeſus: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum*. Si ergo Chriſtus ante nativitatem ex Maria non extitit, quomodo verum eſt, quod dixit: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, cùm Abraham Chriſti ſecundùm carnem nativitatem plus mille annis præceſſerit? Et cùm alibi vocetur filius Abraham, nec ſit poſſibile, ut filius ſit ante patrem, neceſſe eſt dicere in Chriſto eſſe aliam naturam, ſecundùm quam filius Abrahæ non ſit, & prior illo ſit. Hæc pro nunc ſufficiant, quia Pauli, ac ſui ſimilium jugulum petunt.

IX. Non ſolùm autem in fidei profeſſione, ſed etiam in formula Baptiſmi errorem ſuum de Trinitate exprimebant Paulianiſtæ (hoc autem an ab ipſo Paulo acceperint, incertum eſt) Quare in Concilio Nicæno an. 19. ſtatutum fuit, Paulianiſtas ad Eccleſiam Catholicam redeuntes omninò rebaptizari debere. Quod confirmat S. Auguſtinus L. de Hæreſ. c. 44. dicens: *Iſtos ſanè Paulianos baptizandos eſſe in Eccleſia Catholica Nicæno Concilio conſtitutum eſt. Unde credendum eſt, eos regulam baptiſmatis non tenere, quam ſecum multi hæretici cùm de Catholica diſcederent abſtulerunt, eamque cuſtodiunt.*

X. Alium errorem Paulo Samoſateno tribuit Philaſtrius Hæreſ. 64. nempè docuiſſe, Circumciſionem neceſſariam eſſe Chriſtianis, & hoc in gratiam Zenobiæ Reginæ in Judaiſmum propenſæ, cujus, ut dixi, patrocinium ambiebat. At licèt negando Divinitatem Chriſti & proceſſionem Verbi à Patre, Judæis ſuffragari Paulus viſus ſit, eum tamen Circumciſionem neceſſariam docuiſſe Chriſtianis, nemo Veterum præter Philaſtrium ſcripſit. Imò Epiphanius, qui Hæreſi 65. num. 2. Paulianos Chriſtum Deum de Deo negantes alteros Judæos appellat, eos tamen Circumciſionem & legalia obſervaſſe negat. Ejus hæc verba ſunt: *At iſti Judaicam opinionem interpolantes, neque quicquam iis habentes amplius, Judæi alteri nominandi ſunt & Samoſateni; neque aliud omninò ſunt, ac ſolùm nomen Jeſu præ ſe ferunt. Nam cùm Deum ex Deo, unigenamque Filium, ac Verbum abnegent, ejuſmodi ſunt, quales ii fuerunt, qui præſentem illum ejurarunt, hoc eſt Dei ac Domini parricidæ, & ejuſdem Dei negatores. Quamquam neque Circumciſionem adhibent, neque Sabbatum, alioſve Judæorum ritus obſervant*. Hæc Epiphanius.

XI. Hujus hæreſis nomen parùm duravit, diù tamen error, & adhuc durat. Ita Lambertus Danæus c. 44. de ea agens „ Diutiſſi-

Digitized by Google

„ tiſſimè, inquit, ſed interpolato & mutato poſtea nomine permanſit, quando Ariani ipſi fuerunt hujus radicis amariſſimæ tantùm ſurculi quidam, vel rivuli malè illi quidem & fœdè olentes. Latiſſimè verò diſſeminata eſt, quando Arianiſmus & Mahumetiſmus, qui ſunt indè orti, ſe ſe poſtea in univerſum terrarum Orbem diffuderunt, & omnia contaminarunt. Diutiſſimè quoque perſtitit, quando etiam nunc durat plus quàm 1343. annis poſtquam primùm nata eſt „.

XII. Sed, inquies, apud quos adhuc durat? Danæus non dicit: dicam ego. Durat apud aliquos ſuæ Pſeudo-reformationis malè olentes rivulos. Eam ab inferis excitarunt ſeculo ſextodecimo Antitrinitarii duce Serveto natione Hiſpano patriâ Tarraconenſi, Anabaptiſtâ priùs, deinde in Trinitatem adeò blaſphemo, ut propterea, inſtigante ipſo Calvino, Genevæ igne conſumtus fuerit: cum eo tamen hæreſis conſumta non fuit: Poloniam enim, Tranſylvaniam, & Hungariam invaſit propagatoribus præcipuis Valentino Gentili Neapolitano, qui ſuas etiam impietates addidit, Georgio Blandrata, Alciato, Ochino, Gribaldo & Franciſco Davide & aliis, quorum omnes Bezâ teſte infelici exitu vitam finierunt; atque utinam finiiſſet error.

Impietate tamen celebres fuere Lelius & Fauſtus Socini Patruus & Nepos, uterque Senis in Etruria oriundus: unde eorum Secta adhuc durans etiamnum appellatur Socinianorum. Plures evomit impietates tum contra Trinitatem, in Deo unam tantùm perſonam ponens, quaſi repugnet Deum eſſe unum & plures in eo perſonas eſſe: Filium Dei appellari metaphoricè Deum ob ſublimem poteſtatem ipſi à Deo vero participatam, nec Spiritum Sanctum eſſe perſonam, ſed Dei virtutem & efficaciam. Tum contra Chriſtum aſſerens, eum ſecundùm perſonam eſſe verum hominem Divinâ filiatione ob ortu inſignitum: ante Virginem Mariam tamen non extitiſſe. Incarnationem etiam evertens dum ait, Deum naturam humanam in unitatem perſonæ minimè aſſumſiſſe. Ecce Paulum Samoſatenum ejuſque errorem in Socinianis redivivum. Hi ſunt amariſſimi fructus, qui ex mala prætenſæ Reformationis (veriùs deformationis ac deſtructionis) Catholicæ Eccleſiæ arbore prodiere, ac in dies pejores prodeunt. Sed de his modò agere meum non eſt, maximè cùm in Vera Eccleſia & alibi ſatis dixerim.

CA-

CAPUT XLI.

De Photino & Photinianis.

§. I.

De Marcello Ancyrano.

I. DUm Photinum cum S. Auguſtino cap.45. Paulo Samoſateno immediatè ſubjungimus, ſimilitudinem erroris, non ordinem temporis attendimus, cùm inter utrumque plures hæretici diverſa ſentientes interceſſerint. Ita laudatus S. Doctor: *Photinus ab Epiphanio non continuò poſt Paulum, ſive cum Paulo, ſed aliis interpoſitis ponitur. Non tacetur ſanè ſimilia credidiſſe: ſecundùm aliquid tamen adverſatus ei dicitur; ſed quid ſit ipſum aliquid, omninò non dicitur. Philaſter autem continuatim ponit ambos ſub ſingulis & propriis numeris, quaſi hæreſes duas, cùm dicat Photinum in omnibus Pauli ſecutum eſſe doctrinam.* Re verâ autem ita ſe habet. Nam Philaſter Photinum ponit immediatè poſt Paulum: Epiphanius verò inter utrumque medios ponit Manichæos, Hieracitas, Meletianos, Arianos, & Audianos. Quo fit, ut Epiphanius obſervare voluerit ordinem temporis, Auguſtinus verò ſimilitudinem dogmatis. Quia enim tetrum Samoſateni errorem Photinus renovavit, propterea hunc illi ſubjecit Auguſtinus, quod & Philaſtrius præſtitit.

II. Hæreſis iſta à Photino Photiniana, à Marcello autem Photini præceptore Marcelliana etiam dicta fuit. Marcellus iſte Ancyræ, quæ minoris Galatiæ civitas eſt, Epiſcopus erat Conſtantino Magno imperium tenente. Accidit ut Aſterius priùs in Cappadocia Rhetoricam docens, eâ relictâ ſe Chriſtianum profeſſus, Libros ſcribere aggreſſus ſit, quibus Arii dogma aſſerebat, Chriſtum dicens eſſe virtutem Dei, eo modo, quo locuſta & bruchus apud Moyſen virtus Dei eſſe dicitur, aliaque his ſimilia. Verſabatur autem Aſterius cum Epiſcopis Ario faventibus, eorumque Synodos frequentabat, ad Epiſcopatum quempiam arrepere cupiens. Verùm nec Sacerdotium quidem potuit conſequi, eo quòd perſecutionis tempore idolis ſacrificaſſet. Urbes autem Syriæ peragrans, libros quos compoſuerat, publicè recitabat. Hoc comperto Marcellus adversùs eum ſcribere aggreſſus eſt: ſed dum nimio contradicendi æſtu fertur, in contrarium errorem delabitur: dum Chriſtum perinde ac Paulus Samoſatenſis nudum hominem eſſe non dubitavit aſſerere.

III. Hoc cùm reſciviſſent Epiſcopi, qui tunc erant Jeroſolymis congregati, Aſterii quidem nullam rationem habuerunt; quippe qui in ordinem Sacerdotii adſcriptus non eſſet; à Marcello verò utpotè Sacerdote exegerunt, ut libri à ſe conſcriptionem redderet: & comperto, illum errore Pauli Samoſatenſis implicatum eſſe, juſſerunt, ut mutaret ſententiam. Ille pudore ſuffuſus librum ſuum ſe combuſturum promiſit. Verùm Concilio cum feſtinatione dimiſſo, eo quòd Imperator Epiſcopos Conſtantinopolim evocaſſet, ibi Marcelli cauſa iterùm diſcuſſa eſt. At cùm ille improbum librum comburere, ut promiſerat, recuſaret, Epiſcopi qui aderant eum depoſuerunt, & Ancyram ejus loco Baſilium miſerunt. (Hic Marcelli liber tribus voluminibus ab Euſebio Pamphili confutatus legitur ad calcem Demonſtrationis Evangelicæ) Marcellus verò poſtea in Synodo Sardicenſi Epiſcopatum recuperavit, cùm diceret, ex malo intellectu ſui libri proceſſiſſe, ut in ſuſpicionem erroris Pauli Samoſatenſis ipſe veniſſet. Hæc habet Socrates L. 1. Hiſt. c. 36. & Sozomenus L. 2. c. 33. ubi ait: *Quod quidam ajebant, à Marcello inquirendi gratiâ iſta dicta eſſe, & ab Euſebianis calumnioſè ad Imperatorem delata, quaſi Marcellus ita aſſeveraſſet. Etenim Euſebiani admodum illi infenſi erant, eo quod iis quæ in Synodo Tyri decreverant minimè conſenſiſſet, nec iis quæ Jeroſolymis de Ario conſtituta fuerant acquieviſset, nec Dedicationi magni Martyrii interfuiſſet, ipſorum ſcilicet communionem devitans. Denique ſcriptis ab eodem Marcello literis ad Imperatorem, iſta quoque criminati ſunt, quaſi & Imperator ipſe ab illo contumeliâ affectus fuiſset* &c.

IV. Hæc in Marcelli defenſionem afferebantur, quaſi ejus depoſitio non ex errore quem re verâ profiteretur proceſſiſſet, ſed ex mala doctrinæ intelligentia, quam Euſebianorum invidia ejus libro affingebat, ideoque veritate detectâ in Synodo Sardicenſi Epiſcopatui reſtitutus fuit. Quid autem re verâ Marcellus in animo habuerit, ſolus Deus novit: *Cæterùm* (inquit Epiphanius Hæreſ. 72. quam de Marcellianis inſcribit num. 1.) *illius ſectatores cùm ejus mentem ignorarent, nec quæ verè ſenſiſſet exprimerent, tres hypoſtaſes confiteri noluerunt, uti veritas docet: quæ unam cenſet Divinitatem, unamque gloriam & conſubſtantialem Trinitatem: quæ nihil in gloria ſua diverſum habeat: utpote perfecta Trinitas & una Divinitas, una virtus, una eſſentia: neque in unum contracta, aut confuſa, nec ulla ſui parte inferior, aut ſubjecta.* Hæc Epiphanius, propterea Marcellianos inter hæreticos recenſens.

V. An verò Marcelliani hæc acceperint à magiſtro, diſquiritur. Marcellum certè de fide Trinitatis ſuſpectum fuiſſe, teſtatur Epi-

Epiſtola, quam ipſe pro ſui purgatione ad Julium Romanum Epiſcopum ſcripſit: *Etenim*, inquit Epiphanius ibidem, *ſi nihil ab illa diverſum ſenſiſset unquam, cujuſdam rei gratiâ hanc ille ſui purgationem inſtitueret; niſi quædam ab illo parùm rectè poſita ac pronuntiata forent, quæ cùm aliquos perturbaſsent, defendendi ſui atque excuſandi neceſſitatem attulerint?* Teſtatur Acacii liber contra ipſum (apud Epiphanium) quo venenum ejus doctrinæ detegere ſatagit; ac denique teſtatur liber ab ipſo conſcriptus, & ab Euſebio refutatus. Unde Baſilius Epiſt. 52. ad Athanaſium, ut refert Baronius ad ann. 347. num. 56., eum de hæreſi contra Verbum & Chriſtum accuſat. Nec negotium faceſſit, quòd Synodus Sardicenſis ipſum velut ab errore immunem Epiſcopatui reſtituerit; Nam hoc fuit, quia errorem quem corde retinebat, vaferrimè occultavit, & ſic Synodo fucum fecit; ſicut Arius & Ariani Nicænæ facere tentarunt, qui poſtea ad ſua reverſi, quaſi triumpho reportato, errorem publicè profeſſi ſunt. Ita de Marcello crediderim. Unde Epiphanius ait: *Marcellus autem nonnullorum ſententiâ, cùm aliquid amplius his aſtruere vellet, in Sabellii errorem incidiſſe viſus eſt. Ex quo factum eſt, ut inter hæreſes iſta quoque recenſenda & confutanda veniret.*

VI. Scio, aliquos etiam ex Recentioribus, inter quos Natalis Alexandre Hiſt. Eccl. Seculi 4. Diſſert. 30., contendere Marcellum ab omni errore immunem fuiſſe, & jure à Concilio Sardicenſi abſolutum. Sed ſcio etiam, quòd ex veteribus Patribus Baſilius Epiſtola 52. Ep. 74. & præcipuè Ep. 78. dicit: *Quamobrem & Marcellus impiè ſentiens contra perſonam Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac nudum illum eſſe Verbum exponens, illinc auſus eſt ſe impietatis hujus cauſas ſumſiſſe prætexere, malè videlicet* tu Homouſiu *intellectu expoſito*. S. Hieronymus L. de Script. cap. 86. *Sed & Hilarius in 7. adversùs Arianos libro nominis ejus quaſi hæretici meminit*. Imò idem S. Hilarius in fragmentis teſtatur, Marcellum in eam hæreſim lapſum eſſe, quam propugnavit Photinus; & propterea Sanctum Athanaſium ab ejus communione ſe ſeparaſſe. Quod confirmat Sulpicius Severus Lib. 2. Hiſt. num. 53. apertè dicens, quòd *Marcellus Sabellianæ hæreſis auctor extiterat*. S. Jo. Chryſoſt. in Epiſt. ad Hebræos, Marius Victorinus L. 1. adversùs Arium Photino Marcellum adjungunt.

Duæ ergo præcipuè Marcelli fuerunt erroneæ hypotheſes. Una: Trinitatem nil aliud eſſe, quàm Deitatis ad modum cujuſdam ceræ liquefactæ extenſionem, quæ pro uſu & œconomia poſteà contraheretur in unum. Ita ex Patris extenſione Filium, & Filii extenſione prodiiſſe Spiritum Sanctum. Eam Theodoritus

L.2. Hæret. Fab. cap. 10. his verbis exponit: *Marcellus autem Galata ei* (Sabellio) *quidem conſimiliter negavit Trinitatem perſonarum: quandam autem extenſionem Patris dicebat ad Chriſtum veniſſe, & eam vocabat Deum Verbum. Univerſâ autem peractâ œconomiâ, eam rursùs retractam, & reverſam eſſe ad Deum, à quo extenſa fuerat. Spiritum autem Sanctum dixit eſſe extenſionem extenſionis, & eam Apoſtolis eſſe exhibitam: & omnino exiſtimabat, Trinitatem & extendi & contrahi pro conſiliorum & œconomiarum diverſitate.* Altera ex præfata conſequens hypotheſis erat, Chriſtum ante præfatam Deitatis extenſionem non exſtitiſſe, ac proinde nudum hominem fuiſſe, in quo cum Paulo Samoſateno ſentiebat.

VII. Hæc & alia ex ipſius Marcelli Libris quos confutavit, Euſebius Cæſarienſis colligit: in eis enim quinque potiſſimùm errores Marcellum protuliſſe notat. Primum; quòd Verbum Dei unam eſſe cum Patre Perſonam ſenſerit. Secundum, quòd ſic aſſumtum hominem dixerit, ut efficientiâ ſolâ & extenſione, ſeu dilatatione Divinitatis ſit Deus. Tertium, quòd poſt reſurrectionem Chriſtus, ſeu Verbum ſcripſerit ad Patrem, ſe deſtitutâ carne ad eum rediturum; quo perpetuum fore Chriſti regnum negabat. Quartum, quòd Verbum ante humanæ aſſumptionem naturæ Filium eſſe Dei inficiabatur, ſed tunc factum fuiſſe Filium Dei contendebat, quando caro factum eſt. Quintum, quòd Verbum ipſum ex ſe imaginem Dei non eſſe diceret, ſed hoc illi propter aſſumtam hominis naturam competere. Hæc Chriſtianæ religionis myſteria funditùs evertentia ex ipſius Marcelli libris refert ac refutat Euſebius in libris duobus contra Marcellum Ancyranum, & aliis tribus de Eccleſiaſtica Theologia inſcriptis, & contra eundem editis. Porrò an tum Euſebius, tum prælaudati Patres calumnioſè, vel ex falſa exiſtimatione hæc Marcello impoſuerint, ut aliqui putant, judicio prudentis relinquam.

§. II.

De Photino, ejuſque damnatione.

I. PHotinus (apud aliquos Patres *Scotinus*, ideſt *tenebroſus*, quod nomen magis quàm Photini, quod ab illuminatione derivatur, illi convenit) natione Galata à Marcello Ancyrano inſtitutus eſt, cùm eſſet junior, ejuſque diſcipulus, & etiam Diaconus aliquando fuit. Ad Sirmienſem poſtea in Pannonia Epiſcopatum promotus fuit; eruditione & facundiâ præſtabat: unde majoris in Eccleſia Catholica tentationis occaſio fuit, ut obſervat Li-

Lirinenſis in Commonitorio num. 11. Ut enim ait Socrates Lib. 2. Hiſt. cap. 18. pravis à Marcello magiſtro ſuo imbutus doctrinis, ejuſque inſiſtens veſtigiis malè de Chriſto aſſerens, cum nudum ac ſimplicem hominem eſſe, ſentire & apud ſuos loqui cœpit, cùmque Græcâ & Latinâ linguâ maximè eruditus eſſet, Ebionis, Sabellii, & Pauli Samoſateni perfidiam gregi ſuo etiam inſinuare, ipſumque à Catholica veritate ſenſim avertere humanæ ſapientiæ artibus aggreſſus eſt. Ita Lirinenſis citato loco de iis loquens qui multis profectibus & multâ doctrinâ præditi, non parvæ tentationi Catholicis extiterunt: *Velut*, inquit, *apud Pannonias majorum memoria Photinus Eccleſiam Sirmitanam tentaſſe memoratur; ubi cùm magno omnium favore in Sacerdotium fuiſſet aſcitus, & aliquandiù tanquam Catholicus adminiſtraret, ſubitò, ſicut malus ille Propheta, aut ſomniator, quem Moyſes ſignificat, creditam ſibi plebem Dei perſuadere cœpit, ut ſequeretur Deos alienos, ideſt errores extraneos, quos ante neſciebat. Sed hoc uſitatum: illud verò pernicioſum, quòd ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat & ingenii viribus valens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens, quippe qui utroque ſermone copioſè & graviter diſputaret & ſcriberet, quod monumentis librorum ſuorum manifeſtatur, quos idem partim Græco partim Latino ſermone compoſuit.*

Sed benè quòd commiſſæ ipſi oves Chriſti multùm pro Catholica fide vigilantes & cautæ, citò ad præmonentis Moyſi eloquia reſpexerunt, & Prophetæ atque paſtoris ſui licèt admirarentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem antea quaſi arietem gregis ſequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt. His indicat Lirinenſis, Photini artes ſaltem initio ad ſeducendos à Catholica veritate Sirmienſes minimè profeciſſe. Nec ſtatim ſe lupum ſuo gregi manifeſtaſſe, ſed ſub ementita Paſtoris ſpecie aliquandiù latuiſſe.

II. Nihilominus, ſi Ruffino credimus, Photini hæreſis ſub Photiniano nomine innoteſcere cœpit, etiam ante Synodum Nicænam, cùm Photinianorum nominis mentio in ea facta fuerit, ut videre eſt in præfatione Concilii Nicæni ex Arabico tranſlata Tom. 1. Conc. Harduini pag. 524. Sed quia nondum tunc radices latè fixerat: ideò ſub Conſtantio Imperatore & Julio Romano Pontifice circa ann. 343. quaſi tunc orta collocatur à Socrate L. 2. Hiſt. cap. 18. ubi ait: *Sirmii, quæ civitas eſt Illyrici, alia hæreſis exorta eſt. Nam Photinus, qui ejus loci Eccleſiis præſidebat, ortus ex minore Galatia, & Marcelli ejus, qui Epiſcopatu dejectus fuerat, olim diſcipulus, magiſtri ſui inſiſtens veſtigiis Filium Dei nudum ac ſimplicem eſſe hominem prædicavit.* Hujus ſcintillæ Sirmii primùm accen-

accenſæ, per Aſiam, & reliquas Orbis regiones magna incendia pepererunt: adeò ut licèt hæreſis iſta Artemonis & Pauli Samoſateni fœtus eſſet, ſub nomine Photini ubique divulgaretur, teſte S. Auguſtino L. de Hæreſ. c.44. dicente: *Iſta hæreſis* (Pauli Samoſateni) *aliquando cujuſdam Artemonis fuit: ſed cùm defeciſſet, inſtaurata eſt à Paulo: & poſtea ſic à Photino confirmata, ut Photiniani, quàm Pauliani celebriùs nuncupentur*.

III. Porrò cùm, ut ait Nicephorus L. 9. Hiſt. cap. 31., hæreſis iſta tum Catholicis, tum Arianis diſpliceret, eo dogmate ubique locorum divulgato, univerſi tam in Oriente, quàm in Occidente Epiſcopi, ſive Nicænam ſequerentur fidem, ſeu Arianam complecterentur ſententiam, graviter id tulere; ac ipſe Imperator Conſtantius, qui tunc Sirmii erat, eo diſſidio non mediocriter eſt commotus. Quare ſuper hoc Concilium ibi coegit. Convenere eò ex Oriente Epiſcopi Marcus Arethuſius, Georgius Alexandrinus, quem Ariani miſerant, Baſilius Ancyranus, Pancratius, Polutius, & Hypatianus Heracleotes. Ex Occidente Valens Murſorum, & Magnus Hoſius Cordubæ in Hiſpania Epiſcopus, qui quidem perinvitus tum Sirmii affuit, Arianorum dolo antea in exilium pulſus, ſed Imperiali Edicto revocatus. Synodus ergo cùm Photinum eundem ac Sabellium Libycum & Paulum Samoſatenum docere errorem manifeſtè deprehendiſſet, ſtatim ei Epiſcopalem abrogavit dignitatem. Quod refert etiam Socrates Lib. 2. Hiſt. cap. 29. addens: *Et hoc quidem tanquam rectè ac jure factum univerſi & tunc & poſtea approbarunt*. Eadem habet Sozomenus Lib. 4. Hiſt. c. 6. Coacta creditur hæc Synodus Sirmii. Damnatus autem ante fuerat Photinus in Concilio Mediolanenſi anno 347., teſte Hilario in Fragmentis.

IV. *Cæterùm* (inquit Sozomenus citato loco) *poſt depoſitionem Photini, Synodus Epiſcoporum experiri conſtituit, utrum ille à priore ſententia deduci poſſet. Sed Photinus, cohortantibus licèt Epiſcopis, & Epiſcopalis loci reſtitutionem ei pollicentibus, ſi opinionem ſuam damnaſſet, ipſorumque fidei expoſitionibus conſentire voluiſſet, minimè acquievit: imò verò eos ad diſputationem provocavit. Itaque cùm ad conſtitutum diem conveniſſent Epiſcopi, præſidentibus ex Imperatoris mandato Judicibus, qui & doctrinâ & dignitate in Palatio præcellere videbantur, partes diſputandi contra Photinum ſuſcepit Baſilius Epiſcopus Ancyræ. Cùmque diſputatio ob varias utriuſque interrogationes ac reſponſiones, longiùs protracta eſſet, Notariis eorum ſermones excipientibus, victoria penes Baſilium ſtetit. Photinus verò exilio damnatus, ne ſic quidem opinionem ſuam tueri deſtitit. Sed libros tum Græco tum Latino ſermone ſcriptos edidit, quibus exceptâ*

ceptâ opinione ſuâ, reliquas omnes falſas eſſe conabatur oſtendere. Hæc Sozomenus; eadem Nicephorus Lib. 9. Hiſt. c. 31. Quæ antea ſcripſerat Epiphanius Hæreſ. 71. num. 1. Ex quibus patet, quòd adeò teter & impius Photini error habitus eſt, ut nec ab Arianis ipſis, quorum non modica pars Sirmienſem Synodum conſtituebat, ſuſtineri potuerit, ac propterea concorditer ad illum cum Auctore ſuo proſcribendum conſpiraverint. Hinc in Conſtit. Juſtiniani L. 1. Codicis inter capitales Fidei Chriſtianæ hoſtes Photiniani numerantur. Cùmque, ut ſcribit Socrates L. 5. Hiſt. cap. 2., Gratianus unà cum juniore Valentiniano Imperii ſummam adeptus lege ſanxiſſet, ut omnes cujuſcumque religionis homines abſque ullo diſcrimine in Eccleſiis convenirent, ſolos tamen Eunomianos, Photinianos, & Manichæos ab Eccleſiis pelli juſſit.

V. Peſtis hæc aliquandiù Chriſtianum Orbem infecit; tempore tamen ſuo penitùs extinctam fuiſſe dicit Theodoritus Lib. 2. Hæret. Fab. cap. 12. de Photino. Licèt autem poſt mille & ultra annos ab aliquibus modernis Sectariis excitata alicubi revixerit, eam tamen, ſicut & cæteras, quæ non modicam Europæ partem hiſce temporibus invaſerunt, à Jeſu Chriſto Catholicæ veritatis protectore ad inferos iterum retrudendas fore confido, & cum eodem Theodorito dicam: *Has omnes hæreſes ad evertendam Unigeniti Divinitatem excogitavit, qui hominum perniciem molitur Dæmon. Sed omnes extinxit, qui increpat abyſſum, & eam exſiccat: qui dicit abyſſo* „ Fies deſerta & tuos fluvios exſiccabo „. *Neque enim eorum vel minimæ manſerunt reliquiæ, non Cerinthianorum, non Ebionitarum, non Elcæſeorum, non Melchiſedechianorum, non Paulianiſtarum, non Marcellianorum, non Photinianorum: ſed omnia oblivionis tenebris ſemel tradita ſunt, & nec eorum quidem ſunt nomina multis cognita. Verum eſt enim quod à noſtro Servatore dictum eſt* (Matth. 15. v. 13.) „ Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cœleſtis, eradicabitur „: *Divina autem Evangeliorum dogmata pullularunt, & ad mare uſque extenſi ſunt Apoſtolorum palmites, & propagines terrarum Orbem implerunt, & impleta eſt univerſa terra cognitione Domini. At multa aqua maria tegat, & prædictionis veritatem rerum teſtimonium oſtendat. Quod de futuris hæreſibus Dominus quoque Chriſtus prædixit.* Hactenus Theodoritus. Faxit Deus.

* * *

§. III.

§. III.

Photini errores rejecti.

I. ERravit Photinus primò: dicens, Deum ſolitarium eſſe, & more Judaico confitendum; nullam Verbi Divini, aut Spiritus Sancti putans eſſe perſonam, ſed meram Patris extenſionem ad extra. Secundò: Chriſtum à Maria initium accepiſſe & merum eſſe hominem. Conſtat ex S. Epiphanio Hæreſ. 71. & Vincentio Lirin. in Commonitorio num. 12. dicente: *Photini ergo Secta hæc eſt. Dicit, Deum ſingulum eſſe & ſolitarium, & more Judaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi, aut ullam Spiritus Sancti putat eſſe perſonam. Chriſtum verò hominem tantummodo ſolitarium aſſerit, cui principium adſcribit ex Maria, & hoc omnimodis dogmatizat, ſolam nos perſonam Dei Patris, & ſolum Chriſtum hominem colere debere.* Eſtò autem poneret Chriſtum abundantiore gratiâ quàm cæteros Sanctos inſignitum, quia tamen eum purum hominem aſſerebat, eum ſic redarguit S. Auguſtinus Serm. 246. aliàs 19. ex Viguerianis: *Quàm multi Antichriſti extiterunt, qui dicerent, ſicut Photinus: Homo fuit, plus nihil habuit: ſed omnes homines pios & ſanctos excellentiâ ſapientiæ & juſtitiæ ſuperavit: nam Deus non fuit. O Photine, in terra tetigiſti, feſtinaſti tangere, præcipitaſti te: & ideò ad patriam non perveniſti, quia in via erraſti.*

II. Photini errores manifeſtè colliguntur ex anathematiſmis in ipſum à præfata Sirmienſi Synodo in ipſum prolatis, quorum quintus eſt: *Si quis ſecundùm præſcientiam & prædeſtinationem à Maria dicit Filium eſſe, & non ante ſecula ex Patre natum apud Deum eſſe & per eum facta eſſe omnia, anathema ſit.* Sextus: *Si quis ſubſtantiam Dei dilatari & contrahi dicit, anathema ſit.* Septimus: *Si quis dilatatam ſubſtantiam Dei, Filium dicat facere, aut latitudinem ſubſtantiæ ejus, ſicut ſibi videtur, nominet, anathema ſit.* Octavus: *Si quis inſitum vel prolatitium verbum Dei Filium dicat, anathema ſit.* Nonus: *Si quis hominem ſolùm de Maria Filium dicit, anathema ſit....* Demum: *Si quis Chriſtum Deum Filium Dei ante ſecula ſubſiſtentem & miniſtrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat, ſed ex quo de Maria natus eſt, ex eo & Chriſtum & Filium nominatum eſſe, & initium accepiſſe ut ſit Deus, dicat, anathema ſit.* Quibus apertè patet, Photinum damnatum fuiſſe, quia diceret, Filium Dei non fuiſſe ante ortum ex Maria niſi ſecundùm præſcientiam, non ante ſecula ex Patre natum, ſed ſolùm accepiſſe

piſſe

piſſe ut Filius Dei eſſet ſecundùm ſubſiſtentiam, quando ex Maria natus fuit, & tunc cœpiſſe eſſe Deum per extenſionem vel dilatationem ſubſtantiæ Dei, & dictum Verbum non ſubſtantiale, ſed prolatitium tantùm.

III. Dubium tamen emergit, an præter Verbum Dei prolatitium agnoverit Photinus in Deo Verbum æternum, non tamen diſtinctum à Patre perſonaliter & ſubſiſtens. Videtur hoc indicaſſe Epiphanius Hæreſ. 71. num. 2. Cùm enim Baſilius Ancyranus in diſputatione ut ſupra habita ſciſcitaretur ab eo, quomodo Scripturæ de Domino ac Deo Verbo docerent, *ante omnia ſecula Unigenitum illum, & cum Patre fuiſſe*, Photinus adhibitâ diſtinctione ita quod dicebatur probabat, *partim, ut ad Chriſtum, partim ad Verbum referri oportere judicaret*. Nam his verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, Verbum ſuum Pater alloquitur. Quid igitur? Erat, inquit, in Patre Verbum: ſed nondum erat Filius.* Ita Photinus Baſilio reſpondebat. Cùm autem ei objiciebatur à Prophetis mentionem factam fuiſſe de Filio Dei, reſpondebat hoc dictum eſſe per anticipationem non de eo quod jam eſſet, ſed quod futurum eſſet. Ita refert Epiphanius: *Velut ante denuntians dixit, non quod adhuc Filius exiſteret, ſed ipſum ſolum, cui Filii nomen erat aliquando tribuendum, poſt Mariam videlicet, quodque ex carne proditurum erat, Chriſtus nimirùm de Spiritu Sancto Mariáque genitus, in quem ſic tanquam anticipatione quádam univerſa conferuntur. Quamquam nondum ipſe, quemadmodum & Verbum illud quod in me eſt.* Quibus Verbum quidem ſemper fuiſſe in Deo ponebat, ſed non Filium. Quæ doctrina erat Pauli Samoſateni, ut ſupra dixi.

IV. Ipſum propterea refellit Epiphanius n. 3. Nam ſi recens adeò] eſt quoad Divinitatem attinet Dei Filius, conſequens eſt, Davidem eo anteriorem eſſe; quia verò hoc Photinus admittebat, abutens dicto Apoſtoli 1. Cor. 13. v.47. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus de Cælo*, & ex hoc inferens Filium Dei Adamo eſſe poſteriorem: ex hoc, ait Epiphanius, ſequitur quidem, Verbum & Filium Dei poſteriorem eſſe Adamo ſecundùm carnem ex quo Verbum è Cœlo deſcendit, & habitavit in nobis, non verò antea non extitiſſe. Nam *ſi Adamus Verbi originem anteceſſit, per quemnam non modò Adamus, ſed etiam quæ Adamo priores ſunt creaturæ Dei omnes productæ ſunt? Quis ille vero eſt, cui Pater dixit*,,, Faciamus hominem,,? At quia reſpondebat eſſe Verbum in Patre manens, non à Patre genitum aut prolatum, imò eamdem Patris perſonam, ideò ita contra ipſum proſequitur: *Nemo enim, aut ad intimum Verbum ſuum, aut ad illud quod exteriùs profertur, con-*

ſultationem deliberationemque dirigit. Ideò inſitum ſibi ſanctiſſimumque ſuum Verbum alloquens Pater, futuram hominis procreationem ſapientiſſimâ voce declarat: Ut Filium apud Patrem initio extitiſſe ſciremus: neque Conditorem noſtrum recèns in lucem editum arbitraremur: ſed cum Patre priorem ſeculis omnibus fuiſſe. Id quod Joannes ita demonſtrat „ In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum „.

V. Reſpondebat Photinus: *Verbum à principio extitiſſe fateor: Filium Dei genitum fuiſſe, id non fateor*. Eum ita urget n. 4. Epiphanius: *Verùm niſi Dei ſit Filius, inanis eſt illius labor... Nihil enim amplius excellentiaſque de Chriſto profitemur, quàm Judæi ipſi, qui eundem abnegarunt. Porrò non ſcriptum eſt in Evangelio* „ In principio erat Verbum, & Verbum erat in Deo „: *ſed* „ Verbum erat apud Deum „: *nec in Deo Verbum modò fuiſſe dicit, ſed* „ Deus erat Verbum „. *In ipſo quidem homine ſermo ille, qui perpetuò aut interior, aut externâ voce prolatus eſt, homo dici non poteſt, ſed hominis ſermo. Quod ſi, ut ille nugatur, nondum velut fœtus erat, aut Dei Filius Deus Verbum, per quemnam omnia producta ſunt? Quandoquidem, ut Evangelium aſſerit* „ Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil „?

Sed quia dicebat: *Quemadmodum homo per Verbum ſuum quidquid libuerit efficit: ita & Pater per Verbum, quod in ipſo erat, omnia procreavit*: Inſtat Epiphanius: *Quomodo igitur hoc in Evangelio Domini dictum accipiendum eſt* „ Pater uſque modo operatur, & ego operor „? *Quæ verba non ſic intelligenda ſunt, quaſi in his quæ Filius efficit, nihil Pater ipſe moliatur, aut contra abalienandus ſit Filius, neque ſe Patris opificio aliquid immiſceat. Siquidem opera omnia à Patre ſimul & Filio & Spiritu Sancto producta ſunt. Nam per ipſum omnia ſunt à Patre producta, ipſeque adeò cum Patre & Spiritu Sancto fabricavit omnia*,„ Verbo enim Domini Cœli formati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum „. (Pſal. 32. v. 6.)

VI. Photinus juxta Epiphanium ponebat in Deo Verbum internum, quod in ipſo ſemper fuiſſet, non tamen ab eo productum vel perſonam ab eo diſtinctam, ſicut in homine Verbum internum eſt, nec tamen eſt perſona ab eo diſtincta; & ſicut homo per Verbum ſuum quidquid voluerit efficit, non ita tamen quòd Verbum ſit perſona, quæ cum illo operetur, ſed homo per Verbum: ita Pater per Verbum omnia ſit operatus, non tamen Verbum ſit perſona quæ operata ſit, ſed Pater per Verbum. Quia tamen Dei Filius ab ipſo non ponebatur, niſi ut quædam extenſio & dilatatio, vel exterior verbi prolatio, quæ in tempore facta eſt in Chriſto nato ex Maria, ideò dicebat, Filium Dei nec in Deo ſemper fuiſſe

nec

nec ante quam ex Maria Chriſtus genitus eſſet. Epiphanio lubens ſubſcribo utpotè de Photini doctrina bene inſtructo, cùm ut ipſe dicit num.1., Photinus ad ſua tempora ſuperſtes fuerit, & Acta diſputationis cum Baſilio ad ejus manus pervenire potuerint. Sed quidquid Photinus ſenſerit de Verbo Dei, certum eſt, Filium Dei eum poſuiſſe purum hominem; ita etiam Optatus auctor coævus L.4. de Schiſm. Donat. *Dictum eſt hoc*, inquit, *de Photino præſentis temporis hæretico, qui Filium Dei auſus eſt dicere tantummodo hominem fuiſſe, non Deum.*

VII. Epiſcopatu depulſus, & in exilium ejectus conſcribendis libris tum Græco tum Latino idiomate Photinus totum ſe dedit, inter quos unum edidit, quo aliis Sectis refutatis ſuam ſolam veram eſſe oſtendere contendebat. Sirmium rediiſſe fertur, fortè Juliano Apoſtatâ imperante, qui generali edicto omnes à Conſtantio exilio pulſos reſtituit, ut hâc libertate Chriſti Eccleſiam magis turbaret. Photini enim Julianus meminit apud Cyrillum Lib. 8. pag. 262. edit. Lipſien. Imò ut ex Facundo Herm. refert Tilmontius Tom. 6. Mem. Hiſt. de Arianis art.47. Photini hæreſim commendat in quadam Epiſtola, tanquam ad ſalutem proximiorem, quàm Diodori ac cæterorum Catholicorum doctrinam. Eo quo S.Optatus tempore ſcribebat nimirùm anno 368. Photinum adhuc in vivis extitiſſe, ex nuper dictis colligitur. Inſuper anno 375., quo ſcribebat librum contra hæreſes S. Epiphanius, adhuc fuiſſe ſuperſtitem Hæreſ. 71. teſtatur. E vivis tamen ad inferos dejectum anno 376., aſſerit S. Hieronymus in Chronico.

CAPUT XLII.

De Manichæis.

§. I.

Hæreſis ortus. De Scythiano, & Terbintho.

I. PRIMA Sectæ hujus fundamenta jecit Scythianus quidam Sarracenus gente, in Arabia educatus, homo, ut ait Cyrillus Jeroſol. Catecheſ. 6. de Hæreſibus, *nihil commune habens, ſive cum Chriſtianiſmo, ſive cum Judaiſmo.* Hic ex commercio cum India & Thebaide ingentibus partis divitiis, ejus feminâ ſuadente, ut Arabiæ deſerta relinqueret, in Ægyptum ſe conferens Alexandriæ domicilium fixit. Feminam hanc Hypſale in Thebaide repertam captivam & proſtitutam, cùm elegantis eſ-

 ſet

ſet formæ, è lupanari abſtractam matrimonio ſibi junxerat. Cùmque eſſet ſpiritu fervidus ac vivax, præter Græcorum ſcientias, quas Epiphanio teſte Hæreſ. 66. num. 1. in Arabia didicerat, dum in Ægypto moraretur, ſcientias quoque Ægyptiorum adjunxit: nec tamen Chriſtianæ Religionis, & Sacrarum Scripturarum (non ut eas ſequeretur) prorſus jejunus.

II. Dum ergo Alexandriæ moraretur, ne inter divitias otio torperet, vitam Ariſtotelicam imitari ſtudens, ut ait Cyrillus, vel à Pythagora argumenta ſumens, ut vult Epiphanius prælaudatis locis, quatuor libros conſcribere fuit aggreſſus, quorum unum inſcripſit *Myſteriorum*, alterum *Capitulorum*, tertium *Evangelii*, quartum *Theſaurorum*. Videns enim homo peſtilentis ingenii, in Mundo multa invicem contraria & pugnantia adeſſe, hoc exiſtimavit, ex duabus radicibus & principiis ſibi contrariis provenire, ideoque ad condendum dogma de duobus principiis, bono & malo proceſſit. Ita duæ pernicioſiſſimæ Sectæ, Manichæiſmi, quæ Eccleſiam Catholicam diù infecit, & Mahumetiſmi, quæ adhuc maximam Orbis partem contaminat, Deo ſic permittente, è Sarracenis turpem originem habuere.

III. Poſt hæc Scythianus cum Terbintho diſcipulo ſuo (qui fortè ad conſcribendos libros ut amanuenſis etiam inſervierat) relictâ Ægypto Jeroſolymam ſe tranſtulit poſt annum Chriſti ducenteſimum (non ſub Apoſtolorum tempora, ut vult Epiphanius) ut illic ſermonem cum iis conferret, qui ea prædicarent, quæ ad unius principatum pertinerent: ex oraculis enim Prophetarum & Legis audierat, unum ac ſolum omnium Conditorem & Moderatorem, qui ſemper exiſteret, nec deſineret unquam celebrari, Patrem ſcilicet, ac Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum: *Itaque* (cum Epiphanio num. 3. loquar) *ſimul atque ad urbem illam acceſſit, cum Presbyteris, qui illic erant, quique ex Legis à Deo Moyſi traditæ, ac propheticæ diſciplinæ præſcripto vitam inſtituebant, diſputare cœpit. Qui enim, ajebat, unum eſſe Deum aſſeritis, qui noctem diemque condiderit, necnon carnem & animam, ſiccum & humidum, cœlum atque terram, tenebras ac lucem? Quod cum illi apertè demonſtrarent: neque enim occulta veritas eſt; contra ille ſinè ullo pudore contendere. Verùm ubi nihil proficit, in eadem nihilominus moleſtiæ impudentia perſiſtit. Poſtremò cùm nihil efficeret omninò, ſed victus potiùs abſcederet, magicis quibuſdam libris adhibitis (erat enim maleficiorum peritus, ac pernicioſam illam & exitiabilem artem ex Indorum & Ægyptiorum, Gentiliumque diſciplina, velut mercimonium quoddam abſtulerat) præſtigiis illudere conatus eſt; ac domo quâdam conſcenſâ nihilo magis quod volebat aſſecutus eſt. Quippe*

inde

Digitized by Google

inde præceps decidens ex hac vita migravit ; cùm multos illic annos egiſſet , atque unum tantummodo ſecum diſcipulum habuiſſet , Terbinthum videlicet illum quem diximus , cui & ſua omnia velut fidiſſimo benevolentiſſimoque adminiſtro commiſit . Hic mortuum Scythianum quàm honorificentiſſimè ſepelivit . Ita ex Epiphanio ſimilem cum Simone Mago infelicem exitum Scythianus habuit . Quem tamen S. Cyrillus Jeroſ. gliſcente per morbum labe vult fuiſſe conſumtum .

IV. Terbinthus ergo (cum Epiphanio proſequar) *Apud ſe deliberans , ſtatuit ad illam mulierculam non reverti , quam ex meretricio quæſtu ac ſervitute ſibi Scythianus adjunxerat . Itaque cum omnibus quæ habebat , auro ſcilicet argento cæteriſque copiis in Perſidem aufugit . Ibi ne deprehenderetur , mutato nomine, pro Terbintho Buddam ſe , uti diximus , appellat . Atque hic peſſimam rurſus quatuor illorum Scythiani librorum ac magicarum artium & præſtigiarum hæreditatem adiit : Idem enim literarum apprimè ſtudiis erat eruditus . Sed cùm in Perſide & ipſe diſputaret , atque apud viduam quamdam habitans , cum æditvis ac Sacerdotibus Mithræ , inprimiſque Pareo quodam & Labdaco Prophetis de duobus principiis contenderet , neque vel idololatriæ antiſtitibus reſiſtere poſſet , ſed ab iis turpiſſimè convictus eſſet , Scythiani , quem ſequebatur , exemplo domus faſtigium conſcendens , ibique magicis artibus id efficere ſtudens , ne quis ſibi deinceps contradicere auderet , ab Angelo dejectus cecidit , atque ob ea quæ moliebatur maleficia periit . Anus porrò ſepulto illius corpore pecuniam omnem obtinuit .* Sic ex Epiphanio eandem quam magiſter ſortem ſubiit diſcipulus . Addit Socrates L.1. Hiſt. c.22. Buddam hunc multa de ſe vana confinxiſſe , nempe ſe natum de virgine , & in monte ab Angelo educatum .

§. II.

De Mane ſeu Manichæo ejuſque exitu .

I. Anus verò (pergit Epiphanius) *cùm liberos ac propinquos haberet nullos diù in illo ſtatu perſeveravit . Tandem verò Cubricum , qui & Manes dictus eſt , ad obſequia famularia ſervum coemit : cui moriens malam illam hæreditatem perinde atque aſpidis virus multorum ad interitum ac perniciem reliquit :* Libros nempè Scythiani & Terbinthi ſeu Buddæ peſtiferam doctrinam continentes , in qua Cubricus demortuæ Anus operâ adhuc juvenis planè fuerat inſtructus .

II. *Itaque Cubricus , qui ſe Manem vocavit , inter Perſas , apud quos*

quos degebat, diſputare inſtituit. Verùm cùm nemini dogmata ſua probaret; ſed quicumque doctrinam illius audiebant moleſtè ferrent, ac novitate ipsâ horrendiſque illis, & ad decipiendum compoſitis fabulis ac vocibus vehementer obſtupeſcerent; cùmque omnes ille quos de impio commento ſermones habebat, refelli evertique cerneret, occaſionem quandam excogitavit, per quam inaniſſimis illis, & ad ſtuporem confictis fabulis auctoritatem aſciſceret. Cum enim percrebuiſſet, Perſarum Regis filium quâdam ægritudine correptum in Regia Perſarum urbe decumbere (neque enim Manes illic degebat, ſed alio quodam in loco ab Regis aula diſſito) excæcante illum improbitate ſuâ, ratus in heri ſui Terbinthi ſive Buddæ, qui & Scythiani hæres fuerat, libris poſſe ſe ad ſanandum Regis filium remedia quædam invenire, ex urbe ſua digreſſus, ad Regiam contendit: ac quorſum veniſſet aperiens certam filio Regis opem promittit. Sed ſpes impoſtorem fefellit. Nam cùm ægro medicamenta quædam adhibuiſſet, expectatione ſuâ fruſtratus eſt: adeò ut inter illius manus adoleſcens poſtremò ſit mortuus, ut vana ipſius ac mendacia promiſſa convincerentur.

Hæc cùm ita contigiſſent, juſſu Regis in vincula conjicitur. Neque enim Perſarum Reges in gravioris delicti reos ſubinde ſupplicia decernunt: ſed exquiſitiori quodam mortis excogitato genere, tormentis priùs illos ac quæſtioni ſubjiciunt. Hactenus Epiphanius. Reliqua ex eodem & aliis compendio referam.

III. Priuſquam impoſtor iſte truderetur in carcerem, Cubrici nomen, ut memoriam ſuæ antiquæ ſervitutis deleret in *Manen* tranſtulit: *Manes* autem Perſis idem eſt, ac *allocutio*, ſeu *diſſertatio. Quia enim* (inquit Cyrillus Jeroſ. Catech. *6.* num. 24.) *dialecticus ſibi alicujus nominis eſſe videbatur, Manem ſe, uti probum quemdam ſermonem ferendorum magiſtrum appellavit.* Videntes autem ejus diſcipuli, Manen, ſeu etiam Manichæum apud Græcos *inſaniam* ſonare, ut hoc ſe & magiſtrum probro liberarent, eum *Mannichæum*, ideſt Manna fundentem ac ſe Mannichæos appellare cœperunt. Ita S. Augnſt. Lib. de Hæreſ. cap. *46.* dicens: *Unde quidam eorum quaſi doctiores eo ipſo mendaciores, geminata* n *literâ, Mannichæum vocant, quaſi manna fundentem.*

Interim multos diſcipulos in ſuum pertrahens errorem, viginti duos ſelegit nefariorum ſuorum dogmatum prædicatores, in quibus tres præ cæteris inſignes eſſe voluit, Thomam, Hermeam, & Addam. Cumque de Chriſtiana Religione multa audiviſſet, illos cum pecunia Jeroſolymam miſerat, ut Libros de Lege & Prophetis, Evangelica, & Apoſtolorum ſcripta compararent, & ad ſe deferrent. Qui profecti Libros illos coemerunt, ac reverſi,

ipſum-

Digitized by Google

ipſumque in carcerem, ut ſupra conjectum invenientes, nihilominus Libros ei obtulerunt. Quibus acceptis ac diligenter evolutis, malâ fide plura depravavit, & veritati mendacium admiſcens, ea ſuis fabulis ſtuduit accommodare. Dum hæc ageret, contigit ei, ut precibus & ingenti pecuniarum vi corrupto Commentarienſi, è Regis Perſarum carcere fugam arriperet. Quo audito Rex capite mulctavit cuſtodes.

IV. Statim ergo relictâ Perſide Romanorum fines ingreditur: cùmque jam ad Meſopotamiæ deſertum ſeparans Romanorum Imperium à Perſide perveniſſet; intellexit, in oppido Meſopotamiæ Caſchara dicto habitare quemdam virum totum juſtitiæ & pietatis operibus erga viduas orphanos ac pauperes deditum, Marcellum nomine. Cogitans ergo, quòd ſi virum hunc ſibi obnoxium habuiſſet, non in Meſopotamia tantùm, ſed in toto Syriæ Romanique Imperii tractu dogma ſuum extendere poſſet, ad illum ex Caſtello Arabione, quod ad Strangam fluvium ſitum eſt, Epiſtolam ſcripſit, eamque per Turbonem ex diſcipulis ſuis unum miſit, in qua præcipui ejus errores continebantur. Cùm autem hanc integram exhibeat S. Epiphanius Hæreſ. *66.* num. *6.* non abs re erit illam huc transferre, ut hujus nebulonis impudentia appareat. Tale ergo erat ejus initium.

Mannichæus Apoſtolus Jeſu Chriſti, & qui mecum ſunt Sancti omnes & Virgines, Marcello filio cariſſimo, gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto: ac te lucis dextera cuſtodiat à præſenti ſeculo nequam ejuſque caſibus & laqueis maligni Amen. Hic quaſi alterius Pauli Epiſtolam ſe auditurum quiſque exiſtimabit, dum ſe *Apoſtolum Jeſu Chriſti* vocat impoſtor iſte. Non miretur tamen, quòd iſtud ſibi nomen arroget, qui & Spiritum Sanctum ſe dicere auſus fuit, quos blaſphemæ arrogantiæ titulos inſectatur S. Auguſtinus Libro contra aliam ejus Epiſtolam edito, quæ ab ejus diſcipulis vocata eſt *Epiſtola Fundamenti* cap. *5. 7.* & 8. Nunc quid Pſeudo-Apoſtolus iſte in hac Epiſtola ſcribat, videamus.

V. *Quod te ſummâ caritate præditum eſſe cognovi, vehementer ſum gaviſus. Quòd verò non rectæ rationi conſentaneam fidem profiteris, equidem dolui. Quamobrem cùm ad corrigendum genus humanum miſſus fuerim, eorumque, qui ſe in fraudem erroremque commiſerint, rationem habeam, neceſſarium putavi has ad te literas ſcribere, quibus inprimis animæ tuæ, tum tuorum ſaluti conſulerem, ut ne confuſum quiddam perturbatumque ſentires pro eo ac rudiorum magiſtri docent, qui quidem ita prædicant: Bonum & malum ab eodem proficiſci, unumque dumtaxat principium ſtatuunt: neque lucem à tene-*

tenebris, bonum à malo, exteriorem hominem ab interiori, ut ante dixi, diſcernunt ac ſeparant: imò verò alterius cum altero confundendi miſcendique nullum finem faciunt. Tu verò, fili, ne ut plerique hominum temerè ac ſinè ratione ambo iſta conjungito; neque bonitatis auctori Deo tribuito. Nam illi principium ac finem, & borum auctorem malorum ad Deum referunt, „ quorum finis maledicto proximus eſt, „ (Hebr. *6*. v. 8.) *Non enim iis quæ in Evangeliis à Salvatore ac Domino noſtro Jeſu Chriſto dicuntur fidem adbibent*, „ Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere, „ (Matth. 7. v. 17.) *Quemadmodum verò Deum Satanæ malorumque quæ ab eo geruntur, conditorem ac procreatorem aſſerere audeant, magnopere demiror. Atque utinam hactenus vaniſſima illorum conſilia progrederentur, nec Unigenitum Dei Filium Chriſtum Dominum*, „ qui de Patris ſinu deſcendit, „ *Mariæ cujuſdam mulierculæ filium eſſe dicerent, atque ex ſanguine carneque, tum verò reliquo mulierum fœtore prodiiſſe. Sed ne longiorem Epiſtolam ſcribens diutiùs æquitatem tuam detineam, cùm præſertim naturali eloquentiâ caream, his quæ dicta ſunt, ero contentus. Ubi verò ad te venero pleniùs omnia cognoſces: ſi quidem ſalutis tuæ curam aliquam ſuſcipis. Neque enim*, „ cuiquam laqueum injicimus, „ (1. Cor. 7. v. 35.) *ut ſtolidiores nonnulli faciunt. Intellige quæ dico, fili cariſſime*. His Chriſti apoſtata, non Apoſtolus, ſua ſeu veriùs Satanæ dogmata ſuadere conatur.

VI. Epiſtolam hanc ſibi traditam cùm legiſſet Marcellus, mirum in modum obſtupuit, imò exhorruit. Aderat tunc cum eo Archelaus illius urbis Epiſcopus; qui lectis in præfata Epiſtola contentis, infrendens ac Divino ardore percitus, ad Manichæum è Barbaris transfugam & Chriſti ovium ſeductorem illicò convolare, cumque capere meditabatur. Sed prudens Marcellus, mitigato precibus Epiſcopo, Turbonem ad Manem remittere cogitabat. Sed iſto recuſante reverti miſit unum è familiaribus ſuis, cum Epiſtola, quâ eum invitabat, ut præſens ea quæ literis indicaverat planiùs poſſet exponere. Interim Turbo omnia Manis dogmata Marcello & Archelao fusè expoſuit.

VII. Acceptis Marcelli literis ſine mora Caſcharam Manes cum ſuorum comitatu venit. Quò cum perveniſſet, nullâ interjectâ morâ, Marcello ſic optante, Archelaus publicam cum eo diſputationem inire conſtituit, cui velut arbitros intereſſe voluit etiam paganos, nempè Marſipum Philoſophum, Claudium Medicum, Ægialeum Grammaticum, & Cleobulum Sophiſtam. Tunc Archelaus vir in Divina ſcientia egregius, de Manis erroribus præviè à Turbone edoctus, eum ſic eſt allocutus. Dic mihi quid doceas.

Digitized by Google

ceas. Reſpondit Manes: Deus Veteris Teſtamenti eſt auctor mali; cùm ipſe dicat: Ego ſum ignis devorans. Archelaus reſpondit: cujus ergo erit filius ille qui dixit Lucæ 9. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Tu accuſas eum qui dixit quod Deus eſt auctor vitæ & mortis; Cur ergo honoras Petrum qui ad vitam ſuſcitavit Tabitham, morti autem tradidit Saphiram? De eo qui præparavit ignem conquereris; At cur de illo non conquereris qui dixit Matth. 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum?* Tu accuſas eum qui dicit Iſaiæ 45. v. 7. *Ego Dominus faciens pacem & creans malum.* Expone mihi, quomodo Jeſus Matth. 10. v. 34. dixit: *Non veni pacem mittere ſed gladium.* Eodem idiomate loquuntur ambo; cur ergo unum damnas, abſolvis alterum?

Manes: Et quis eſt, inquit, Deus qui excæcat? Et tamen Paulus 2. Cor. 4. v. 4. dicit: *Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii.* Lege ſuperiora, inquit Archelaus: *Quòd ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, iis qui pereunt eſt opertum.* Porrò quis dixit Deum Veteris Teſtamenti excæcaſſe mentes infidelium? Nonne idem ait Jeſus Matth. 13. v. 13. *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident.* Et Lucæ 8. v. 10. *Ut videntes non videant?* An hoc dixit quia nolebat ut viderent, an potiùs quia erant indigni & claudebant oculos ne viderent? Sol excæcat illos quibus viſus eſt debilis; non quia Sol ad excæcandum ſit factus, ſed quia oculi malè diſpoſiti ſunt. Neque dicit, ego excæco mentes, ne audiant Evangelium, ſed ne illuminentur lumine gloriæ Evangelii. Audire Evangelium omnibus permittitur, ſed gloria Evangelii ſolis veris Chriſtianis eſt reſervata. His & aliis teſte S. Cyrillo Jeroſ. Catech. 6. diſputationem ſuam contra Manem complevit Archelaus, quam poſtea Syriacè conſcripſit teſte S. Hieronymo L. de Script. Eccl. c.

VIII. Talibus proſtratus Manes, videns adſtantes in ſe concitatos ac ſibi timens, qui è carcere fugerat, indè etiam fugâ elapſus, venit ad viliſſimum quemdam pagum, ad inſtar ſerpentis qui in Paradiſo Adamum omittens ad Evam acceſſit (inquit S. Cyrillus) Ibi cùm quâdam die congregatâ turbâ concionaretur tanto confidentiùs, quòd neminem ſibi adverſarium formidandum haberet; Presbyter illius loci Diodoridis appellati, qui Diodori ſeu ut vult Epiphanius Tryphonis nomen gerebat, Vir quidem bonus, ſed lenis & animo placidus, videns ſe ad frænandam impoſtoris audaciam imparem, Archelaum per literas certiorem reddidit; qui Presbyterum Epiſtola (quam Valeſius ad calcem Hiſtoriæ Socratis exhibet) primò confirmavit, ſuppeditatis ar-

Digitized by Google

mis, quibus ille cum Mane prælium inſtauravit, deinde ipſe accedens venit ad locum, in quo jam Manes aderat diſputationem diei præcedentis continuaturus. Illum ergo aggreſſus dicentem Jeſum Chriſtum hominem fuiſſe ſolùm apparentem, tantâ rationum efficaciâ veritatem Incarnationis oſtendit, ut confuſus obmutuerit. Hinc populi erga Archelaum plauſus, in Manen verò commotio, ut niſi Archelaus obſtitiſſet, lapidibus obrutus remanſiſſet.

IX. Itaque fugâ è Diodoride evadens, eſtò plures ut eum caperent inſequerentur, fluvio Stranga clam trajecto, Arabionem, unde diſceſſerat, reverſus fuit. Sed Perſarum Regis vigilantiam effugere non potuit. Nam (ut ait Epiphanius Hæreſ. 66. n. 12.) *compertá ejus fugá, miſſis Satellitibus in eodem Caſtello comprehenſum hominem ignominioſè in Perſidem abduxit, ubi calamo cute detractá, ultimum de eo ſupplicium ſumſit. Quam quidem cutem utris ad modum inſartis paleis ad hodiernum diem in Perſide ſervant. Hunc ergo ille exitum vitæ conſecutus eſt. Ob id Manichæi lectulis ſuis arundines ſubſternunt*. Ita Epiphanius. Eadem S. Cyrillus Jer. Cat. 6. n. 30. *Capitur*, inquit, *Manes ille, quem ſui adorant diſcipuli, & ad Regem adducitur. Exprobravit ipſi Rex mendacium, & fugam; irriſit ſervitutem, ultus eſt pueri interemptionem: damnavit & propter carceris cuſtodum necem. Mani jubet Perſico more detrahi cutem: & reliquum quidem corpus ferarum paſtui traditum eſt: illud verò peſſimæ mentis conceptaculum cutis pro foribus in ſacci modum ſuſpenſa fuit. Qui ſe Paracletum dicebat, & futurorum ſcientiam profitebatur, ſuam ipſius fugam comprehenſionemque neſcivit.*

X. Manis excidium, quod paulò poſt diſputationem cum Archelao ſecutum eſt, non videtur ultra annum 278. poſſe differri, & contigiſſe menſe Martio circa feſtum Paſchatis veriſimile eſt, quo tempore ejus mortem majori quàm ipſum Paſcha celebritate recolebant ſub nomine *Bematis* ideſt gradus, ſeu Tribunalis. Quod Manichæis exprobrans S. Auguſtinus Lib. contra Epiſt. fundam. cap. 8. *Cùm*, inquit, *ſæpè à vobis quærerem illo tempore quo vos audiebam, quæ cauſa eſſet, quòd Paſcha Domini plerumque nullá, interdum à paucis tepidiſſimá celebritate frequentaretur, nullis vigiliis, nullo prolixiore jejunio indicto Auditoribus, nullo denique feſtiviore apparatu, cum veſtrum* Bema, *ideſt diem quo Manichæus occiſus eſt, quinque gradibus inſtructo tribunali & pretioſis linteis adornato, ac in promtu poſito ac objecto adorantibus, magnis honoribus proſequamini. Hoc ergo cùm quærerem, reſpondebatur, ejus diem paſſionis celebrandum eſſe, qui verè paſſus eſſet: Chriſtum autem qui natus non eſſet, neque veram, ſed ſimulatam carnem humanis oculis oſtendiſſet, non pertuliſſe, ſed finxiſſe paſſionem.*

XI. Ex

XI. Ex his apparet, Manis ſeu Manichæi morte ejus nomen & errores non fuiſſe extinctos, ſed nomen celebratum, & errores à ſuis diſcipulis non parvo tempore promulgatos, & veritati Catholicæ non parvam præbuiſſe materiam eos impugnandi: quod præ cæteris validè præſtitit S. Auguſtinus pluribus Operibus contra Manichæos elaboratis. In ſuo cœtu ut refert L. de Hæreſ. cap.46. Hierarchicus ordo is erat: *Promiſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti de Paraclito Spiritu Sancto in ſuo hæreſiarcha Manichæo dicunt eſſe completam. Unde ſe in ſuis literis Jeſu Chriſti Apoſtolum dicit, ex eo quòd Jeſus Chriſtus ſe miſſurum eſſe promiſerit, atque in illo miſerit Spiritum Sanctum. Propter quod etiam ipſe Manichæus duodecim diſcipulos habuit ad inſtar apoſtolici numeri, quem numerum Manichæi hodieque cuſtodiunt. Nam ex electis ſuis habent duodecim, quos appellant magiſtros, & tertiumdecimum principem ipſorum: Epiſcopos autem ſeptuaginta duos, qui ordinantur à magiſtris: & Presbyteros qui ordinantur ab Epiſcopis. Habent etiam Epiſcopi Diaconos. Jam cæteri tantummodo Electi vocantur: ſed mittuntur etiam ipſi qui videntur idonei ad hunc errorem, vel ubi eſt, ſuſtinendum & augendum, vel ubi non eſt, etiam ſeminandum.* En quomodo Satanas ad formam Eccleſiæ Chriſti Synagogam ſuam in Manichæis erexerat.

XII. Ex duodecim Manis ſeu Manichæi diſcipulis tres præcipui fuere Addas, Thomas, & Hermeas (ſeu Hermas). Ita Epiphanius num.12. dicens: *Ergo ille ſic mortuus eos quos dixi diſcipulos reliquit, Addam, Thomam, & Hermeam, quos antequam illo mortis genere pœnas lueret, in varia loca dimiſerat. Hermeas in Ægyptum profectus eſt, quo cum plerique verſati ſunt. Neque antiqua eſt admodum hæc hæreſis, adeò ut qui cum Hermea Manis diſcipulo colloquuti ſunt, nobis quæ ad illum pertinebant narraverint. Addas in ſuperiorem regionem abiit, Thomas in Judæam. Atque ab iis Secta illa ad hodiernum uſque diem vires atque incrementum habuit.* Ita Epiphanius. Idem dicit S. Cyrillus Catecheſi 6. n.31. & Theodoritus L. 1. Hær. Fab. c. 26. cum nominum & regionum aliqua diverſitate. Nam quem Epiphanius appellat *Addam* Cyrillus vocat *Baddam* & Theodoritus *Aldam*. Vulgò ſub nomine *Adimanti* recenſetur maximè à S. Auguſtino. Quem S. Epiphanius vocat *Hermeam* S. Cyrillus *Hermam* dicit. Theodoritus vult, eum quem vocat Aldam, miſſum fuiſſe in Syriam, Thomam verò ad Indos. Thomas iſte ſcripſiſſe fertur quoddam Evangelium, quod à quibuſdam Thomæ Apoſtoli exiſtimatum falsò fuit: quare Cyrillus prælaudato loco ſic monet: *Nullus quæſo legat Evangelium ſecundùm Thomam: non enim eſt unius è duodecim Apoſtolis, ſed unius de tribus pravis Manis diſcipuli.*

Præter Libros quos à Scythiano editos in hæreditatem Manes acceperat, de quibus ſupra, alios proprios ediſiſſe fertur. Plures ei tribuere videtur S. Auguſtinus L. 5. Confeſs. c.7., ac ultra Epiſtolam ad Marcellum, quam retuli, adeſt Epiſtola quam vocabant Fundamenti, contra quam Librum ſcripſit S. Auguſtinus. Ejus quoque diſcipuli ſcripta aliqua reliquerunt. Adimantus ſeu Addas ſcripſit Librum contra Legem & Prophetas adversùs quem S. Auguſtinus ſcripſit Librum unum. Leucius ſeu Seleucius Acta ſub nomine Apoſtolorum confinxit, & Libellum de Nativitate B. Virginis. Communiter autem Libros apocryphos producebant, ut Acta Andreæ, Joannis, Petri, & Pauli, & alios quos Gelaſius in Synodo Romana proſcripſit.

XIII. Hæreſis ſub Manichæorum nomine evulgari cœpit tempore Aureliani Imperatoris & Felicis I. Romani Pontificis circa ann. Domini 271. Cùm enim,ut dixi,Manes anno 278. occiſus fuerit & ante mortem jam miſiſſet diſcipulos in varias ac diſſitas regiones ad eam evulgandam, neceſſe eſt aſſerere, aliquibus annis ante habuiſſe exordia. Latiſſimè verò & citiſſimè propagata eſt. Nam ex Arabia ſtatim in Meſopotamiam & Perſidem delata eſt. Ex Perſide in Syriam tranſiit & in Ægyptum, Africam, & poſtea mari trajecto in Hiſpaniam & Galliam penetravit. In Aſia quoque, Paphlagonia, & pluribus Orbis partibus multos infecit.

Diutiſſimè etiam ſubſtitit. Nedum enim S. Epiphanii temporibus per Ægyptum & alias Orientis partes pervagabatur & S. Auguſtini ætate in Africam tranſierat (prima ejus proles fuere Hieracitæ de quibus infra). Sedente S. Leone I. Romæ aliquos occupaverat, quam tamen coactâ Synodo inde expulit, ut habetur Serm.15. ejuſdem. Anaſtaſii Imperatoris temporibus circa finem ſeculi 5. adhuc in Perſide, Syria, & Meſopotamia graſſabatur. Quin & ſub Pontificatu Gregorii Magni ſcilicet annis plus quàm 340. à Manetis morte in Siciliam irrepſerat, ut apparet ex ejus Epiſtola 6. Lib. 4. modò 8. Lib. 5. ad Cyprianum Diaconum. Ex hac enatus fuit in Arabia Mahumetiſmus velut ex ſerpentis viperæque ovo prodiens. Diviſa poſtea fuit in varias Sectas, videlicet puros Manichæos, Cathariſtas, & Macarios à fortis felicitate ſic dictos, ut S.Auguſt. Hæreſ. 46. ſcribit. Hujus hæreſis infelix proles ſeculo 13. fuere Albigenſes.

* * *

ſ. III.

§. III.

Generalia hæreſis Manichæorum capita.

I. NUlla unquam ex inferis erupit hæreſis tot ſcatens erroribus ac blaſphemiis, ſicut hæc ex diabolicis Manichæi faucibus, quæ omnium penè ſuperiorum ſordes collegit & proprias addidit; Unde univerſam Religionem corrupit ac ſuſtulit. Hoc ut Lector agnoſcat generale priùs illius ſyſtema ſubjiciam, & poſtea de ſingulis ſermonem inſtituam.

II. Manes igitur tanquam ſuæ doctrinæ baſim, ſupra quam ſuas fabulas ædificabat, jecerat, quòd duo eſſent prima principia, bonum unum, alterum malum. Bonum Principem lucis appellabat, malum Principem tenebrarum. Lucem autem ac tenebras non ſenſu metaphorico, ſed reali accipiebat; ſic etiam malum non purum defectum, ſed realem ſubſtantiam eſſe aſſerebat: unde quia oportebat ut effectus realis cauſam realem haberet: nec Deus bonus mali cauſa eſſe poſſet, propterea duo ponebat principia oppoſita, duo æterna, immortalia, ſuprema, ac invicem independentia, unum auctorem boni, quem abſolutè Deum ac Lucem appellabat: alterum auctorem mali, quem materiam, principem Mundi, malignum, gentem tenebrarum, Diabolum identidem Manichæi vocabant.

III. A principio, ut refert Theodoritus L. 1: Hær. Fab. c. 26.; Deum bonum ſeu Lucem fuiſſe à malo Deo ſeu Materia penitùs ignotum, & è contra: & bonum Deum tenuiſſe quidem partes Septentrionales Orientales & Occidentales, malum verò, ideſt Materiam, meridionales occupaſſe dicebat. Verùm multis ſeculis evolutis inter Materiæ fructus ſeu effectus ſeditio orta fuit. Cùmque cœptum eſſet bellum, & hi quidem inſequerentur, illi verò fugerent, ad fines lucis venerunt, unde lucem contemplati, ſimul & lætitiâ & admiratione affecti decrevere ſimul junctis copiis adversùs lucem bellum gerere, & rapere eamque ſuis tenebris miſcere. Veritus autem Deus lucis rem univerſam pugnæ diſcrimini committere; neque enim, inquit, habebat ignem, ut fulgure ac fulmine uti poſſet, neque aquam ut inundationem poſſet inducere, neque ferrum aut alia arma, tale quid cogitavit. Acceptâ lucis particulâ veluti quâdam eſcâ & hamo in materiam immiſit: quæ à materia quaſi devorata ei velut glacie concreta & confixa eſt. Et hinc dicunt coactum fuiſſe Deum Mundum fabricare ex boni & mali lucis & materiæ ſeu tenebrarum commixtione: hæc ex Theodorito.

IV. Mun-

IV. Mundus itaque ex naturis boni & mali ſic permixtus quinque elementis ex natura mali ſeu tenebrarum conſtabat, nimirum fumo, tenebris, igne, aqua, & vento. In fumo nata eſſe dicebant animalia bipedia & ipſos etiam homines: in tenebris ſerpentia: in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno & ſubſtantia Dei miſſa eſſe, & in illa pugna permixta fuiſſe, nimirùm fumo aera, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Solem & Lunam duas eſſe naves per cœlum tanquam per vaſtum mare navigantes, ac Solem ex igne bono factum, Lunam verò ex bona aqua. Eſſe autem in eis navibus ſanctas virtutes, quæ ſe in maſculos & feminas transfigurant, ut illiciant principes gentis adverſæ, & per hanc illecebram commotâ eorum concupiſcentiâ fugiat de illis lumen quod membris permixtum tenebant, & purgandum ſuſceperant ab Angelis lucis, purgatumque illis navibus imponatur ad regna propria reportandum. Hucuſque ex S. Auguſt. L. de Hæreſ. cap. 46.

Hanc inſaniam de Sole & Luna in eis deteſtatur idem S. Doctor L. 20. contra Fauſtum cap. 6. ubi poſtquam eos irriſit, quòd Solem navem fingerent, cùm Sol omnium oculis rotundus appareat, ſubdit: *Verùm hæc tolerabiliùs vel ridentur vel flentur in vobis: illud eſt intolerabiliter ſceleratum, quòd de ipſa navi puellas pulchras & pueros proponi dicitis, quorum formoſiſſimis corporibus inardeſcant principes tenebrarum, ad feminas maſculi, & ad maſculos feminæ: ut in ipſa flagranti libidine & inhianti concupiſcentia de membris eorum tanquam de tetris ſordidiſque compedibus Dei veſtri membra ſolvantur. Et his obſcœniſſimis pannis veſtris conamini aſſuere Sanctam Trinitatem, dicentes, Patrem in ſecreto quodam lumine habitare; Filii autem in Sole virtutem, in Luna ſapientiam; Spiritum verò Sanctum in aere.* Quæ cap. 7. & 8. refutando progreditur.

V. Duas Animas in quolibet homine ponebant: unam bonam à bono principio, quæ ſit de ſubſtantia ejus & corporea ut ipſum. Alteram malam & de mali Principis ſubſtantia. Animæ fidelium, ideſt ſuorum, ajebant, ab elementis purgatæ ad Lunam deferebantur, indè ad Solem tranſibant, qui eas ad Deum cum eo reuniendas reportabat. Animæ verò infidelium, ſeu eorum qui Manis doctrinam non ſuſceperant, ad inferos demittebantur, ut ibi ad tempus à Dæmonibus torquerentur, ſecundùm criminum menſuram: atque ita purgatæ in alia corpora, ſive hominum, ſive brutorum, ſive plantarum remittebantur. Quòd ſi adhuc purgatæ non fuiſſent, in magnum ignem projiciebantur. Et ita totum Redemtio-

Digitized by Google

demtionis myſterium ſitum erat in ſeparandis à corporibus malis particulis Divinitatis, eiſque ſuo principio reuniendis.

VI. Nihilominus animas è corporibus ſeparare non permittebatur, imò qui hoc feciſſet eidem pœnæ obnoxius fiebat: quare qui animal occidiſſet, in ejuſdem ſpeciei animal converti, & qui plantam vel evulſiſſet, vel cæcidiſſet, in eandem plantam verti debebat. Quando ergo quis panem Manichæo exhibebat, dicebat iſte: Abſcede parumper, donec illum benedicam. Tunc accepto pane dicebat: Ego te non feci; illumque in altum projiciens, illi qui eum fecerat maledicebat. Deinde ſubjungebat: Ego te non ſeminavi: qui te ſeminavit, & ipſe ſeminetur. Ego te non meſſui: qui te meſſuit, & ipſe metatur. Ego te non coxi: qui te coxit, & ipſe coquatur. His proteſtationibus præmiſſis panem illum ſecurè comedebat.

VII. Carnibus veſci exhorrebant, nec ova comedebant: lacte & vino abſtinebant. Ita S. Auguſtinus Hæreſ. 46. *Nec veſcuntur*, inquit, *carnibus, tanquam de mortuis vel occiſis fugerit ſubſtantia Divina, tantumque ac tale indè remanſerit, quod jam dignum non ſit Electorum ventre purgari. Nec ova ſaltem ſumunt, quaſi & ipſa cùm franguntur expirent, nec oporteat ullis mortuis corporibus veſci .... Sed nec alimonia lactis utuntur, quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur ſive ſugatur: non quia putant Divinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtum, ſed quia ſibi error ipſe non conſtat. Nam & vinum non bibunt dicentes fel eſſe principum tenebrarum; cùm veſcantur uvis: nec muſti aliquid, vel recentiſſimi ſorbent.* Ita deſcribit eorum inſanam ac ſuperſtitioſam abſtinentiam S. Auguſtinus.

His addit: *Animas Auditorum ſuorum in Electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in eſcas Electorum ſuorum, ut jam indè purgatæ in nulla corpora revertantur. Cæteras autem animas & in pecora redire putant, & in omnia quæ radicibus fixa ſunt, atque aluntur in terra. Herbas enim atque arbores ſic putant vivere, ut vitam quæ illis ineſt, & ſentire credant & dolere, cùm læduntur: nec aliquid indè ſinè cruciatu eorum quemquam poſſe vellere aut carpere. Propter quod agrum etiam ſpinis purgare nefas habent. Unde agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tamquam plurium homicidiorum ream accuſant: ſuiſque Auditoribus, ideo hæc arbitrantur ignoſci, quia præbent indè alimenta Electis ſuis, ut Divina illa ſubſtantia in eorum ventre purgata impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipſi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec ſaltem folia ulla vellentes, exſpectant hæc afferri uſibus ſuis ab Auditoribus ſuis, viventes de tot ac tantis*

tantis ſecundùm ſuam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam Auditores ſuos, ut ſi veſcuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cœleſtibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere: & ſi utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne Divina ſubſtantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Hucuſque Auguſtinus, indè inferens nuptias ab eis prohiberi, cùm hæ ad generationem prolis ordinentur.

VIII. De productione Adami & Evæ ita fabulabantur, ſubdit idem S. Doctor: *Adam & Evam ex parentibus principibus fumi aſſerunt natos: cùm pater eorum nomine Saclas ſociorum ſuorum fœtus omnium devoraſſet, & quidquid indè commixtum Divinæ ſubſtantiæ cœperat, cum uxore concumbens in carne prolis tanquam tenaciſſimo vinculo colligaſſet.*

IX. Quid de Chriſto ſentirent, ait: *Chriſtum autem fuiſſe affirmant, quem dicit noſtra Scriptura ſerpentem, à quo illuminatos aſſerunt, ut cognitionis oculos aperirent, & bonum malumque dignoſcerent, eumque Chriſtum noviſſimis temporibus veniſſe ad animas non ad corpora liberanda. Nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, ubi non ſolùm mortem, verum etiam reſurrectionem ſimiliter mentiretur.*

X. De Lege & Evangelio dicebant: *Deum qui Legem per Moyſen dedit, & in Hebræis Prophetis locutus eſt, non eſſe verum Deum, ſed unum ex principibus tenebrarum. Ipſiuſque Teſtamenti Novi Scripturas tanquam infalſatas ita legunt, ut quod volunt indè accipiant, quod nolunt rejiciant, eiſque tanquam totum verum babentes nonnullas apocryphas anteponant. Promiſſionem Domini Jeſu Chriſti de Paraclito Spiritu Sancto in ſuo hæreſiarcha Manichæo dicunt eſſe campletam. Unde ſe in ſuis literis Jeſu Chriſti Apoſtolum dicit, eo quòd Jeſus Chriſtus ſe miſſurum eſſe promiſerit, atque in illo miſerit Spiritum Sanctum. Propter quod etiam ipſe Manichæus duodecim diſcipulos babuit ad inſtar apoſtolici numeri* &c. de quo ſupra dixi.

XI. De Baptiſmo & modo orandi ait: *Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad Solem per diem quaqua verſum circuit: ad Lunam per noctem, ſi apparet. Si autem non apparet, ad Aquiloniam partem, quà Sol cùm occiderit ad Orientem revertitur, ſtant orantes.*

XII. De peccatorum origine & concupiſcentia ita ſentiebant: *Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, ſed ſubſtantiæ tribuunt gentis adverſæ: quam dogmatizantes eſſe hominibus mixtam, omnem carnem, non Dei, ſed malæ mentis perhibent eſſe opificium,* quæ

Digitized by Google

quæ à contrario principio Deo coæterna eſt. Carnalem concupiſcentiam, quâ caro concupiſcit adversùs ſpiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis ineſſe infirmitatem, ſed ſubſtantiam volunt eſſe contrariam, ſic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, ſeparetur à nobis, & in ſua natura etiam ipſa immortaliter vivat: easque duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter ſe habere conflictum, quàndo caro concupiſcit adversùs ſpiritum & ſpiritus adversùs carnem. Nec in nobis ſanatum hoc vitium, ſicuti nos dicimus, numquam futurum; ſed à nobis ſejunctam atque ſecluſam ſubſtantiam iſtam mali, & finito iſto ſeculo poſt conflagrationem Mundi, in globo quodam tamquam in carcere ſempiterno eſſe victuram. Cui globo affirmant acceſſurum ſemper & adhæſurum quaſi coopertorium atque tectorium ex animabus, naturâ quidem bonis, ſed tamen quæ non potuerint à naturæ malæ contagione mundari.

Hæc ex S. Auguſtino generalia hæreſis Manichæorum capita ſunt, multa ex anterioribus hæreſibus hauſta, quibus tamen ſua particularia inſeruerunt, quæ omnia ſequenti §. rejiciemus.

§. IV.

Errores de Deo & naturâ mali rejecti.

I. Præcipuum & palmarem errorem de duobus principiis, ſeu Diis, uno naturâ bono & auctore boni, altero naturâ malo & mali auctore, ab antiquis hæreticis Gnoſticis, Marcionitis, & aliis ſupra refutatis, Manichæi acceperunt: quod inde proceſſit, quia exiſtimarunt malum non eſſe purum defectum boni, ſed ſubſtantiam quandam bono adverſariam. Qui inſanus eſt, cùm malum nil aliud ſit, quàm defectus ſeu privatio boni. Unde S. Th. 1. p. q. 49. art. 3. directè probat, non poſſe eſſe unum ſummum malum, quod ſit cauſa omnis mali. Primò quia non poteſt dari aliquid per eſſentiam malum, nam omnis eſſentia, ſeu natura eo ipſo quòd ens eſt, bona eſt, neque ulla res mala eſt, niſi quia privatur aliqua eſſentia aut perfectione. Summum autem malum deberet eſſe per eſſentiam malum, ſicut ſummum bonum eſt per eſſentiam bonum. Hanc rationem confirmat S. Auguſtinus Lib. 83. Quæſt. qu. 5. his verbis: *Omne igitur quod eſt, ſinè aliqua ſpecie non eſt: ubi autem aliqua ſpecies, neceſſariò eſt aliquis modus, & modus aliquid boni eſt: ſummum ergo malum nullum modum habet, caret enim omni bono. Non eſt igitur: quia nullâ ſpecie continetur, totum hoc nomen mali de ſpeciei privatione repertum eſt.* Malum ergo per

Digitized by Google

ſe non eſt, ſed in ſubjecto ſecundùm ſe bono eſt, quod aliquo bono privat: ſic tenebræ in ſe ipſis non ſunt, ſed in aere quem bono lucis privant. Hinc deducitur, malum per ſe cauſam eſſe non poſſe, multò autem minùs primam: *Nam eſſe cauſam non poteſt convenire, niſi bono, quia nihil poteſt eſſe cauſa, niſi inquantum eſt ens: omne autem ens in quantum hujuſmodi bonum eſt*. Ita S. Th. dicta q.49. art.1.

II. Probat ulteriùs S.Th. hoc art.3. Sicut ſummum bonum eſt quod nihil habet mali, ita ſummum malum eſſe deberet quod nihil habet boni: atqui hoc poſito malum ſe ipſum deſtrueret, cum ſaltem debeat eſſe in ſubjecto bono: unde dicit Philoſophus in 4. & 5. c.5. *Quòd ſi malum integrum ſit, ſe ipſum deſtruit: quia deſtructo omni bono (quod requiritur ad integritatem mali) ſubtrabitur etiam ipſum malum, cujus ſubjectum eſt bonum*. Ergo ſummum malum eſſe non poteſt.

Sic igitur diſcurrit S. Doctor: *Qui poſuerunt duo prima principia, unum bonum & alterum malum, ex eadem radice in hunc errorem inciderunt, ex qua aliæ extraneæ poſitiones ortum habuerunt: quia ſcilicet non conſideraverunt cauſam univerſalem totius entis, ſed particulares tantùm cauſas particularium effectuum. Propter hoc enim ſi aliquid invenerunt eſſe nocivum alicui rei per virtutem ſuæ naturæ, æſtimaverunt naturam illius eſſe malum. Puta ſi quis dicat, naturam ignis eſſe malam, quia combuſſit domum alicujus pauperis. Judicium autem de bonitate alicujus rei non eſt accipiendum ſecundùm ordinem ad aliquid particulare, ſed ſecundùm ſe ipſum, & ſecundùm ordinem ad totum Univerſum, in quo qualibet res ſuum locum ordinatiſſimè tenet, ut ex dictis patet* (qu.11. ar.3. & q.4. ar.2.) *Similiter etiam qui invenerunt duorum particularium effectuum contrariorum duas cauſas particulares contrarias, neſciverunt reducere cauſas particulares contrarias in cauſam univerſalem communem. Et ideo uſque ad prima principia contrarietatem in cauſis eſſe judicaverunt: ſed cùm omnia contraria conveniant in uno communi, neceſſe eſt in eis ſupra cauſas contrarias proprias inveniri unam cauſam communem: ſicut ſupra qualitates contrarias elementorum invenitur virtus corporis cœleſtis. Et ſimiliter ſupra omnia, quæ quocumque modo ſunt, invenitur unum primum principium eſſendi, ut ſupra oſtenſum eſt* (q. 2. art. 3.)

III. Non diſſimili diſcurſu Manen perſtringit S. Epiphanius Hæreſ. 66. num.13. Hæc duo principia quæ contraria ponis, adeò invicem debent eſſe ſeparata, ut in nullo communicent, alioquin ſi in aliquo ſociarentur, ſummè contraria non eſſent. *Quòd ſi invicem ſeparata ſunt, horum unumquodque finitum ſit oportet. Quod autem*

autem finitum eſt perfectum non eſt: eſt enim fine ſuo circumſcriptum. Quin etiam terminus aliquis requirendus erit qui utrumque definiat: ne ſi ſe mutuò contigerint, communione aliqua extremis illis in finibus copulentur, atque ita conſtituta illa contrarietas intercidat. Jam verò ſi quidpiam, quod illa dirimat amborum in medio collocaveris, non poteſt id quod dirimit illorum eſſe ſimile, ſed ab utroque diverſum. Ex quo infert, quòd iſtud ea dirimens ac ſeparans, ac nihil habens cum utroque commune, utpotè æternum; erit tertium principium: & ſic non duo tantùm, ſed tria erunt principia, imò & quatuor: *Neque enim*, inquit, *duo ſoli terminum hunc ac veluti murum conſtituere poſſunt, niſi alter quidam finitor accedat, qui inter illa duo quidpiam quo ſeparetur injiciat.* Hæc & alia ſubtiliter Epiphanius.

IV. Quia verò Manes hoc principum malum Deo adverſum ſe ponere excuſabat, ne Deum auctorem boni faceret auctorem etiam mali ſeu malitiæ: oſtendit num. 15. malum ſeu malitiam non eſſe quamdam ſubſtantiam, quæ per ſe cauſam habere petat, ſed in ſolis malè factis ſeu actionibus à bono deficientibus conſiſtere. Etenim quatenus aliquid facimus contra rationis regulam malum eſt: cùm verò nihil agimus malum non eſt. Et quamvis malum Deo diſpliceat, Deo tamen repugnare non poteſt. Si enim malum ab homine excidi ac extingui poteſt, multò minùs Deo reſiſtere poterit. Et ſicut natura hominis, ex cujus operatione malum ſequitur, mala non eſt, ita nec natura Dei, qui illud ſolùm permittit, mala erit.

V. Hinc nec Dæmon conditione vel naturâ malus dicendus eſt, ſed voluntate malum ſe fecit. Ita idem Epiphanius num. 16. *De Diabolo quoquè*, inquit, *ſic habendum eſt, eum minimè ab origine ipſa naturæque conditione malum extitiſſe, ſed aliquanto poſtea tempore malum quod faceret excogitaſſe: ita tamen ut cujuſmodi futurus eſſet non lateret. Verùm quemadmodum cætera benè atque utiliter eſſe condita præ excellenti Dei juſtitia, qui pro ſingulari ſua bonitate exiſtere vult omnia, bonaque ſua omnibus in commune proponit. Ac nihilominus tamen pro eo ac libertati cujuſcumque conceſſum eſt, privatim id permittit, ſuæ ut voluntati obſequens, quidquid libitum erit efficiat. Ut & ipſe ab omni malorum culpa ſit immunis, & eorum qui in virtute progrediuntur, atque ab humanitate bonitateque ſua præmia referunt, diſcrimen aliquid ſtatuatur.* Quibus inſania Manichæi detegitur, qui ſpecie ſervandi ab omni malitiæ labe Deum immunem, eum malitiæ ſubjicit, ut eo etiam nolente prodeat, dum oppoſitam poteſtatem, ac ſubſtantiam æternam, ac numquam deſituram adversùs eum ſtatuit, quæ ipſo invito mala producat.

 VI. Pro-

VI. Propterea S. Auguſtinus Lib. contra Secundinum Manichæum cap. 10. ad quæſtionem unde ſit malum: *Hoc*, inquit, *à me non quæras, unde ſit, cùm tibi jam ipſe reſponderis, qui dixiſti, quòd*,, cùm ſe ipſam cognoverit anima, ſi modò conſenſerit, voluntate ſua peccat,,. *Ecce unde eſt malum; à propria ſcilicet voluntate. Non autem iſta natura, ſed culpa eſt. Ac per hoc etiam contraria naturæ, cui utique nocet privando eam bono, quo beata eſſe poſſet, ſi peccare noluiſſet. Hanc tu peccati voluntatem moveri non putas in anima, niſi ex alio malo, quod credis eſſe naturam, quam non fecerit Deus, eamque animam naturam Dei eſſe contendis: ac per hoc iſta mali neſcio quæ natura ſi hanc in anima peccati voluntatem ſuadendo facit, in peccatum victus dejicitur Deus*. Validum procul dubio, & quod jugulum petit, argumentum: ſi enim à ſubſtantia vel natura Dei eſt: ſi anima à natura mala in peccatum trahitur: ergo Deus in peccatum dejicitur.

Jure igitur Concilium Bracarenſe I. anno 561. Can. 7. decrevit: *Si quis dicit Diabolum non fuiſſe priùs bonum Angelum à Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam ejus: ſed dicit eum ex chao & tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere auctorem, ſed ipſum eſſe principium & ſubſtantiam mali, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt: anathema ſit*.

VII. Supereſt duo Manichæi deliria ſubjicere, qui naturam mali vitam ſenſum &c. habere, & adversùs Deum pugnare dicebant. Hoc non meliùs præſtitero quàm ſi ex Auguſtino dicto Lib. contra Secundinum cap. 20. ea diſſipavero. Dicit ergo: *Ecce quantâ impietate, quàm nefariis horrendiſque blaſphemiis te non vis exuere, ponendo in natura quam non fecit Deus, vitam, ſenſum, ſermonem, modum, ſpeciem, ordinem, & alia innumerabilia bona, & ponendo in ipſa Dei natura ante ullam commixtionem mali ipſam mutabilitatem, quæ capi poterat, & cui timere cogebatur, videns magnam labem ac vaſtitatem adversùs ſua ſancta impendere ſecula, niſi aliquod eximium ac præclarum & virtute potens Numen opponeret. Et ut quid hoc totum, niſi ut illa Dei natura atque ſubſtantia ſic implicatum teneat hoſtem ſubjectum, ut peccans perferat & ligatum, nec totum evadat purgata jam victum & ut damnata ſervet incluſum?* En quomodo Deum timuiſſe, ne à gente tenebrarum inquinaretur, aſſerebant, & proinde ſubſtantiam ſuam in illam immiſiſſe, quo fiebat ut eâ peccante, ipſa quoque peccaret.

VIII. Indè eorum excuſationem irridens: *Præclaram verò*, inquit, *excuſationem bellicæ neceſſitatis in Deo veſtro inveniſtis, contra illud quod vobis proponitur, ut reſpondeatis, quid factura erat Deo gens tenebrarum, ſi cum ea pugnare noluiſſet: quam ſi dixeritis ali-*

aliquid fuiſſe nocituram, fatebimini corruptibilem & violabilem Deum: ſi autem dixeritis, quòd ei nocere non poſſet; quæreretur à vobis: cur ergo pugnavit? Cur ſubſtantiam ſuam corrumpendam, atque violandam, & ad peccata omnia cogendam hoſtibus tradidit? Contra iſtam ergo complexionem numquam exire potuiſtis.

At quia ſe tueri conabantur, Deum hoc feciſſe ad impediendum peccatum, contra ſic proſequitur: *Magnum aliquid vobis & tutum inveniſſe videmini, ut reſpondeatis dicentes, magna eſt iniquitas; appetere aliena, cui Deus iniquitati præbuiſſet aſſenſum, ſi eam gentem quæ hoc auſa fuerat, expugnare noluiſſet. Haberet iſta reſponſio qualemcumque juſtitiæ colorem, ſi ſaltem in ipſo bello natura Dei veſtri ſe integram impollutamque ſervaſſet, & permixta hoſtilibus membris nihil iniquitatis vel coacta vel ſeducta feciſſet: cùm verò tantis facinoribus & flagitiis eam captivam conſentire dicatis; cùm denique ab illa impietate tam immani, quâ etiam lumini ſancto, cujus portio eſt, extitit inimica, nec totam perhibeatis poſſe purgari, unde illi meritò retribuere creditis horrendi illius globi æterna ſupplicia: quantò ſatiùs erat inimicum hoſtem in ſua iniquitate relinquere inania molientem, quàm tradere ei partem Dei, cujus vires hauriret, cujus decorem corruptum ſuæ iniquitati ſociaret, quis non videat? quis tantâ obſtinatione cæcetur, ut non ſentiat, non attendat, quantò minore iniquitate gens tenebrarum fruſtra naturam invadere conaretur alienam, quàm Deus invadendam, & ad iniquitatem cogendam, & ad pœnam ex aliqua etiam parte damnandam traderet ſuam? Hoccine tandem eſt iniquitati conſentire noluiſſe, & tam ingentem iniquitatem ſinè ulla neceſſitate feciſſe?* His & aliis S. Auguſtinus Manichæos redarguit, eoſque ad hanc blaſphemiam damnandam hortatur. Nam quale flagitium eſt dicere naturam Dei violabilem & corruptibilem eſſe, & captivam fieri, nec captivam potuiſſe ſaltem juſtitiam ſervare? Cum enim Daniel & Leones irriſerit, & iniquitatem eorum à quibus captivus fuerat nullo compulſus terrore contemſerit, natura Dei juxta Manichæos captiva ducta eſt, iniqua facta eſt, non poteſt tota purgari, cogitur in fine damnari.

IX. Ex hactenus dictis colligitur, Manichæos de Deo tanquam de re corporea ac diviſibili in partes ſenſiſſe, cùm dicerent de ſua ſubſtantia particulas in materiam ſibi contrariam immiſiſſe: finitâ etiam & terminis loci circumſcriptâ, cùm ejus ſubſtantiæ particulas viventibus ſingulis incluſas ponerent & alligatas. Et diverſos fines in quibus habitaret Deus, ab iis quos incolebat gens tenebrarum aſſignarent. Unam regionem tribuerent Patri, aliam Filio, aliam Spiritui Sancto. Quare S. Auguſtinus contra Epiſt. Manichæi cap. 23. Manichæos Antropomorphitis pejores pronuntiat,

qua

quia illi Deo tantùm humanam formam tribuebant, malè intelligentes aliqua Scripturæ loca: hi verò de Deo corporali modo loquentes mille fabulas de eo texebant.

X. Trinitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti admittebant: Sed unum Deum ſub triplici nomine eſſe dicebant. Sic enim Fauſtus apud S. Auguſt. L. 20. cap. 2. *Nos*, inquit, *Patris quidem Dei Omnipotentis, & Chriſti Filii ejus, & Spiritus Sancti unum idemque ſub triplici appellatione colimus Numen*. Quibus cum Sabellio ſentire videbantur. Eos tamen declinaſſe in Arianiſmum indicant quæ ſubdit dicens: *Sed Patrem quidem ipſum lucem incolere credimus ſummam ac principalem, quam Paulus aliàs inacceſſibilem vocat: Filium verò in hac ſecunda ac viſibili luce conſiſtere; qui quoniam ſit & ipſe geminus, ut eum Apoſtolus novit, Chriſtum dicens eſſe Dei virtutem & Dei ſapientiam, virtutem quidem ejus in Sole habitare credimus, ſapientiam verò in Luna: necnon & Spiritus Sancti, qui eſt majeſtas tertia, aeris hunc omnem ambitum ſedem fatemur ac diverſorium, cujus ex viribus ac ſpiritali profuſione, terram quoquè concipientem gignere patibilem Jeſum, qui eſt vita & ſalus hominum, omni ſuſpenſus ex ligno*. His Fauſtus & ipſe Manichæus fidem ſuam (veriùs errorem) de Trinitate involvit.

XI. Ultra tres Divinas Perſonas infinitum Deorum & Angelorum numerum admittebant, quos non quidem creatos, ſed ut de ſubſtantia boni Dei genitos adorabant. Contra hunc errorem declamat S. Auguſtinus L. 15. contra Fauſtum cap. 5. & 6. qui in L. contra Adimantum cap. 13. ait: *Quod propterea faciunt, ut miſerrimæ & veſanæ ſuæ Sectæ etiam Paganorum concilient benevolentiam*. Ideoque crimen imponebant Moyſi, quòd Deos alienos vetuerit adorari, dicentes, Veterem Legem non à bono Deo, ſed à Principe tenebrarum latam & acceptam fuiſſe à Moyſe promulgatam. Quem errorem in Simonianis & aliis jam ſupra refutatum Manichæi in ſuæ Sectæ præſidium ſuſcitarunt. Præter hos de Deo errores tamquam baſim, alios, de quibus ſtatim agam, Manichæi ædificabant.

§. V.

Errores de Carne & Chriſto refutati.

I. POſitis duobus principiis uno bono & bonorum auctore, malo altero & malorum cauſa, quem Principem tenebrarum appellabant aliqui, alii Hylen, alii Diabolum, dicebant primò: Carnem eſſe à malo Deo, quia materiâ conſtantem à malo Deo procedente. Hanc inſaniam pluribus in locis S. Auguſtinus ab eorum

eorum mentibus expellere conatur. L. 12. contra Fauſt. cap. 9. ex Apoſtolo 1. Cor. 12. qui corpus humanum materiale figuram eſſe Corporis Chriſti ſpiritualis aſſerens dicit v. 18. *Nunc autem poſuit Deus membra unumquodque eorum in corpore ſicut voluit*; ita diſcurrit: *Dicit Apoſtolus* ,, Deus temperavit corpus ,, ; *& dicit iſte* (Fauſtus) *Hyle, non Deus. Quid apertius his inimicitiis ante anathemandis, quàm refellendis? Numquid & hîc Apoſtolus cum diceret*, Deus, *addidit hujus ſeculi?* Quia verò fortè dicere poterat Fauſtus, Deum temperaſſe corpus, non diſpoſitione membrorum, hoc eſt fabricando & conſtruendo; ſed admixtione lucis ſuæ, ut ſcilicet hæc membra ita diſtincta & locata ſedibus ſuis alter poſuerit qui hoc fabricavit: Deus autem miſcendo bonitatem ſuam hujus fabricæ malitiam temperaverit. Sed nec hoc poſſe dici inquit Auguſtinus: *Habes enim & paulò ſuperiùs* ,, Deus poſuit membra ſingulum quodque eorum in corpore prout voluit ,, . *Quis jam non intelligat, ſecundùm hoc Deum dictum temperatorem corporis, quòd ex multis membris corpus fabricavit, officia diverſorum operum in unitatis compage ſervantibus?*

Deinde cap. 10. à Manichæis petit, an corpora antequam Deus lucis particulam in ea immitteret, haberent hanc membrorum concordiam, quam laudat Apoſtolus. Cùmque eam habuiſſe negare non poſſint: repebant enim, ambulabant, natabant, volabant quæque pro ſuo genere, videbant quoquè, audiebant, alimentis congruis utebantur, prolis etiam fœcunditas ſuppetebat: nam & conjugia tribuunt illis: Habebant ergo hanc membrorum concordiam: & à quo habebant, niſi à Deo, qui teſte Apoſtolo hanc poſuerat? Quòd ſi ex commixtione Divinæ lucis hanc ampliùs in hoc Mundo non habent, vel niſi valdè attenuata habent, exclamat S. Doctor: *O quàm magna bona commixtione boni perdidit gens tenebrarum!*

II. Qualiter igitur originem Carnis Manichæi ſtatuerent, refert & refutat S. Auguſtinus L. 6. contra Fauſtum cap. 8. *Dicunt*, inquit, *iſti vaniloqui & mentis ſeductores, in illa pugna, quando primus eorum homo, tenebrarum gentem elementis fallacibus irretivit, utriuſque ſexus principibus indidem captis, cùm ex eis Mundus conſtrueretur, pleroſque eorum in cœleſtibus fabricis colligatos, in quibus erant etiam feminæ aliquæ prægnantes; quæ, cùm Cœlum rotari cœpiſſet, eamdem vertiginem ferre non valentes, conceptus ſuos abortu excuſſiſſe, eoſque abortivos fœtus & maſculos & feminas de Cœlo in terram cecidiſſe, vixiſſe, creviſſe, concubuiſſe, genuiſſe. Hinc dicunt eſſe originem carnium omnium, quæ moventur in terra, in aqua, in aere.*

His

His narratis S. Doctor ſic diſcurrit: *Ergo ſi de Cælo eſt origo carnium, abſurdiſſimum eſt propter hoc eas immundiores putare: præſertim quia in ipſa ſtructura Mundi, eoſdem principes tenebrarum, ita per omnes contextiones à ſummis uſque ad ima colligatos dicunt, ut quantò quique amplius haberent commixti boni, tantò ſublimiùs collocari mererentur: ac per hoc mundiores carnes eſſe deberent, quarum origo de Cælo eſt, quàm fruges, quæ oriuntur ex terra. Deinde quid tam inſanum dici poteſt, quàm conceptus ante vitæ commixtionem tantò vivaciores fuiſſe, ut & abortivi & de Cælo in terram ruentes viverent, commixtâ autem vitâ, niſi tempore maturo editi vivere non poſſint; & ſi de aliquo altiore loco cadant, continuò moriantur? Utique ſi regnum vitæ contra regnum mortis belligeravit, commixta vita vivaciores facere debuit, non corruptibiliores.* His & aliis eorum inſaniam Manichæis Auguſtinus demonſtrat.

III. Ex hoc errore dicebant ſecundò: Chriſtum veram carnem non habuiſſe, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis ſenſibus præbuiſſe, ac proinde nec verè paſſum, nec mortuum, nec verè reſurrexiſſe. Et ſic Incarnationis myſterium, beneficium paſſionis, mortis ac reſurrectionis Chriſti tollentes, totam Chriſtianam Fidem evertebant. Ut enim ait Paulus 1. Cor. 15. v. 14. *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.* Hunc errorem à Simonianis & aliis, contra quos ſupra egi, hauſerant Manichæi. Ita ſe credidiſſe, cùm eorum errore detineretur, fatetur S. Auguſtinus L. 5. Confeſs. cap. 10. nimirùm, Salvatorem non de Virgine in carne natum, ſed de maſſa lucis Divinæ emiſſum: *Ipſum quoque*, inquit, *Salvatorem noſtrum Unigenitum tuum tamquam de maſſa lucidiſſimæ molis tuæ porrectum ad noſtram ſalutem, ita putabam, ut aliud de illo non crederem, niſi quod poſſem vanitate imaginari. Talem itaque naturam ejus naſci non poſſe de Maria Virgine arbitrabar, niſi carni concerneretur. Concerni autem, & non inquinari non videbam, quòd mihi tale figurabam. Metuebam itaque credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatum.* His ſuum priſcum errorem Deo ſincerè confitetur Auguſtinus. Fuit enim per novem annos Manichæis erroribus detentus, & in eadem Secta unus ex auditoribus.

IV. Ita de Chriſto digniùs ſe ſentire gloriabantur Manichæi. Quos tamen refutat idem S. Auguſtinus Serm. 237. (aliàs 145.) de Tempore, ubi ſumto argumento ex Apoſtolis, qui putantes eum poſt reſurrectionem ſpiritum ſub apparentia carnis fuiſſe, fuerunt à Chriſto correcti, ait: *Sed tu meliùs te dicere putas, quia dicis, ſpiritus erat, ſpiritus apparebat, ſpiritus videbatur, ſpiritus in homine converſabatur. Hoc dicis, ut dixi, hoc putabant & diſcipuli.*

Si

Si nihil mali dicis, ſi bonum eſt quod dicis: bonum erat quod diſcipuli putabant. Si Dominus ſic eos dimiſit, ut hoc putarent; dimittendus es & tu. Hoc enim credebant, quod & tu: ſi bonum eſt quod tu credis, bonum erat quod illi credebant. Sed non erat bonum. Ait illis Dominus „ Quid turbati eſtis „? *Perturbatio credidit, quod credis. Quid?* „ Putabant ſe ſpiritum videre „. *Et Dominus ad hæc:* „ Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in cor veſtrum „? *Cogitationes iſtæ terrenæ ſunt. Si enim cæleſtes eſſent, deſcenderent in cor, non aſcenderent....* „ Videte manus & pedes meos, palpate & videte „. *Si parum eſt vobis adtendere, manus mittite. Si parum eſt adtendere, nec ſufficiat tangere; palpate. Nec tangite ſolùm dixit; ſed palpate & contrectate. Probent ſibi manus veſtræ, ſi mentiuntur oculi veſtri* „ Palpate & videte „ *oculos in manibus habete. Quid palpate, & quid videte?* „ Quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere „. *Errabas cum diſcipulis* (inquit Manichæo Auguſtinus) *corrigere cum diſcipulis.*

V. Chriſtus ergo, & Dominus David eſt, & filius David eſt. Dominus David ſemper, filius David ex tempore: Dominus David natus de ſubſtantia Patris, Filius David natus ex Maria Virgine, & conceptus de Spiritu Sancto. *Utrumque teneamus* (ait S.Doctor Serm. 92. aliàs 235. de Tempore) *unum horum nobis æterna habitatio, alterum horum nobis eſt à peregrinatione liberatio. Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus niſi dignatus eſſet fieri homo, periiſſet homo. Factus eſt quem fecit, ne periret quem fecit. Homo verus, Deus verus: Deus & homo totus Chriſtus. Hæc eſt Catholica Fides. Qui negat Deum Chriſtum, Photinianus eſt. Qui negat hominem Chriſtum, Manichæus eſt. Qui confitetur Deum æqualem Patri Chriſtum & hominem verum paſſum verè, ſanguinem fudiſſe verum: non enim veritas nos liberaret, ſi falſum pretium pro nobis daret: utrumque qui confitetur, Catholicus eſt. Habet patriam, habet viam. Habet patriam* „ In principio erat Verbum „: *habet patriam* „ Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo „. *Habet viam* „ Verbum caro factum eſt „: *habet viam* „ ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens „. *Ipſe eſt patria quò imus, ipſe via quà imus. Per ipſum ad ipſum eamus, & non errabimus.* Ita pulchrè & acutè S. Auguſtinus.

IV. Hâc tamen viâ incedere Manichæi nolebant: qui odio carnis abrepti conſequenter dicebant Tertiò: Chriſtum non ad corpora liberanda, ſed ad ſolas animas reparandas veniſſe: & animarum tantummodo Reſurrectionem per prædicationem veritatis nunc impleri, corporum autem reſurrectionem nuſquam futuram (ex S. Auguſt. L. de Hæreſ. cap.46. & L.4. contra Fauſtum

cap. 2.) Nec mirum. Qui enim carnem à malo Deo prodiiſſe, & propterea in Chriſto nec fuiſſe, nec ſurgente ipſo ſurrexiſſe effutiebant, dicere tenebantur, nec in aliis reſurrecturam: contra doctrinam Pauli 1. Cor. 15. ubi expreſsè carnis reſurrectionem affirmat futuram: & præcipuè v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

VII. Ob eandem rationem Quartò: execrabantur generationem, eamque impediebant; nuptias conſequenter damnantes, eaſque in fornicationem vertentes: quia etſi mulieribus uterentur, tamen ne ex coitu generatio fieret, impediebant, quòd eâ viâ materiæ & mali principii cauſam agi exiſtimarent; & quòd Divinam ſubſtantiam in omnibus ut ſomniabant alimentis permixtam, & in eos cum ciborum ſubſtantia ingreſſam, vinculis carneis per generationem ligari in prole cenſerent. De hoc adversùs Secundinum cap. 21. S. Auguſtinus: *Novi*, inquit, *unde veniat indignatio tua: non enim tibi tam fornicaria diſplicet in fornicatione, quàm quòd in matrimonium commutata eſt, & converſa ad pudicitiam conjugalem, ubi Deum creditis veſtrum in procreando filios arctioribus carnis vinculis colligari: cui putatis parcere meretrices, qui dant operam ne concipiant, ut ab officio pariendi liberæ, libidini ſerviant; feminæ quippe conceptus apud vos carcer eſt & vinculum Dei. Hinc tibi etiam illud diſplicet* „ Erunt duo in carne una „. . . . *Hinc etiam diſplicet* „ Creſcite & multiplicabini „: *ne Dei veſtri multiplicentur ergaſtula.*

Et cap. 22. proſequitur: *Inſultas, quòd mihi doluerit ſterilitas Saræ. Non planè hoc ego dolui, quia & ipſa prophetica fuit. Veſtris autem ſacrilegiis fabuloſis congruit, non ſterilitatem Saræ, ſed fœcunditatem dolere, quia omnis feminæ fœcunditas dura eſt Dei calamitas: unde non mirum eſt, quia in vobis maximè impletur, quod de talibus prædictum eſt* „ Prohibentes nuptias „. *Neque enim tam concubitum, quàm nuptias deteſtamini: quoniam in eis concubitus cauſâ propagandi, non vitium, ſed officium eſt: à quo immunis eſt continentia virorum feminarumque ſanctarum; non quia ſicut malum illud devitaverunt, ſed quia melius elegerunt.* Hiſce poſtremis verbis præfocat Auguſtinus modernorum Hæreticorum calumniam, quâ cælibatum in Eccleſia Catholica profitentes traducunt, tanquam matrimonium damnent: non enim *ſicut malum illud devitaverunt, ſed melius elegerunt.*

VIII. Hoc flagitio pollutos quidem fuiſſe Manichæos conſtat, tum ex dictis, tum ex iis quæ idem S. Doctot profert L. 15. contra Fauſtum cap. 7. ubi oſtendens, eos omnia præcepta tabulæ Decalogi peſſumdare: *Hinc etiam*, inquit, *conſequens præceptum, quod eſt*,

eſt „ Non mœchaberis „ *ita violatis*, *ut hoc maximè in conjugio deteſtemini*, *quòd filii procreantur*; *ac ſic Auditores veſtros*, *dum cavent*, *ne feminæ quibus miſcentur concipiant*, *etiam uxorum adulteros faciatis*. *Ducunt enim eas ex lege matrimonii*, *tabulis proclamantibus*, *liberorum procreandorum causâ*: *& veſtrâ lege*, *metuentes*, *ne particulam Dei ſui ſordibus carnis afficiant*, *ad explendam tantùm libidinem feminis impudicâ conjunctione miſcentur*; *filios autem inviti ſuſcipiunt*, *propter quod ſolùm conjugia copulanda ſunt*. *Quomodo ergo non prohibes nubere*, *quod de te tantò ante prædixit Apoſtolus*, *quando id conaris auferre de nuptiis*, *unde ſunt nuptiæ*? *Quo ablato*, *mariti erunt turpiter amatores*, *meretrices uxores*, *thalami fornices*, *ſoceri lenones*. Idem eis improperat L. de Moribus Manichæorum cap. 18. ubi addit, Manichæorum Electos conſueviſſe monere ſuos auditores (qui apud Manichæos ſecundus erat gradus nec ipſis nuptiæ prohibebantur) ut obſervarent tempus, quo ad conceptum mulier apta eſſet, eoque tempore à concubitu temperarent.

IX. Quintò: carnibus abſtinebant Manichæorum Electi earumque uſum deteſtabantur, quia cùm, ut ex illis refert S. Auguſtinus Lib. de Moribus Manich. cap. 15., in omnibus animantium motibus, & alterationibus fugiat ſenſim aliqua Divinæ ſubſtantiæ particula, & à carnibus mortuis etiam abierit anima bona, nil aliud in carnibus præcipuè remanet, quàm fæx ſordidiſſima, ex qua per concubitum caro formetur: unde concludebant: *Quocirca cùm anima etiam carnem deſeruerit*, *nimias ſordes reliquas fieri*, *& ideò eorum qui veſcuntur carnibus*, *animam coinquinari*. Ovis etiam & lacte uti, nefas exiſtimabant.

Lambertus Danæus, qui nihil intentatum relinquit, quo Catholicis calumnietur, Opuſc. de Hæreſ. cap. 46. „ Papiſtæ, inquit, „ dum in ſuis jejuniis ex Gregorii decreto, quod eſt in Canone. „ Denique diſtinc. 4. refugiunt & damnant eſum eorum omnium, „ quæ Sementinam, ut ipſi loquuntur, trahunt originem carnis, „ manifeſtè in Manichæorum errorem incidunt. Hoc ipſum „ damnat Paulus 1. Cor. 9. v. 7. 1. Timoth. 4. v. 3. & Dominus ipſe „ Geneſ. 9. v. 4. 5. Actorum 10. v. 13.

At dicat mihi calumniator iſte. Unde didicit, Catholicos, quos ipſe Papiſtas hæretico ſpiritu appellat, in ſuis jejuniis à carnibus, ovis, & lacticiniis abſtinere, quia putent ea naturâ ſuâ mala eſſe, ut Manichæi, Encratitæ, & alii exiſtimarunt, quos proinde damnat Paulus: & non potiùs ab illis abſtineant, ut debilioris nutrimenti cibis utantur, ut carnem macerent? Ad hunc finem abſtinentiam ab illis certo tempore Eccleſia præcipit: cur

Danæus non audit potiùs Paulum Rom. 14. v. 3. dicentem: *Is qui manducat non manducantem non ſpernat*. Et v. 21. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum?* Si bonum eſt abſtinere à carnibus, ne infirmi offendantur, cur bonum non erit abſtinere, ne caro concupiſcat adversùs ſpiritum? Audiat S. Auguſtinum L. 30. contra Fauſtum ſimilia objicientem cap. 5. *Chriſtiani, non Hæretici, ſed Catholici edomandi corporis causâ, propter animam in orationibus ampliùs humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant, non ſolùm à carnibus, verùm etiam à quibuſdam terræ fructibus abſtinent; vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes, quantò magis quiſque vel minùs ſeu voluerit, ſeu potuerit. Vos autem ipſam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes Diabolus operetur fæculentiore materiâ mali; ac per hoc eas tamquam immundiora & truculentiora Dei veſtri vincula exhorrentes abjicitis*. En ab Auguſtino ſtatutum diſcrimen inter abſtinentiam à carnibus Catholicorum & Manichæorum. Cur ergo eos cum Manichæis confundit? Cur veriùs ipſe cum Joviniano ſentire & loqui dicendus non eſt, qui teſte S. Auguſt. Hæreſi 82. dicebat, *nec aliquid prodeſſe jejunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiam?* Sed de hoc fusè locutus ſum in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1. art. 6. Illuc ergo Lectorem meum remitto.

X. Sextò: Vinum quoque ut fel Principum tenebrarum averſabantur, uvas tamen comedebant, putantes in uvis Dei ſui particulam adhuc manere, ab eis autem calcatis & in muſtum ac vinum redactis eam abiiſſe; hinc S. Auguſtinus L. 20. contra Fauſtum dicentem parem ſibi religionem eſſe cum Catholicis circa panem & calicem cap. 13. ait: *Cur autem arbitretur Fauſtus parem nobis eſſe religionem circa panem & calicem, neſcio, cùm Manichæis vinum guſtare, non religio ſed ſacrilegium ſit. In uva enim agnoſcunt Deum ſuum, in cupa nolunt, quaſi aliquid eos calcatus & incluſus offenderit*. Hinc ſub unica tantùm ſpecie Manichæi Euchariſtiam ſumebant: quo indicio eos detegendos monet S. Leo Serm. 41. de Quadrageſima 4. cap. 5. dicens: *Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum, ne penitùs latere non poſſint, ore indigno Chriſti corpus accipiant, ſanguinem autem redemtionis noſtræ haurire omninò declinent. Quod ideò veſtræ notum facimus ſanctitati, ut vobis hujuſcemodi homines, & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, à Sanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur*. Qualia autem horrenda in ſua Euchariſtia agerent infra dicam.

XI. Panem mendico ac extremè eſurienti, vel cujuſcumque ge-

generis cibum præbere nefas arbitrabantur, ne adminiculum darent materiæ, & mali principii cauſam agerent (tacitè improbantes factum Chriſti, qui ad turbas famelicas paſcendas panes multiplicavit) & hoc quia putabant, à nemine, quàm à ſuis Electis Divinam ſubſtantiam in alimentis detentam, & quaſi inquinatam purgari ac liberari poſſe. Unde S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios ait: *Pro re hoſtili habetur apud Manichæos pauperum commiſeratio*.

Attamen S. Auguſtinus ſupponit, pauperi importunè petenti nummos dare non exhorruiſſe: ideòque L. de Moribus Manichæorum cap. 16. eos irridet dicens: *Quæ cùm ita ſint, etiam panem mendicanti dare prohibetis: cenſetis tamen propter miſericordiam, vel potiùs propter invidiam nummos dari. Quid hìc priùs arguam, crudelitatem, an vecordiam? Quid enim ſi eo loco res agatur, ubi cibus inveniri non poteſt? Homo egens ille fame moriturus eſt, dum tu vir ſapiens & benignus magis cucumerem, quàm hominem miſerearis. Hæc eſt profectò (quid enim dicam congruentiùs & planiùs?) falſa miſericordia, & vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim ſi nummis illis quos dederis, ſibi panem emat? Nonne hoc in illo pars illa veſtra Divina, qui hanc ſumit à venditore, paſſura eſt, quod paſſura erat, ſi te dante ſumſiſſet? Involvit igitur ſordibus peccator ille mendicus partem Dei revolare cupientem, tuis nummis ad tantum ſcelus adjutus: & tamen vos homines prudentiſſimi intereſſe arbitramini, ſi homicidium facturo non detis hominem quem occidat, ſed ſcientes pecuniam, unde occidendum comparet, detis. Quid ad hanc inſaniam addi poteſt? Ita enim fit, ut aut homo moriatur, ſi venalem non invenerit cibum, aut cibus ipſe, ſi invenerit: quorum alterum eſt verum homicidium; alterum veſtrum, vobis tamen ita tribuendum, tamquam utrumque ſit verum*. Ita irridens eorum inſaniam detegit, & diſſipat S. Auguſtinus.

XII. Septimò: Odio quo adversùs carnem ferebantur Sanctorum reliquias execrabantur: unde Fauſtus Manichæus, ut videre eſt apud S. Auguſtinum Lib. 20. contra ipſum, improperabat hoc Catholicis, quòd eas venerantur dicens cap. 4. *Idola vertiſtis in Martyres, quos votis ſimilibus colitis*. Hinc vides, à quibus hauſerint moderni Hæretici ſacras reliquias contemnere, & nos qui eas veneramur de idololatriæ crimine accuſare. Utroſque tamen calumniatores eſſe S. Auguſtinus demonſtrat ibidem cap. 21. dicens: *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſâ ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, conſtituamus alta-*

altaria. Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit: ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exſurgat ad acuendam caritatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum, quo adjuvante poſſumus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus. Sed illos tantò devotiùs, quantò ſecuriùs poſt certamina ſuperata, quantò etiam fidentiori laude prædicamus jam in vita feliciores victores, quàm in iſta adhuc uſque pugnantes. At illo cultu quæ Græcè Latria *dicitur, Latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.* Hæc erat Auguſtini temporibus Eccleſiæ Catholicæ fides: eadem modò eſt Eccleſiæ Romanæ. Quod tunc opponebant Manichæi, opponunt modò Proteſtantes. Quis pro vera fide pugnet quiſque judicabit. De hoc egi in Vera Eccleſia Tom.2. p.2. art.15.

XIII. Octavò: De Chriſto alia ridicula ſimul & indigna ſpargebant, nimirùm fuiſſe Serpentem illum, qui Adamo & Evæ per eſum pomi ſcientiam boni & mali infudit. Ita ex S. Auguſt. L. de Hæreſibus cap. 46. Quam inſaniam ab Ophitis ſupra rejectis hauſerant. Rursùs Chriſtum eſſe Solem hujus Orbis, eos tradidiſſe refert Theodoritus L.1.Hæret. Fab. c.26. Re verâ tamen Chriſtum in Sole potiùs & Luna, ſicut Spiritum Sanctum in aere habitaſſe aſſerebant, ut ex Fauſto apud S. Auguſtinum L. 20. contra ipſum edito cap.2. apparet.

Quia verò mendacium ſibi nunquam conſtans eſſe poteſt, Chriſtum, ſeu Jeſum, à quo tanto conatu ex dictis veram carnem auferentes verè patibilem eſſe & ex Virgine natum eſſe negabant, dicebant poſtea, ex Spiritu Sancto & terra patibilem gigni, & in omnibus herbis, & arboribus eſſe ſuſpenſum. Unde vel duos Chriſtos fingebant: unum in Sole & Luna degentem, qui ſub Pontio Pilato apparenter tantùm eſſet paſſus, & alterum patibilem & per terram diſtentum; vel ſecum ipſi pugnabant. Hujus delirii teſtis eſt & irriſor S. Auguſtinus L. 20. contra Fauſtum c. 11. ubi: *Quid autem hinc dicam*, inquit, *quod ait* „ Ex viribus Sancti Spiri-„ tus ac ſpiritali profuſione terrâm quoque concipientem gignere „ patibilem Jeſum, qui eſt vita & ſalus hominum omni ſuſpenſus „ ex ligno „? *O demens!.... poteſtne terra de Spiritu Sancto concipere patibilem Jeſum, & Maria Virgo non potuit? Compara ſi audes virginalia viſcera tantâ ſanctitate ſanctificata cum omnibus terræ*

locis,

locis, ubi arbores herbæque gignuntur. Itane in illa ſemina exborreſcis, aut horreſcere te fingis uterum pudicitiæ dedicatum: & in hortis omnibus circum quaſque urbes ex cloacinis aquis Jeſum gigni non exhorreſcis? .... An ut hoc defendatis, dicetis, Spiritum Sanctum incontaminabili ubique pollere præſentiâ? Reſpondetur vobis: Cur non ergo & in utero virginali?

Inde poſt multa, quæ à Lectore meo videnda reſervo: *Poſtremò*, ſubdit, *dicite nobis, quot Chriſtos eſſe dicatis. Aliuſne eſt, quem de Spiritu Sancto concipiens terra patibilem gignit omni non ſolùm ſuſpenſus ex ligno, ſed etiam jacens in herba? Et alius ille quem Judæi crucifixerunt ſub Pontio Pilato; & tertius ille per Solem Lunamque diſtentus? An unus atque idem ex quadam ſui parte ligatus in arboribus, ex quadam verò liber, eidem ligatæ captæque ſubveniens?* Deinde procedit oſtendens: quòd ſi idem eſt qui fuit crucifixus, aut corpus verum non habuit, & ſic pati non potuit. Aut habuit, & ſic quærit, unde habuerit, cùm omnia corporea ex gente tenebrarum eſſe dicant, imò nec ſubſtantiam Divinam cogitare niſi corpoream valuerint. Unde concludit, eos cogi admittere, aut ſinè corpore crucifixum eſſe Chriſtum: aut eum habuiſſe corpus de gente tenebrarum: aut dari corpus de Divina ſubſtantia, quod tamen poſſit ligno affigi & occidi. At miſeros iſtos tot contradictionibus implicatos dimittentes, ad ulteriores eorum dementias procedamus.

§. VI.

Errores de Homine, Animabus, Libero arbitrio, Fide, Bello &c.

I. Tot hujus turpiſſimæ Sectæ fuere deliramenta, ut ſingulis referendis & ſimul refutandis vix integer Tomus ſufficeret. Strictè ergo ea recenſebo. De Mundi creatione, hanc ut dixi cum S. Auguſtino Hær. 46. ex conflictu gentis tenebrarum cum Deo proceſſiſſe effutiebant, ut Divina ſubſtantia corporibus ligaretur. De Adami etiam & Evæ productione eorum fabulam cum S. Auguſtino citato loco ſupra expoſui. Hanc Epiphanius Hæreſi 66. num.30. ita refert: *Eum qui ita loquutus eſt* „ Venite; faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem „ *ſive ad eam quam vidimus formam, Principem eſſe, qui reliquis Principibus dixerit: Adeſte: date mihi ex illa luce, quam accepimus* „ & faciamus hominem „ *ad noſtram qui Principes ſumus effigiem, qualem aſpeximus; qui quidem primus homo eſt: ita hominem fabricaſſe. Eâdem*

dem & Evam ratione condidiſſe, eique de ſua cupiditate ad Adamum decipiendum impertiiſſe. Ita Epiphanius.

Aliter fabulam hanc narrat Theodoritus L.1. Hær.Fab. c.26. his verbis: *Porrò autem hominem quoque dicunt non eſſe à Deo formatum, ſed à Principe materiæ, eum autem Saclam nominant, & ſimiliter dicunt, Evam à Sacla & Nembrod factam eſſe: & Adam quidem belluina forma præditum creatum fuiſſe; Evam autem inanimam & immobilem. Maſculinam autem Virginem, quam Filiam lucis nominant & Joel appellant, vitam & lucem Evæ impertiiſſe. Adam verò ab Eva feritate liberatum eſſe. Saclam autem cum ea primùm coiiſſe & belluæ formâ præditum filium ex ea ſuſcepiſſe. Deinde cum ea etiam rursùs conjunctum eſſe dicunt.* Sed quid in hiſce nugis ſeu veriùs impietatibus Lectorem detineo? Veriùs dixiſſent, non primos homines, ſed Manichæum & ſuos à Principe tenebrarum Diabolo ortum ſuum accepiſſe.

II. Nec eos convincere poſſes provocando ad Scripturam, aliter productionem Adami & Evæ, & quidem à Deo ſummo omnium conditore, factam, enarrantem. Nam Vetus Teſtamentum (& is erat alter eorum error) integrum rejiciebant; aſſerentes, Deum qui per Moyſen Legem dedit, & in Prophetis loquutus eſt, non eſſe verum Deum ſed unum ex Principibus tenebrarum. At hic etiam ſe ſtultos manifeſtabant. Si enim Princeps tenebrarum condidit hominem, ſi idem Veteris Teſtamenti auctor eſt: cur hominis conditionem non exponunt, eo modo quo Vetus Teſtamentum in Geneſi eam factam fuiſſe narrat? Sed eorum mentes quaſi miſeræ naves omni vento huc illucque circumferuntur. Quare eâdem ratione etiam Novi Teſtamenti Scripturas adulteratas eſſe contendebant, nec in totum admittebant ut veras. Unde S.Auguſtinus L.17. contra Fauſtum c.3. *O mirabilem*, inquit, *inſaniam! De Chriſto aliquid narranti nolle credi Matthæo, & velle credi Manichæo. Si Matthæus non interfuit, cùm Chriſtus dixiſſet:* Non veni ſolvere Legem aut Prophetas, ſed adimplere,, *& propterea non eſt ei credendum: numquid Manichæus interfuit, aut jam vel natus fuit, cùm Chriſtus inter homines appareret? Secundùm ergo hanc fidei veſtræ legem, nihil ei de Chriſto teſtificanti credere debuiſtis. Nos autem non propterea dicimus non credendum eſſe Manichæo, quia dictis factiſque Chriſti non interfuit, & longè poſt natus eſt: ſed quia de Chriſto contra Chriſti diſcipulos loquitur, & contra Evangelium, quod illorum auctoritate firmatum eſt. Habemus enim Apoſtoli vocem, qui in Spiritu Sancto tales venturos eſſe cernebat. Unde fidelibus dicebat, ſi quis vobis evangelizaverit, præterquàm quod accepiſtis, anathema ſit.* Ita S. Auguſtinus, qui poſtquam multis oſtendit,

dit, credendum eſſe Matthæo, & quòd ſi Matthæo credere nolunt, credant ſaltem Joanni atteſtanti Legi & Prophetis; concludit: *Undique tergiverſatio veſtra contunditur. Apertè dicite, non vos credere Chriſti Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis*. Audiant hoc moderni Hæretici, qui ſuo privato ſpiritu judices Evangelii ſe conſtituunt.

III. Quia verò dicebant, in Manichæum deſcendiſſe Spiritum Sanctum & in eo impletum fuiſſe, quod Chriſtus promiſerat Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*: reſpondeant quæſo. Paraclitus, quem Chriſtus Apoſtolis promiſit, *Spiritum veritatis* futurum eſſe dixit, quo repleti in die Pentecoſtes omnem Evangelicam veritatem Eccleſiæ tradiderunt. Porrò cùm Paraclitus, quo ſe imbutum dixit Manichæus, contraria locutus ſit doctrinæ ab Apoſtolis traditæ, vel duos Paraclitos Spiritus Dei invicem pugnantes admittere neceſſe erit, quo fiat, ut cui credendum ſit, ignoremus: vel dicendum, ut re verâ eſt, Spiritum quo ſe impletum jactabat Manichæus, non eſſe Paraclitum Dei Spiritum Veritatis, ſed Spiritum Principis tenebrarum Diaboli, Spiritum mendacii; qualem fuiſſe Spiritum, quo ſe impletum jactabat Montanus ſupra oſtendi: quod S. Auguſtinus confirmat L. 32. contra Fauſtum c. 17. *Quia enim*, inquit, *poſt reſurrectionem & aſcenſionem Domini continuò venturus erat Spiritus Sanctus, apertiſſimè dictum eſt à Joanne* (c. 7. v. 39.) „ Spiritus enim nondum erat datus, quia Jeſus nondum fuerat glorificatus „. *Si hæc itaque cauſa erat, ut non daretur, quia nondum erat clarificatus Jeſus, procul dubio clarificato Jeſu jam cauſa erat ut ſtatim daretur*.

IV. Rursùs cùm Manichæi aſſererent, Manen ſuum non tantùm fuiſſe à Paraclito miſſum, ſed à Paraclito ſuſceptum eo modo, quo Jeſus ſuſceptus fuit à Verbo, ſeu Filio Dei, placeat audire Auguſtinum L. contra Epiſtolam Manichæi c. 7. eos ita perſtringentem: *Quæro, cùm Pater & Filius & Spiritus Sanctus, vobis etiam confitentibus, non diſpari naturâ copulentur, cur hominem ſuſceptum à Spiritu Sancto Manichæum, non putatis turpe natum ex utroque ſexu prædicare, hominem autem ſuſceptum ab Unigenita Sapientia Dei, natum de Virgine credere formidatis? Si caro humana, ſi concubitus viri, ſi uterus mulieris non potuit inquinare Spiritum Sanctum, quomodo potuit uterus Virginis inquinare Dei Sapientiam? Manichæus ergo iſte, qui de Sancto Spiritu & Evangelica lectione gloriatur, neceſſe eſt vobis concedat, aut miſſum ſe eſſe à Spiritu Sancto, aut ſuſceptum. Si miſſus eſt, Paracleti ſe Apoſtolum dicat; ſi ſuſceptus, concedat ei hominem matrem, quem ſuſcepit Unigeni-*

tus Filius, ſi ei quem ſuſcepit Spiritus Sanctus concedit & patrem.

Et paulò infra: *Quòd ſi dixeritis, non in utero, vel ante uterum, ſed jam natum Manichæum à Spiritu Sancto eſſe ſuſceptum, ſufficit fateamini habuiſſe carnem de viro & femina procreatam. Cùm enim vos non timeatis viſcera & ſanguinem Manichæi de humano concubitu venientem, & inteſtina fimo plena, quæ caro illa geſtabat; & his omnibus non credatis contaminatum eſſe Spiritum Sanctum, à quo illum hominem ſuſceptum eſſe creditis: cur ergo uterum virginalem & intacta genitalia reformidem, & non potiùs credam, Sapientiam Dei in ipſis maternis viſceribus homine ſuſcepto immaculatam ſinceramque manſiſſe? Quapropter quoniam ſive miſſum, ſive ſuſceptum à Paracleto ſe Manichæus veſter affirmet, nihil horum poterit obtinere: ego jam cautior, neque miſſum eum credo, neque ſuſceptum.* His Auguſtinus jugulum Manichæorum petit.

V. Cohærenter ad ſuum errorem de duobus principiis bono & malo duas in homine ponebant animas: unam bonam, quam dicebant eſſe partem ſubſtantiæ Dei à Deo inditam, cui omnia bona hominis tribuebant: alteram malam, quæ non à Deo, ſed à gente tenebrarum procederet. Iſtam propriam eſſe carnis: illam ex adventitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, eique permixta remanſerit. De hoc agit S. Auguſtinus præcipuè in Lib. de duabus Animabus cap. 1. & ſequentibus. Et ſanè animam hominis non eſſe de ſubſtantia vel partem ſubſtantiæ Dei, ſed effectum Dei à Deo in homine inſpiratum, probant verba illa Geneſ. 2. v. 7. *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Unde S. Auguſtinus L. 1. contra Adverſarium Legis & Prophet. cap. 14. ait: *Flatus autem ille Dei qui hominem animavit, factus eſt ab ipſo, non de ipſo. Quia nec hominis flatus hominis pars eſt; nec homo eum facit de ſe ipſo, ſed ex aerio halitu ſumto & effuſo: Deus verò potuit & de nihilo & vivum rationalemque facere, quod non poteſt homo.*

Idem S. Doctor in Diſputatione 1. contra Fortunatum Manichæum interrogantem, an Anima Dei ſit an non? ait: *Si quæris, utrum à Deo deſcenderit anima, magna quidem quæſtio eſt: ſed ſive à Deo deſcendit, ſive non; illud de anima reſpondeo, non eſſe Deum; aliud eſſe Deum, aliud animam. Deum eſſe inviolabilem, incorruptibilem, & impenetrabilem & incoinquinabilem, & qui ex nulla parte corrumpi poſſit, & cui nulla ex parte noceri poteſt. Animam verò videmus, & peccatricem eſſe, & in ærumna verſari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio animæ oſtendit mihi, quòd anima non ſit Deus. Nam ſi anima ſubſtantia Dei eſt, ſub-*

Digitized by Google

ſubſtantia Dei errat, ſubſtantia Dei corrumpitur, ſubſtantia Dei violatur, ſubſtantia Dei decipitur: quod nefas eſt dicere.

VI. At quia dicebant, animam peccatis ac infirmitatibus obnoxiam non eſſe animam bonam, quæ pars ſubſtantiæ Dei eſt: ſed animam naturâ malam à gente tenebrarum profectam, & cum Dei parte pugnantem; Hæc tamen eorum turpis erat imaginatio. Tum quia malum naturam aliquam & ſubſtantiam eſſe ponebant, non purum vitium naturæ, alioquin bonæ. Tum quia volebant malum prævalere bono, & quidem Divino, & animam bonam partem Dei vinci à malo, eique velut captivam ſervire etiam in malo.

VII. Sciant ergo, malum non eſſe naturam, ſed vitium naturæ alioquin bonæ malâ ſuâ voluntate contractum. Anima quidem bonam fecit Deus: ſed cùm dederit liberum voluntatis arbitrium, ipſa eo abutens maluit ſuæ cupiditati, quàm Deo ac ejus Legi obtemperare. Unde S. Auguſt. contra Fortunatum Manichæum Diſput. 2. *Noſtra*, inquit, *fides hæc eſt, quòd malorum genitor non ſit Deus, neque ullam naturam fecerit malam. Sed cùm uterque noſtrum conſentiat incorruptibilem Deum & incoinquinabilem, prudentium eſt æſtimare & fidelium, quæ ſit fides purior & majeſtate Dei dignior: illa ubi aſſeritur, vel virtus Dei, vel pars aliqua Dei, vel ſermo Dei poſſe commutari, violari, & corrumpi, ligari; an ea ubi dicitur, & omnipotentem Deum, & omnem ipſius naturam & ſubſtantiam nullâ parte unquam poſſe corrumpi: ſed mala eſſe voluntario peccato animæ, cui dedit Deus liberum arbitrium. Quod liberum arbitrium ſi non dediſſet Deus, judicium puniendi nullum juſtum eſſe poſſet, nec meritum rectè faciendi, nec præceptum Divinum ut ageretur pœnitentia de peccatis; nec ipſa indulgentia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum donavit. Quia qui non voluntate peccat, non peccat.... Si quis enim verbi causâ ligaretur ab aliquo cæteris membris, & de manu ejus falſum ſcriberetur ſivè ejus propria voluntate; quæro ſi hoc judici pateſieret, poſſet hunc hominem falſitatis crimine condemnare? Quare ſi manifeſtum eſt, peccatum non eſſe, ubi non eſt liberum voluntatis arbitrium, volo audire, anima, quam dicitis, aut partem, aut virtutem, aut ſermonem, aut aliud quodlibet Dei, quid mali fecerit, ut à Deo puniatur, aut pœnitentiam agat peccati, aut veniam mereatur, cùm nihil ipſa peccaverit.*

VIII. Audiendus eſt etiam idem S. Auguſtinus in Libro de duabus Animabus cap. 14. ubi probat, neutram ex illis pœnitere poſſe peccati: non bonam, quia nihil mali, non malam, quia nihil boni facere poteſt: *Quæro*, inquit, *ex duobus illis generibus animarum,*

rum, cujus ſit pœnitere peccati? Scio quidem neque illius eſſe poſſe, qui malè facere, neque illius, qui benè facere non poteſt: quare ut eorum verbis utar, ſi animam tenebrarum peccati pœnitet; non eſt de ſubſtantia ſummi mali: ſi animam lucis, non eſt de ſubſtantia ſummi boni. Pœnitendi enim affectus ille qui prodeſt, & malè feciſſe pœnitentem, & benè facere potuiſſe teſtatur. Quomodo igitur ex me nihil mali, ſi ego perperam feci? aut quomodo me rectè pœnitet, ſi ego non feci? Audi partem alteram. Quomodo ex me nihil boni eſt, cui bona voluntas ineſt? aut quomodo me rectè pœnitet, ſi non ineſt? Indè concludit, quòd Manichæi, vel à Chriſtiano nomine & etiam imaginariâ ratione pœnitentiam ejiciant, aut animarum duo illa genera docere jam deſinant. *Quod ſi faciant, Manichæi eſſe utique jam deſinent: nam tota illa Secta bicipiti, vel potiùs præcipiti animarum varietate fulcitur.* Ita S. Auguſtinus.

IX. Et meritò nam ex hoc falſo principio inferebant primò, ut ſupra ſ.3. ex S.Auguſtino L. de Hæreſ. cap.46. dixi, carnalem concupiſcentiam non eſſe infirmitatem ex primi hominis peccato in nobis ſuperſtitem, ſed eſſe ſubſtantiam mali nobis intimè adhærentem & pugnantem cum ſubſtantia boni; & in hoc ſenſu exponebant illud Pauli ad Galat. 5. v. 17. *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis;* ex quo pugnam duarum animarum deducentes dicebant, concupiſcentiam non eſſe vitium aliquando in nobis in æterna felicitate ſanandum; ſed ſubſtantiam malam à nobis ſeparandam, & poſt Mundi conflagrationem in globo quodam velut in carcere recludendam. In quo Manichæi cum Pelagianis partim conveniebant, partim diſconveniebant. Conveniebant: quia utrique concupiſcentiam ponebant eſſe de natura hominis, ac proinde eam in Paradiſo etiam habuiſſe: diſconveniebant, quia Manichæi eam ponebant ſubſtantiam naturæ malæ: Pelagiani verò eam ut bonam laudabant. Ab utriſque diſſident Catholici, ait S. Auguſtinus L. 3. Oper. imperfecti contra Julianum cap. 177. *Nos ergo carnis concupiſcentiam nec ſubſtantiam naturæ malæ eſſe dicimus, quod dicunt Manichæi, nec omnis ejus uſus reprobatur à nobis, ſicut à Manichæis: nec eam rursùs bonam dicimus, quod dicunt Pelagiani, nec ejus contra ſpiritum motus laudatur à nobis, ſicut à Pelagianis: ſed dicimus eam eſſe vitium ſubſtantiæ bonæ, quod in noſtram naturam per prævaricationem primi hominis verſum eſt, quod dicunt Catholici Chriſtiani, ejuſque mali uſus licitus & honeſtus liberorum procreandorum causâ approbatur à nobis, ſicut à Catholicis Chriſtianis. Ita & Manichæos & Pelagianos ſuperamus, atque vitamus; quorum ſic errores utrorumque diverſi ſunt, ut qui vide-*

Digitized by Google

videtur minor, ipſe illius qui videtur major, demonſtretur adjutor.

X. Inferebant ſecundò, in homine non eſſe liberum arbitrium ad peccandum. Ex quo enim duas in homine collocabant animas, bonam unam, & hanc à Deo; malam alteram, & hanc à Principe tenebrarum, mala culpæ, quæ in homine ſunt, non libero arbitrio, quod, ajebant, foret Deum peccati auctorem facere, nec infirmitati naturæ peccato primi hominis corruptæ tribuebant, ſed animæ naturâ malæ: itaut à criminum quæ patrabant culpâ ſe vacare aſſererent, ſed ad ea vi malignantis naturæ vel invitos cogi. Contra hunc errorem tres libros de Libero Arbitrio ſcripſit S. Auguſtinus: in quorum primo motâ quæſtione, unde ſit malum, explicat quid ſit malè agere, tumque mala hominum facta ex libero voluntatis arbitrio proficiſci oſtendit, cùm libidini, quæ in omni malo facto regnat, ſervire nemo cogatur. Quæ ſtudioſus apud S. Doctorem percurrere poterit. At quia in auferendo libero arbitrio à natura hominis per peccatum corrupta moderni Hæretici conveniunt, videri poſſunt quæ dixi in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1, art. 7. Primus, qui hominem libertate ſpoliavit, & omnia neceſſitate abſolutâ evenire dixit, fuit Simon Magus, quem ſecuti ſunt Marcion, Manes, Petrus Abaelardus, Jo: Wicleffus, Lutherus, Calvinus, eorumque gregales.

XI. Errabant inſuper, quia fidei neceſſitatem, & utilitatem rejiciebant, irridentes Catholicam diſciplinam, quâ homines credere in primis juberentur, non autem ad veritatis notitiam ratione ducerentur. Et quidem ſtultè, nedum impiè. Nam ſi quis criterio rationis Manichæorum doctrinam expendere velit, eam nedum veræ fidei, ſed rectæ rationi repugnantem inveniet. Quid enim rationi magis adverſum, quàm Deum captivum, coinquinatum proponere, præter alia, de quibus ſupra, quæ ipſi docebant?

Contra hunc errorem, quo & ipſe olim deceptus fuerat S. Auguſtinus Librum ſcripſit de Utilitate credendi ad Honoratum, hoc nævo ex parte pollutum, ubi cap. 1. ait: *Eſt igitur mihi propoſitum, ut probem tibi, ſi poſſim, quòd Manichæi ſacrilegè & temerè invehantur in eos, qui Catholicæ fidei auctoritatem ſequentes, antequam illud verum quod purâ mente conſpicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur Deo. Noſti enim, Honorate, non aliam ob cauſam nos in tales homines incidiſſe, niſi quòd ſe dicebant, terribili auctoritate ſeparatâ, merâ & ſimplici ratione eos qui ſe audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat, annos ferè novem, ſpretâ religione quæ mihi puerulo à parentibus inſita erat, homines illos ſequi ac diligenter audire, niſi quòd nos ſuperſtitione terreri, & fidem nobis*

ante

ante rationem imperari dicerent, ſe autem nullum premere ad fidem, niſi priùs diſcuſſá & enodatá veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præſertim adoleſcentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in ſchola doctorum hominum diſputationibus ſuperbus & garrulus; qualem me tunc illi invenerunt, ſpernentem ſcilicet quaſi aniles fabulas, & ab eis promiſſum, apertum & ſincerum verum tenere atque haurire cupientem. His & aliis ſuam deceptionem ingenuè ac ſincerè confitetur S. Auguſtinus, quam deinde poſitus in Auditorum numero agnovit, & movente gratiâ depoſuit, & tot Libris editis ab aliis etiam avertere acerrimè ſtuduit. Hâc arte Manichæi fallebat incautos, & ut fidem peſſumdarent, Sacras Scripturas, ut vidimus, contemnebant.

XII. Quæ verò & quales eſſent rationes, quibus ad ſuam fidem ſimplices allicere conabantur, inſanæ mentis potiùs chimæras, quam rectæ rationis cogitatum, ſupra ex parte expoſui, nimirùm de duobus principiis, eorum pugna, ex qua Divinam ſubſtantiam ubique permixtam eſſe dicebant. Quibus addebant, plantas & arbores non vegetante dumtaxat, ſed ſentiente vitâ præditas eſſe, & doloris capaces ſomniabant: unde agriculturam tanquam plurium homicidiorum ream accuſabant; hinc fruges metere, fructus ex arbore decerpere, plantas & legumina quælibet evellere, Manichæorum Electis nefas arbitrabantur: quæ tamen ſuis Auditoribus ignoſci aſſerebant, quia hæc ſibi ad eſum parabantur; ſic ex homicidiis vivebant. Et quia ea quæ ab Electis ſuis comedebantur, à fæce materiæ & mali purgari, ſecùs tamen ea quæ ab aliis comedebantur, fiebat, ut quæ ad eſum ipſis parabantur tota à ſe conſumenda eſſe cenſerent, nefaſque putarent, reliquias ciborum ſuorum aliis etiam pauperibus dare vel abjicere: & hoc, ajebant, ne cibis permixta lux & ſubſtantia Divina non purgata maneret: ideòque non ſolum ad ſatietatem, ſed ad cruditatem & ructum uſque comedebant, S. Auguſtino teſte Lib. de Moribus Manich. cap.*16*.

XIII. Animarum metempſycoſim ſeu tranſmigrationem cum Pythagora aſſerebant, adeò ut animam hominis in corpus bruti, aut etiam plantæ tranſire putarent. Animas tamen ſuorum Auditorum in corpora Electorum tranſire arbitrabantur, ut in ipſis purgatæ in nulla ampliùs corpora reverterentur. Ex S. Auguſt. L. de Hæreſ.

XIV. Bellum prorsùs illicitum eſſe contendebant. Unde Fauſtus apud illos celebris accuſabat Moyſen, quòd ſpoliaverit Ægyptios & bella geſſerit. Eum tamen confutat S. Auguſtinus L. 22. contra ipſum cap. 74. & ſeq. ubi inter alia oſtendit, Moyſen mandante

Digitized by Google

dante Deo bella geſſiſſe ejus juſſu digna dignis rependendo, additque, quòd *nocendi cupiditas*, *ulciſcendi crudelitas*, *impacatus*, *atque implacabilis animus*, *feritas rebellandi*, *libido dominandi*, *& ſi qua ſimilia*, *hæc ſunt quæ in bellis jure culpantur*. Bellum verò ſi juſtum ſit non damnari, oſtendit tum ex Joanne Baptiſta, ad quem accedentibus militibus & dicentibus Lucæ 13. v.14. *Quid faciemus & nos?* non reſpondit, Arma abjicite: ſed *Neminem concutiatis*, *neque calumniam faciatis*, *& contenti eſtote ſtipendiis veſtris*. Tum ex ipſo Chriſto qui Centurionis fidem laudavit quidem; ſed militiæ deſertionem non imperavit. Mirum tamen mihi eſt, quòd Manichæi, qui ex pugna & bello inter ſua principia Mundum & cætera omnia proceſſiſſe imò & in pugna conſiſtere, ut ex dictis, aſſerebant, bellum poſtea inter homines reprobarent: Cùm tamen Sebaſtianus quidam de eorum Secta dux militum eſſet, qui referente S. Athanaſio in Apologia de fuga ſua, ut Arianis faveret, in Catholicos crudeliter deſæviit.

XV. In moribus & converſatione ſuavitatem ac modeſtiam, præcipuè Electi exteriùs affectabant, vitam auſteram, humilem, caritatem ſpirantem profitentes, vultu demiſſo, & habitu contemtibili incedebant. Jejunia frequentabant: ſed diebus Dominicis & Lunæ in honorem Solis & Lunæ, quibus cultum deferebant, vel tanquam Diis, vel tanquam Dei ſedibus, ad quas animæ purgatæ ferebantur. Diem etiam Dominicum jejunio conſecrabant, ut Catholicis, quibus eâ die jejunium in gaudium Reſurrectionis Domini in uſu non erat, ſe opponerent; unde Manichæi, qui Chriſtum verè reſurrexiſſe negabant, in contemtum jejunare volebant. Hinc factum eſt, ut die Dominico jejunare Catholicis ſcandalo eſſet. Sic S. Auguſtinus Epiſt.36. (aliàs 86.) ad Caſulanum c.12. *Die autem Dominico jejunare ſcandalum eſt magnum, maximè poſteaquam innotuit deteſtabilis multùmque Fidei Catholicæ Scripturiſque Divinis apertiſſimè contraria hæreſis Manichæorum, qui ſuis auditoribus ad jejunandum iſtum tamquam conſtituerunt legitimum diem.*

XVI. Qui ſe hujus Sectæ ſeveriores cuſtodes, & majori zelo ejus obſervantiæ promotores eſſe gloriabantur, ex dictis, Electorum ſibi nomen uſurpabant, cæteros Auditores, quaſi Catechumenos, & nondum benè inſtructos appellantes. Hi tria ſignacula ſuis in moribus magnâ oſtentatione jactabant, *oris*, *manuum*, & *ſinus*. Ad oris ſignaculum pertinere dicebant, quod ab omni ſe continerent blaſphemia: cùm tamen nulli alii Hæretici atrociores quàm ipſi in Deum blaſphemias evomuerint. Oris ſignaculum ſibi inſuper arrogabant, quòd nec vinum biberent, nec carnibus veſcerentur. De manuum ſignaculo ambitioſiùs gloriabantur,

quod

quod ab animalium nece, & à ſtirpium laceratione temperarent. De ſignaculo denique ſinus, quòd caſtitatem colerent, nec uxores ducerent. Hæc ex S. Auguſtino de Moribus Manichæorum c. 10. & ſequentibus.

Signis tamen res ac mores non reſpondebant: ſub ovina enim pelle veri lupi erant, ovile Chriſti laniantes ore, manibus, ſinu. Ore quidem dum ſimplicibus falſis ſuis dogmatibus illudentes, in perniciem eorum animas trahebant. Dum licèt à vino & carnibus abſtinerent, potibus tamen & cibis delicatioribus ſibi permiſſis, etiam ultra ſatietatem utebantur. Manibus, quia licèt herbas & fructus evellere crimini deputarent, volebant tamen, imò cogebant alios ut ea evellerent, & ad ſe deferrent, quaſi aliud eſſet crimen patrare, aliud velle ut alter pro ſe illud patret. Quædam tamen animalia homini incommoda abſque ſcrupulo necabant: unde S. Auguſt. citato loco cap. 17. ait: *Quid quòd à nece animalium nec vos ipſi in pediculis & pulicibus & cimicibus temperatis?* Numquid in iſtis non erat anima? Sinu denique, quia licèt à conjugio temperantes continentiam ſe profiteri dictitarent, obſcenis tamen impuritatibus, mille tamen impudicitiis ſe inquinabant, quarum aliqua exempla etiam de viſu narrat S. Auguſtinus laudatus c. 19. Hoc verum eſt, quòd inſana præcepta multiplicabant, quæ vel implere malum erat. Sic idem S. Doctor Lib. 5. contra Fauſtum cap. 6. *Talia ſunt*, inquit, *ipſa præcepta Manichæi, ut ſi ea non faciatis, deceptores; ſi autem faciatis, decepti ſitis. Neque enim Chriſtus vobis præcepit, ut herbam non evellatis, ne homicidium perpetretis, qui diſcipulos ſuos per ſegetem tranſeuntes, & eſurientes, vellere ſpicas Sabbato non prohibuit, unde convinceret & præſentes Judæos, & futuros Manichæos; illos quia Sabbato fiebat, iſtos verò quia fiebat. Sed planè Manichæus præcepit, ut otioſis manibus veſtris, de homicidiis vivatis alienis: & illa quidem falſa ſunt homicidia, ſed veſtra ſunt vera, cùm tali Dæmoniorum doctrinâ miſeras animas trucidatis.*

XVII. Horrendum tamen & execrabile facinus erat, quod Electi eorum in ſua Euchariſtia conficienda & ſumenda patrabant; ut refert S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap. 46. Nimirùm quòd Electi eorum cogebantur ſuam velut Euchariſtiam conſperſam cum ſemine humano ſumere, ut etiam indè, ſicut de aliis cibis, quos accipiunt, ſubſtantia illa Divina purgetur. Quod licèt aliqui eorum hoc ſe facere negarent: detecti fuere tamen ex confeſſione cujuſdam puellæ Margaritæ nomine coram Tribuno factâ, quæ cùm eſſet annorum nondum duodecim, propter hoc ſceleſtum myſterium ſe dicebat eſſe vitiatam: quod & Euſebia quædam Manichæa quaſi

quaſi Sanctimonialis, ſe propter idipſum eſſe paſſam, confiteri compulſa eſt.

XVIII. At pudet me hiſce vanitatibus & obſcenitatibus legentem diutiùs detinere. Ex dictis deducere quiſque poterit, omnes in aliis hæreſibus errores ac turpitudines diviſim repertas, in hac una fuiſſe collectas, præter eas quas de proprio addidit. Dum enim abjectâ fide in Deum ſcientiam boni & mali promittit, facta eſt ſicut Serpens, qui Adamum & Evam ſeduxit. Unde ita concludam cum S. Auguſtino Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos c.25. *Nulli loquaciùs atque jactantiùs promittunt ſcientiam boni & mali, & in ipſo homine, tamquam in arbore, quæ plantata eſt in medio Paradiſi, eam dignoſcentiam demonſtraturos ſe eſſe præſumunt. Et etiam quod dictum eſt* „ Eritis ſicut Dii „ *qui alii magìs dicunt, quàm illi, qui per ſuam ſuperbam vanitatem eamdem ſuperbiam perſuadere conantes affirmant, animam naturaliter hoc eſſe quod Deus eſt? Et ad quos magìs pertinet apertio carnalium oculorum, quàm ad iſtos, qui relictâ interiori ſapientiæ luce, Solem illum qui pertinet ad oculos corporis adorare compellunt?, Et omnes quidem hæretici generaliter ſcientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos quos ſimpliciter credentes invenerint; & quia omninò carnalia perſuadent, quaſi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur. Sed iſtis etiam corpora ſua diſplicent, non propter pœnalem mortalitatem, quam peccando meruimus, ſed ita negent Deum eſſe corporum conditorem, tamquam apertis oculis carneis nuditas iſta diſpliceat. Sed nihil vehementiùs iſtos deſignat & notat, quàm quod dicit Serpens* „ Non morte moriemini: ſciebat enim Deus, quoniam quâ die ederitis aperientur oculi veſtri „. *Sic enim iſti credunt, quòd Serpens ille Chriſtus fuerit, & Deum neſcio quem gentis tenebrarum, ſicuti affirmant, illud præceptum dediſſe confingunt, tamquam invideret homini ſcientiam boni & mali.* His S. Auguſtinus Manichæum comparat Serpenti antiquo: dum uterque falsâ promiſſione ſcientiæ homines fefellit, ac in perniciem traxit. Utrumque ergo anathemate proſcriptum dimittamus.

XIX. Finiam ergo cum Cyrillo Jeroſolymitano Catecheſi 6. num.35. *Verùm nos Dominus ab tali defendat errore: eaque vobis adversùs draconem inimicitia tribuatur, ut quomodo ipſi calcaneum obſervant; ita & vos illorum caput conculcetis. Memores eſtote eorum quæ vobis dicuntur. Qui concentus noſtrarum rerum cum rebus illorum? Quid lux cum tenebris comparata? Quid Eccleſiæ gravitas & ſanctitas cum Manichæorum exſecrandis inſtitutis? Hìc ordo, hìc diſciplina; hìc gravitas & caſtimonia; hìc vel feminam ad libidinem adſpicere piaculum eſt. Hìc connubium ſanctiſſimum; hìc continentiæ*

(ideſt viduitatis) tolerantia ; hìc virginitatis cum Angelis certans dignitas : hìc ciborum cum gratiarum actione perceptio : hìc gratus in univerſarum rerum Opificem animus. Hic Pater Chriſti adoratur : hìc ejus qui pluviam fundit metus ac tremor docetur : hìc tonanti ac fulguranti gloriam & honorem referimus. Hæc dicta ſint in conſolationem etiam præſentium Catholicorum, qui in præſenti Eccleſia dotes quas Cyrillus laudat, inveniunt : & ſic adversùs modernos Hæreticos muniantur.

CAPUT XLIII.

De Hieracitis.

§. I.

Hæreſis Auctor.

I. HIERACITARUM hæreſis in aliquibus Manichæorum, in aliquibus Origeniſtarum ſoboles, Hieracem ſeu Hieracham auctorem habuit. De eo Epiphanius Hæreſ.67. hæc refert : *Hìc in oppido Ægypti Leontone vixit, humanioribus literis in primis eruditus, ac Græcorum diſciplinis præſertimque medicinâ & aliis artibus imbutus : ad quas Ægyptiorum quoquè doctrinam adjunxerat : ac neſcio, an & Aſtronomiæ ac Magicarum artium ſcientiam attigerit. Fuit certè variis artibus inſtructus atque explicandi peritus, ut ex illius Commentariis apparet : ſed Ægyptiorum linguam potiſſimùm calluit, utpote genere Ægyptius. Nec verò Græcæ linguæ ſcientiâ mediocriter eſt perpolitus, vir acutiſſimo in omnibus ingenio. Atque hic quidem Chriſtianus fuit, ſed non in eo vitæ genere, quod eſſet Chriſto dignum, perſeveravit. Siquidem prolapſus & impactus à veritate excidit. Cùm enim Veteris Novique Teſtamenti ſcientiſſimus eſſet, ut ea de pectore ſuo velut expromeret, ac commentaria ſcripſiſſet, multa de ſuo dogmate vaniſſimè aſperſit, ac quidquid viſum eſt pro libidine ſua propoſuit.* Hæc de Hieraca Epiphanius. Quæ poſtrema verba cuique hæretico applicari poſſunt : non enim aliunde hæreſes prodeunt, quàm cùm homo pro libidine ſua Sacras Scripturas ad ſuum (non ad Sancti Spiritus) ſenſum audet detorquere.

Hunc errorem deteſtatur S.Hieronymus Epiſt.50. (aliâ 103.) ad Paulinum de ſtudio Scripturarum his verbis : *Taceo de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad Scripturas Sanctas poſt ſeculares literas venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quidquid dixerint,* *hoc*

hoc Legem Dei putant: nec ſcire dignantur, quid Prophetæ vel Apoſtoli ſenſerint; ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem. Monitum ſanè utile, ne Sacrarum Scripturarum ſtudioſi eas ad proprium, relicto Eccleſiæ judicio, trahere præſumant.

II. Hierax hujus hæreſis auctor ab alio Hierace pariter Ægyptio & Epiſcopo viro Catholico, ad quem S. Dionyſius Alexandrinus literas dedit, ut ex Euſebio Lib.7. Hiſt. cap.21., diſtinguendus eſt. Similiter ab Heracla presbytero Alexandrino Origenis coævo viro in Græcis diſciplinis erudito de quo idem Euſebius L.6. c.19. Hunc ergo Hieracem hæreſiarcham Lambertus Danæus Op. de Hæreſ. cap. 47. ſuo in Monachatum odio Monachum facit: dicit enim, hanc hæreſim exortam fuiſſe ex Origeniſtarum ſchola, & poſt Monachiſmum non modò exortum, ſed in pretio habitum, adeòque poſt Origenem & Paulum Eremitam, à quo primùm Monachatus emerſit, additque, quòd hæc hæreſis inter Monachos primùm recepta eſt, qui quam vocant conjugii & ciborum abſtinentiam voverant „ Manſit autem diutiſſimè etſi non ipſo Hie-
„ racitarum nomine, cùm quædam illius capita etiamnum hodie
„ inter Monachos vigeant & defendantur. Latiſſimè denique
„ tanquam teter quidam odor diffuſa eſt, quando omnes Mona-
„ chorum, non tantùm Ægyptiorum, ſed Europæorum & Aſia-
„ norum cellas hìc fœtor occupavit & perſuaſit „. Hæc è putrido ſuo ſtomacho de more contra Monachorum à conjugio & certis cibis continentiam evomit Danæus. Dimiſſis tamen iis quæ contra Monachatus vota blaterat, tum quia de hoc agere hìc locus non eſt: tum quia in Vera Eccleſia & in Colloquiis ſatis egi; ſolùm à Danæo petam: unde didicerit, Hieracem iſtum hæreſis auctorem Monachum fuiſſe. Epiphanius ſupra relatus dicit quidem, eum fuiſſe Chriſtianum, ſed Monachum non dicit. An quia poſt exortum Monachatum Hierax vixit? Si ita eſt: dici debebit, omnes hæreſes poſtea exortas Monachos habuiſſe auctores, quod nec ipſe admittit. An quia ſimilia quæ Hieracitæ profitentur Monachi? Ita fortè. Sed hoc citatis locis refutavi.

III. Hujus hæreſis ortum Danæus ipſe conſignat anno 243. à Chriſto paſſo, ſeu à Chriſto nato 267. Baronius tamen ad annum 288. illum differt. Prateolus verò illam exortam putat Taciti Imperatoris & Eutychiani Romani Pontificis temporibus circa annum à Chriſto nato 279. Hieracitas alio nomine *Abſtinentes* à Philaſtrio Hæreſi 34. fuiſſe appellatos, cenſet Baronius ad ann. 288. num.4. Sed Philaſtrium nomine *Abſtinentium* Priſcillia-

niſtas potiùs quàm Hieracitas indicare voluiſſe, exiſtimant alii,eo quòd dicit,eos fuiſſe in Hiſpaniis & Galliis,cum Hieracitæ maximè Ægyptum pervaſerint. Nec abſolutè negabo eam hæreſim plures Ægypti Monachos infeciſſe, hoc enim Epiphanius teſtatur Hæreſ.67. num.1. Sed quòd generale ac purum Monachorum inſtitutum ab ea prodierit, hoc Catholici omnes negant, ac negarunt ſemper: ſolus Danæus cum ſuis affirmat. In hujus teſtimonium

IV. Placet hic enarrare ex Evagrio Pontico in Vitas Patrum conflictationem Macarii Ægyptii cum hæretico Hieracita relatam à Baronio ad ann. 288. num. 5. *Ajebant præterea veniſſe ad eum* (Macharium Monachum) *hæreticum quemdam Hieracitam, quod genus hæreſeos invenitur apud Ægyptum. Hic cum per multam loquendi artem plurimos fratrum qui habitabant in eremo, conturbare auſus eſſet, & jam coram ipſis fidei ſuæ aſſerere pravitatem, eique reſiſteret ſenior & contradiceret: ille verba ſimplicia argumentis callidis eludebat. Sed cùm videret Sanctus fidem fratrum periclitari: Quid opus eſt, inquit, nos verbis contendere ad ſubverſionem audientium? Exeamus ad ſepulcra fratrum qui nos præceſſerunt in Domino, & cui noſtrum conceſſerit Dominus ſuſcitare mortuum de ſepulcro, ſciant omnes, quia illius fides probatur à Deo. Sermo hic omnibus qui aderant fratribus placuit. Proceſſerunt ad ſepulcra. Hortatur Macarius Hieracitam, ut evocaret mortuum in nomine Domini. At ille: Tu, inquit, qui propoſuiſti, prior revoca. Et Macarius proſternens ſe in oratione ante Dominum, ubi ſufficienter oravit, elevatis ſursùm oculis ad Deum: Tu, inquit, Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat, oſtende, elevato mortuo hoc. Et cum hæc dixiſſet, fratris cujuſdam nomen, qui nuper fuerat ſepultus, evocavit: cui ille cùm de tumulo reſpondiſſet, accedentes fratres continuò quæ ſuperpoſita erant, auferunt: & eductum eum de ſepulcro reſolutis faſciolis, quibus conſtrictus erat, exhibuerunt viventem. Hieracita verò ubi hæc vidit, obſtupefactus in fugam vertitur: quem fratres quoquè omnes inſequentes extra terminos illius loci exturbarunt.* Hactenus Evagrius. Quid ad hæc Danæus? Dicent ne, Hieracitarum hæreſim à Monachis ſuſceptam? Si ita eſſet, Hieracita ille fuiſſet ab illis veluti frater benignè ſuſceptus, non tamquam malæ fidei rejectus. Cùmque Deus Monachorum fidem miraculo comprobarit, evidenter manifeſtavit, eam veram eſſe.

* * *

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Hieracitarum errores.

I. Hieracitæ cum Hierace magiſtro ſuo primò Carnis reſurrectionem negabant, animæ tantùm eam futuram aſſerentes. Ita S. Auguſtinus Hæreſ. 47. Epiphanius Hæreſ. 67. n.1. Quem errorem ab Origene mutuatum fuiſſe dicit, & fortè etiam à Manichæis, & aliis quos ſupra refutavi. Hunc errorem ita rejicit Epiphanius num. 6. *Ad carnis verò reſurrectionem quod attinet, nonne convenire illa carni debet, ò vaniſſime Hierace! cùm & ipſa loquendi ratio ſatis vim illius arguat? Etenim reſurrectio de eo non dicitur, quod minimè ceciderit. Quidnam igitur illud eſt quod cecidit, quod ſepultum eſt, atque diſſolutum, præterquam corpus? Neque enim de Anima iſtud dici poteſt, quæ neque cadere, neque ſeparari poteſt.* Quare hic error alium turpiorem ſupponere debet, nempè quòd anima ſit mortalis.

II. Secundò: Nuptias repudiabant, quas ſolius Veteris Teſtamenti proprias eſſe dicebant. Si enim Chriſtus etiam in Novo nuptias voluiſſet, nihil Novi & egregii in Lege ſua ſtatuiſſet, quod in Veteri non fuiſſet ſtatutum: hinc in ſui erroris patrocinium advocabant Paulum ad Hebr. 12. v. 14. dicentem: *Pacem ſequimini & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum;* ubi *ſanctimoniam* pro continentia ſumebant. Si quis autem reſpondebat, Paulum ibi intelligere continentiam, non à nuptiis, quas cap.13. v.4. *Honorabiles* & *thorum immaculatum* appellat, ſed à fornicatione, ut ex ſequentibus apparet; ſtatim ad alium ejuſdem textum 1. Cor. 7. v.34. confugiebant, ubi dicit: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autèm nupta eſt, cogitat quæ ſunt Mundi quomodo placeat viro*, & diviſa eſt. Unde inferebant: *Si diviſio eſt, quomodo intercedere communio poteſt? Ac ſi Deo non placeat ſed viro, poteſtne hæreditatem à Deo conſequi?* Hæc & alia in favorem ſui erroris adducebant, præcipuè quòd Salvator ipſe virginitatem elegerit.

III. Hæc tamen evertit S. Epiphanius num. 6. dicens: *Quod verò de electione plura dicit* (Hieracas) *quâ Salvator virginitatem, continentiam, & caſtimoniam elegit: quis hoc non intelligit, de eodem delectu gloriari quoquè Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam?* (audis Danæe?) *Sed eadem nihilominus & eos quoquè qui honeſtis nuptiis illigati ſunt, pro ſui conditione ſtatus ad ſalutem pervenire poſſe non dubitat. Nam venerabiles eſſe nuptias ac Dei aſpirante gratiâ Cæleſte Regnum obtinere, quis ex eo non agnoſcat, quòd*

quòd ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret?... Ideòque & adeſſe iiſdem voluit, ut eorum ora præcluderet, qui contra veritatem diſputant. Quare ſubdit ibi primum miraculum feciſſe, ut honeſtas nuptias prodigiis illuſtraret: quibus alia ſubjicit. Unde apparet in Eccleſia Catholica laudari quidem ut perfectiorem etiam exemplo Chriſti virginitatis & continentiæ ſtatum, ſed nuptias tanquam Regno Dei conſequendo, & doctrinæ Chriſti contrarias non damnari; ut Hieracitæ & alii hæretici faciebant: ideòque Eccleſia Catholica æquè nuptiis alligatos, ac virgines & continentes ſinu ſuo complectitur.

IV. Tertiò: Puerulos ante uſum rationis decedentes Regnum Cœlorum capeſſere negabant. Nam cùm dixerit Apoſtolus 1. Timoth. 2. v. 5. *Non coronatur, niſi legitimè certaverit*: Si ne ii quidem qui certant, niſi id legitimè præſtiterint, coronantur, multò minùs ii qui ad certamen ne quidem vocati ſunt. Reſpondet tamen S. Epiphanius: *Sed ut de puerulis agamus, quid de illis dicemus qui in Bethlehem Judææ ſubinde propter Chriſtum occiſi ſunt? Quæro, utrum nec ne Cœleſte Regnum conſecuti ſunt? Enimverò conſecuti ſunt, utpotè labis omnis expertes. Niſi enim illud obtinuerint, tantum illis malum Dominus conſciverit, cujus causâ necati ſunt. Quòd ſi ob eumdem priùs interfecti ſunt, quàm in certamen deſcenderent, ac præmium aſſequerentur, conſequens eſt, illius adventum Mundo potiùs detrimentum attuliſſe: quoniam quidem cauſam illis præbuerit, cur & immaturâ morte vitam per ſupplicia profunderent, & Regio nihilominus interdicto à certamine perinde ac præmio prohibiti fuerint*. Deinde ex illo Sapientiæ 4. v. 11. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, oſtendit, Deum aliquando ad ſe rapere hominem in tenera ætate, ne in certamine malitiâ corruptus ſuccumbat. Et demum idem probat ex dicto ipſius Chriſti Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim Regnum Cœlorum*. Ut enim ait S. Auguſtinus L. 1. de Peccat. Meritis & Remiſſ. c. 19. *Parvulus ſi percepto Baptiſmo de hac vita emigraverit, ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, juſtificatos præſentia Creatoris illuminat. Regnum ergo Cœlorum pueri baptizati morientes conſequuntur hæreditate, quia facti filii Dei, etſi non certaverint*.

V. Quartò: Paradiſum fuiſſe corporeum, & ſenſibilem negaſſe, S. Epiphanius refert. Quia verò hic fuit error etiam Origenis quem ſupra cap. 35. ſ. 3. num. 20. refutavi: ideò ibi dicta adire Lector poterit.

VI. Quintò: Melchiſedecum eſſe Spiritum Sanctum aſſerebant.

bant. Ita idem Epiphanius. In hoc cum Melchiſedecianis ex parte conveniebant, contra quos cùm egerim ſuperiùs cap. 30., ideò hìc ea repetere ſuperfluum eſſet.

VII. Sextò: De Patre Filio & Spiritu Sancto Hieracas ſentiebat, Filium à Patre re verâ genitum & Spiritum Sanctum à Patre procedere, S. Epiphanio teſte num. 2. attamen de Filii Dei generatione & Divinitate peſſimè loquebatur. Quamdam enim Divinæ ſubſtantiæ diviſionem excogitavit, ſimilem ei, quæ fit cum lampas, duobus oleum inter ſe communicantibus lychnis inſtructa, duplex lumen profundit. Ita exponit S. Hilarius Lib. 6. de Trinit. num. 12. *Hieracas neſciens Unigeniti nativitatem, nec Evangelicorum Sacramentorum virtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicavit, ut lychnorum bipertita diviſio ſubſtantiam Patris & Filii æmularetur, quæ ex unius vaſculi unguine accenderetur in lumen, tamquam eſſet ſubſtantia exterior, ut olei in lucerna continens luminis utriuſque naturam; vel certè ut lampas papyro eodem intexta, utroque capite luceret, eſſetque media materies lumen ex ſe utrumque profundens. Hæc ſtultitiæ humanæ error invexit, dum quod ſapiunt, ex ſe potiùs, quàm ex Deo ſapiunt*. Hæc Hilarius.

VIII. Et quidem hoc Hieracis & aliorum Hæreticorum infortunium ſemper fuit, quòd ex ſe ipſis non ex Deo ſapere voluerunt. Hoc præcipuè Hieraci contigit, qui cæteroquin ingenio præditus, & humanis diſciplinis apprimè inſtructus, dum Divinam ſcientiam exponere aggreſſus eſt, multa fabuloſa & falſa de ſuo miſcere non erubuit. Nam ut refert Epiphanius num. 3. *Inter cætera Commentarios & lucubrationes de Opere ſex dierum ſcripſit, quibus fabulas nonnullas & vaniſſimas allegorias commentus eſt: necnon & alia quædam ex Sacris Literis depromta: quibus & Pſalmos novitios à ſe conditos adjecit*.

Auſteram vitam profeſſus eſt, & docuit (idem Epiphanius aſſerit) *Conſtat illum ab eduliis omnibus ſibi temperaſſe, adeòque ſeverè vixiſſe, ut & vino careret. Authores nonnulli ſunt, ultra annos nonaginta vixiſſe, & ad extremum vitæ tempus libros antiquarii more ſcripſiſſe. Librarius enim & quidem peritus fuit, nec oculus ei caligavit*. Qui ſub ipſo ejus Sectam ex animo profitebantur, plerique ab animatis abſtinebant. Sed qui poſt illum extitere diſcipuli, nihil præter ſimulationem habuerunt (ex eodem Epiphanio.)

CA-

CAPUT XLIV.

De Meletianis.

§. I.

Meletius quis fuerit.

I. UT omnis æquivocatio tollatur, ſupponendum eſt, duos fuiſſe Meletios, unum Ponticum & Eccleſiarum Ponti Epiſcopum, diverſum ab eo, de quo locuturi ſumus. Hujus meminit Baronius ad ann. 285. n. 17. ac de eo ex Euſebio L. 7. Hiſt. c. ultimo ſequentia refert: *Meletius, quem vulgò Mel Atticum docti homines vocabant, talis omnino fuit, qualem quis hominem perfectiſſimum in omni genere doctrinæ vellet deſcribere. Eloquentiam quidem quod attinet, nemo illum pro merito laudaverit. Sed hanc facultatem à natura ipſi inſitam fuiſſe, aliquis fortaſſe dicet. Reliquam verò peritiam ac multiplicem eruditionem, quis eſt qui poſſit unquam ſuperare? Certè quicumque vel ſemel ejus periculum fecerit, in omnibus diſciplinis, quæ ratione nituntur, ſubtiliſſimum ac diſertiſſimum fuiſſe fatebitur. Jam verò virtus vitæque ſanctimonia nullatenus iis dotibus inferior erat. Hunc nos perſecutionis tempore in Palæſtina latitantem ſeptem annorum ſpatio videre meruimus.* Ita de hoc Meletio Euſebius. Hic eſt quem *Magnum Meletium* vocat Athanaſius Orat. 1. contra Arianos, qui Nicænæ Synodo interfuit. Sebaſtopolis in Ponto fuiſſe Epiſcopum dicit Philoſtorgius. Pro Fide Catholica conſtanter ac ſincerè ſtetiſſe demonſtrant S. Athanaſii laudes, & S. Baſilii in L. ad Amphilochium de Spiritu Sancto cap. ultimo dicentis: *Sed & magnum Meletium in eadem fuiſſe ſententia, narrant qui cum eo verſati ſunt.*

II. Alter Meletius ſeu Melitius Lycopolis in Ægypto Epiſcopus, à quo Meletiani, & de quo hic ſermo erit; quamvis inter Veteres diſcordiam reperiam. Nam S. Epiphanius Hæreſi 68. de hoc Meletio hæc narrat: *Eſt quædam in Ægypto Meletianorum factio, quæ à Meletio quodam in Thebaide olim Epiſcopo nuncupatur. Qui quidem ad Catholicam Eccleſiam ſinceramque fidem nihilominus adhæſit: neque enim ullo tempore à Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ religione deſcivit. Floruit hic eodem quo Hieraces tempore, eumque ordine conſequitur: quo etiam tempore S. Petrus Alexandrinus Epiſcopus vixit. Atque omnes iſti perſecutionis illius tempore fuerunt, quæ à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus excitata eſt. Quæ autem ad Meletium attinet, hoc modo ſe ſe habuerunt.*

Hic

Hic Eccleſiam ſchiſmate diſcidit: ita tamen ut fidem nulla ex parte mutaret. Qui in illa perſecutione unà cum Sancto Petro Epiſcopo & Martyre cæteriſque Martyribus comprehenſus eſt ab Alexandriæ & Ægypti Præfectis, quibus hoc ab Imperatoribus mandatum fuerat. Et poſtquam dixit, primum inter Ægypti Epiſcopos dignitatis locum obtinuiſſe Petrum Alexandrinum Epiſcopum, ſecundum verò à Petro Meletium: ſubdit: *Ergo omnes illi ob Chriſti nomen in cuſtodiam dati diù in vinculis detenti ſunt: ante quos nonnulli eâdem de cauſa vincti martyrium obierunt, ac præmium morte conſecuti ſunt: cùm interim iſti tanquam primarii ac præſtantiores impoſterum reſervati eſſent.* Hæc Epiphanius: qui deinde proſequitur dicens, quòd cùm aliqui in illa perſecutione defeciſſent, inter detentos in carcere mota eſt controverſia propter eos qui lapſi per pœnitentiam communionem poſtulabant; ac reſiſtente Meletio, cui pars minima Confeſſorum ibi detentorum ſuffragabatur, ne reciperentur, donec reſtitutâ Eccleſiæ pace pœnitentiam egiſſent; Petro verò Alexandrino cum paucis aliis Confeſſoribus contendente, ſtatim eſſe communione donandos: indè diviſis ab invicem partibus, ac ſeorſim preces ac ſacrificia peragentibus, ſchiſma in ipſo carcere conflatum eſt. Deinde cum S. Petrus martyrium ſubiiſſet, eique ſucceſſiſſet in Alexandrino Epiſcopatu Alexander (veriùs tamen Achillas) Meletium cum Epiſcopis & Confeſſoribus ſibi adhærentibus recens ad metalla damnatum ordinaſſe Clericos, Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos, necnon Eccleſias in carcere & in itinere variis in locis erexiſſe. Additque, Meletium, poſtquam redditâ jam Eccleſiæ pace ab exilio & fodinis revocatus eſt, Epiſcopo Alexandrino amiciſſimum fuiſſe, & ad eum primùm detuliſſe Arium tanquam novæ blaſphemiæ auctorem. Ita refert S. Epiphanius.

III. Hæc tamen narratio ſuſpecta Baronio ad ann. 36. num. 48. & aliis eſt, quaſi Epiphanius ab aliquo Meletiano ſcriptam, neſciens, mutuatus ſit. Et ratio eſt quia S. Athanaſius fideliſſimus teſtis, qui & ortum illius ſchiſmatis vidit, de Meletio contraria ſcribit. In ſecunda enim Apologiæ parte contra Arianos: *Petrus*, inquit, *apud nos ante perſecutionem Epiſcopus, in perſecutione Martyr occubuit. Hic Meletium, qui Epiſcopus in Ægypto erat, plurimorum convictum ſcelerum, ac potiſſimùm quòd immolaſſet idolis, in communi Epiſcoporum Synodo depoſuit. Meletius verò neque ad aliam confugit Synodum, neque curavit apud poſteros ſe ſe purgare, ſed ſchiſmatis auctor fuit. Hincque factum, ut ejus Sectatores pro Chriſtianis Meletiani audiant. Statimque ille Epiſcopos maledictis cœpit inceſſere; primò quidem ipſum Petrum, dehinc Achillam calumniatus eſt,*

Digitized by Google

eſt, & poſt Achillam Alexandrum. Hoc autem Abſalonis imitatus exemplum callidè eſt aggreſſus, eo nempe animo, ut quandoquidem depoſitio ignominiam inurebat, calumniis ſaltem ſuis ſimpliciores poſſet circumvenire.

IV. Hæc, quæ Athanaſius de Meletio dicit, directè pugnant cum iis quæ de eodem Epiphanius narrat. Quomodo enim inter Confeſſores & Martyres detentus in carcere Meletius, ut vult Epiphanius, qui jam metu tormentorum idolis ſacrificaverat, & propter hoc in Synodo depoſitus fuerat? Quomodo lapſos à pœnitentia rejicere potuit, qui inter lapſos fuerat inſignis? Aut quomodo S. Petrus Alexandrinus, qui ſeveriorem in lapſos diſciplinam conſtituerat, ut ex ipſius Canonibus apparet, molliori indulgentiâ eos proſequi potuit, ipſe martyrio proximus, & fervente adhuc perſecutione, ut abſque debita pœnitentia recipiendos eſſe cenſeret? Aut tandem quomodo veriſimile eſt, Meletium fuiſſe Petri, Achillæ, & Alexandri Epiſcoporum Alexandriæ amiciſſimum, qui eos tot calumniis Athanaſio teſte oneravit? aut quomodo Meletius primus Arianos ad præfatum Alexandrum detulit, cùm potiùs Meletius ac ſui eis patrocinium dederint, eodem Athanaſio teſte Orat. contra Arianos: & Socrates L. 1. Hiſt. cap. 6. ſtatim referendus confirmat?

V. Socrates ergo laudato loco hæc habet: *Melitius quidam Epiſcopus Ægypti à Petro Alexandriæ Epiſcopo, qui ſub Diocletiano martyrium conſummavit, tum ob alias cauſas depoſitus eſt, tum præſertim eò quòd perſecutionis tempore fidem inficiatus, ſacrificaſſet. Qui cùm ſacerdotio pulſus eſſet, multoſque haberet ſectatores, ducem atque auctorem ſe præbuit eorum, qui ab ejus nomine Melitiani in Ægypto etiamnum appellantur. Porrò cùm nullam haberet idoneam cauſam, cur ſe ab Eccleſia ſegregaſſet, ſe quidem affectum injuriâ eſſe dicebat, Petrum verò maledictis & conviciis inceſſebat. Ac Petrus quidem perſecutionis tempore martyrio eſt coronatus. Melitius verò calumnias ſuas tranſtulit primùm in Achillam qui Petro in Epiſcopatu ſucceſſerat, deinde in Alexandrum Achillæ ſucceſſorem. Dum hæc ab illis geruntur, orta eſt Arii controverſia: & Meletius unà cum ſuis Arii partes fovit cum illo conſpirans adversùs* (Alexandrum) *Epiſcopum*. Eadem refert Theodoritus tum L. 1. Hiſt. cap. 6. tum L. 4. Hæret. Fab. cap. 9. Concors hæc Veterum de Meletio ſententia cum iis quæ ex Epiphanio retuli cohærere non poteſt.

VI. Quid verò Meletio ſeu Melitio, ac ſuis in contumaci ſuo ſchiſmate perſeverantibus poſtea evenerit, dicam. Delati ad Concilium Nicænum, qualiter à Synodo in eos proviſum ſit, conſtat

Digitized by Google

ſtat ex ipſius Synodi Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam, quam refert Socrates L. 1. Hiſt. c. 9. in qua præter cætera hæc leguntur: *Placuit igitur, clementiùs erga Melitium agente Synodo: ſummo enim jure nullam veniam merebatur: ut is in civitate ſua maneat, nec ullam habeat, aut manus imponendi, aut eligendi poteſtatem, nec hujus rei causâ aut in vico, aut in urbe ulla compareat, ſed nudum honoris ſui nomen retineat. Is verò qui ab ipſo conſtituti ſunt, ſanctiore ordinatione confirmati, ad communionem admittantur, eâ lege, ut honorem quidem ac miniſterium ſecum retineant: ſecundo tamen ſemper loco ſint ab iis omnibus, qui in unaquaque Paræcia & Eccleſia verſantur à cariſſimo collega noſtro Alexandro priùs ordinati. Adeò ut his quidem nulla facultas ſuppetat, quos viſum fuerit eligendi, aut nomen cujuſpiam ſuggerendi ſinè conſenſu Epiſcopi Catholicæ Eccleſiæ qui Alexandro ſubjectus eſt.* Hoc Synodi Decretum in Melitium & ordinatos ab ipſo refert etiam Sozomenus L. 1. Hiſt. c. 24. addens: *Atque id æquum eſſe Synodus judicavit, reputans ſcilicet Melitii ejuſque conſortium præcipitem in ordinationibus faciendis temeritatem. Quippe qui dum Petrus Epiſcopus Alexandriæ, qui poſtea martyrium conſummavit, ob ſævientem tunc perſecutionem fugiſſet, Ordinationes ad illum pertinentes ſibi vindicaverat.*

VII. Poſt hæc refert Sozomenus L. 2. c. 21. *Redeunte in Ægyptum Alexandro Melitius Eccleſias, quas contra jus poteſtati ſuæ ſubjecerat reddidit: & in urbe Lyco reliquam ætatem tranſegit, ſed non multò poſt cùm migraturus eſſet è vita, contra Decretum Synodi Nicænæ, Joannem quemdam unum ex familiaribus ſuis in ſuum locum ſubrogavit, ac rursùs turbarum in Eccleſia auctor extitit.* Joannes iſte, quem Melitius moriens ſuum in locum contra Decretum Synodi ſubrogavit, creditur, fuiſſe Joannes Memphis, qui caput ſchiſmatis, poſtea fuit.

VIII. Schiſma hoc, quod in hæreſim poſtea, ut dicam, tranſivit, cœpit anno à Chriſto nato circa 301. Poſtea cum Arianis confuſum latiſſimè ſparſum eſt, ac multas Orbis regiones infecit. Diutiſſimè autem perſeveravit: adeò ut Theodoritus de eo tamquam adhuc ſuo tempore in Ægypto perdurante loquatur Lib. 4. Hæret. Fabul. his verbis: *Nunc autem dicunt quidem eos eſſe ab hoc morbo* (Arianorum nempè errore) *liberatos; ſed ſinè ullo metu degere, nec velle ab ullis regi, & cum Eccleſiis conjungi recuſare.*

Digitized by Google

§. II.

De Meletianis & eorum erroribus.

I. IIſdem temporibus, quibus Melitius ſeu Meletius Eccleſiam ſchiſmate dividere conabatur, Arius ſuo peſtifero dogmate eam inquinare molitus fuit. Quamvis enim, ut ſcribit Socrates L. 1. cap. 6. Arii partes contra Alexandrum foverit: attamen ejus errori Meletius, quouſque ſuperſtes fuit, minimè adhæſiſſe, ſed in puro ſchiſmate perſtitiſſe creditur. Ipſo tamen vitâ functo, qui ejus partes tuebantur, videntes Arianis multos patrocinari, eis etiam in errore ſe adjunxere. Ita Sozomenus L. 2. cap. 21. ubi poſtquam dixit, quòd non obſtante Nicænæ Synodi Decreto contra Arii dogma & Melitii derogatione, *Alii Arii opinionem laudabant: alii æquum eſſe cenſebant, ut ii qui à Melitio ordinati fuerant, Eccleſiis præeſſent: eorumque partibus ſe ſe adjungebant*, Subjungit: *Porrò cùm utrique priùs inter ſe diſſentirent, poſtquam tamen animadverterunt, plebem Sacerdotibus Eccleſiæ Catholicæ addictam eſſe, invidiâ correpti ſunt. Initoque inter ſe fœdere communes inimicitias adversùs Clerum Alexandrinum ſuſcepere; junctimque & alios accuſare quibuſcum diſputabant, & ſe ipſos defendere cœperunt: adeò ut proceſſu temporis Meletiani à pleriſque in Ægypto vocarentur ii, qui Arii opinionem ſectabantur: cùm tamen Melitiani ob primatum dumtaxat ac regimen Eccleſiarum à Catholicis diſſiderent: Ariani verò perinde atque Arius ſentirent de Deo .... Verùm temporis ſucceſſu, ut veriſimile eſt, Melitiani ex aſſiduis ea de re diſputationibus, Arianorum dogmatum peritiam adepti, eadem cum illis de Divinitate ſenſerunt.* Conſentit Theodoritus L. 4. Hæret. Fab. ubi de Meletio: *Sed ille quidem*, inquit, *pietatis dogmatum nihil innovavit: hi autem* (Meletiani) *cùm Arianorum hæreſim ab iis, qui tunc imperabant, confirmari viderent, ad illam declinarunt.* Hoc S. Auguſtinus Hæreſ. 48. & Damaſcenus Hæreſ. 68. apertè confirmant.

II. Meletiani ergo Arianis conjuncti videntes, S. Athanaſium, qui Alexandro in Epiſcopatu Alexandrino ſucceſſerat, ſibi pro Dei zelo infenſum eſſe, confertis manibus adversùs eum arma moverunt, de variis criminibus coram Imperatore eum accuſantes. Verùm compertâ ab Imperatore & damnatâ calumniâ, aliam meditati ſunt, nimirùm quòd ſacrum poculum confregiſſet, & quòd Arſenium quemdam interfeciſſet, quem ſubdolè occultarunt, ut mendacio fidem conciliarent. Sed innocentiæ patrocinante Deo, Arſenius vivus repertus fuit. Quæ cum Conſtantinus Impe-

Imperator reſciviſſet, ad Athanaſium ſcripſit, ut ſuum Epiſcopale munus impigrè obiret, & Meletianorum inſidias pro nihilo duceret; addens, ſe talia impoſterum non paſſurum, ſed calumniatores debitas pœnas daturos. Quâ Imperatoris Epiſtolâ publicè lectâ Meletiani timore perculſi aliquantiſper quievere. Narrat hæc Sozomenus L.2. Hiſt. c.22. & 23.

III. Modò ad erroneas Meletianorum opiniones tranſeamus. Et quidem dimiſſo Arii errore, quo, ut dixi, ſucceſſu temporis infecti fuere, & quo ut refert Theodoritus ſuo tempore liberati fuerant; quiſnam verè fuerit error, qui Meletium & ſuos ad ſchiſma impulit, in eo aſſignando non ſunt admodùm concordes Veteres. S. Auguſtinus L. de Hæreſ. c.48. *Meletiani*, inquit, *à Meletio nuncupati, nolentes orare cum converſis, ideſt eis qui in perſecutione ceciderunt, ſchiſma fecerunt. Nunc autem dicuntur eſſe conjuncti*. Idem quamvis aliter, ut ſupra dixi, ſentit Epiphanius Hæreſ. 68. Damaſcenus quoque Hæreſ. 68. his verbis: *Meletiani ſchiſmatici in Ægypto potiùs quàm hæretici habentur. Hi cum illis precum communione adjungi noluerunt, qui in perſecutione lapſi eſſent. Iidem tamen ſe ſe ad Arianos nunc adgregarunt*. Mirum tamen quòd Meletius, qui, ut ſupra ex Athanaſio & aliis dixi, in perſecutione & ipſe lapſus idolis ſacrificaverat, noluerit cum illis, qui in eodem crimine ei ſocii fuerant ſacrificare, & eò maximè quia hoc non obſtante Eccleſia pia Mater ipſum recipere parata erat in Concilio Nicæno, ut ſupra: & certis tamen reſtrictionibus, ut merebatur, recepit.

Dici tamen poteſt, Meletium rabie adactum hoc cogitaſſe; cùm enim propter hoc à Petro Alexandriæ Epiſcopo, & Thebaidis totiuſque illius tractus Metropolita dejectus ab Epiſcopatu fuiſſet, ut ſe ulciſceretur, eò veſaniæ ob ambitionem tandem prorupit, ut ne laicos quidem, qui ſemel à fide defeciſſent, & poſtea reſipiſcerent, in Eccleſiam recipiendos eſſe contenderet, ſi ipſe propter lapſum Epiſcopatu privaretur. Inde ſchiſma ab ipſo & ſuis adeò dirum factum eſt, ut ne cum Catholicis, eò quòd lapſos verè pœnitentes reciperent, communicare in precibus vellent. Novatianis pejores, qui lapſos admittere nolebant, quia in lapſis reſipiſcentiam poſſe unquam eſſe negabant: hi verò quamquam in lapſis pœnitentiam admitterent, in Eccleſiæ cœtum recipere renuebant: quaſi qui per pœnitentiam à Deo ſuſcipitur & filius Dei efficitur, à piorum cœtu arceri poſſit.

IV. Porrò Meletiani, quibus religio erat à communione cum lapſis etſi pœnitentibus, & ab Eccleſia Catholica ſuſceptis, abſtinere, cum Arianis hæreticis ab Eccleſia Catholica proſcriptis, ſocieta-

cietate & ſtricto fœdere contra Catholicos jungi non formidabant. Hinc citati Patres inferunt, Meletianorum ſectam ex puro ſchiſmate hæreſim evaſiſſe. Quod Epiphanius alioquin erga Meletium & Meletianos benignus, Hæreſ. 68. num. 6. his verbis deplorat: *Utinam Meletiani iſti, qui exactiſſimam juſtitiæ ac veritatis rationem profeſſi fuerant, cum iis qui lapſi erant poſt pœnitentiam communionem habere, quàm cum Arianis maluiſſent! Contigit enim eis quod eſt in proverbio, ut qui fumum devitant, in ignem incidant. Neque enim conſiſtere Arius, aut fiduciam ullam habere potuiſſet, niſi eam eſſet occaſionem nactus, quæ peſſimam ad hodiernum uſque diem concordiam devinxit. Siquidem Meletiani ſinceri quondam fideique tenaciſſimi cum Arianis commixti ſunt; & plerique falſâ Arii doctrinâ contaminati à recta fide in hoc tempore degenerarunt: nonnulli verò, etſi conſtanter in ea perſeverarunt, ob illam tamen cum Ario Arianiſque ſocietatem in cœno illo ac ſordibus hæſerunt.* Hactenus Epiphanius.

V. Philaſtrius verò Hæreſi 90. nihil dicens de negata à Melitio & Melitianis communione cum lapſis, totum eorum reatum in hoc conſtituit, quòd Arianorum partes ſecuti ſint: *Melitiani*, inquit, *ſunt à Melitio quodam in Ægypto, qui de parte fuerat Ariana, & abjectus eſt ab Eccleſia Catholica, qui poſtea quaſi verum ſequendo ſuſceptus eſt, & diſcipuli ejus cum eo pariter. Atque iterum indifferenter poſt hæc agere cupientes, communicabant & Hæreticis & Eccleſiæ Catholicæ: quorum cùm cognoviſſet indifferentiam, exſortes eos ſuæ communionis effecit Eccleſia Catholica.* In quo Rhetoricorum hæreſim præformabant, qui omnes Hæreticos laudabant, & cum eis ſentire rem indifferentem judicabant. De qua hæreſi agit idem Philaſter cap. 91. & inferiùs Deo dante cap. 72. mihi ſermo erit. An in hunc errorem conſpiraverint moderni Adiaphoriſtæ, qui unumquemque in ſua Secta ſalvari poſſe dicunt; ipſi viderint.

VI. Theodoritus L. 4. Hæret. Fab. ſcribit, Meletium & ſuos ab initio in fidei veritate ſtetiſſe, ſolùm ſeditionem moviſſe, poſtea tamen in Arii hæreſim declinaſſe à nulloque regi voluiſſe: ait enim: *In Alexandria autem Ægypti, quo tempore Arius adversùs Unigenitum blaſphemiam inchoavit, Meletius quidam Epiſcopus adversùs Alexandri Magni principatum ſeditionem agitans, in multis civitatibus ordinavit Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos, non novæ hæreſis principatum gerens, ſed eadem quidem cum Eccleſia ſentiens, ſed ambitionis & imperandi cupiditatis morbo laborans. Eum qui Nicææ convenerunt Sanctiſſimi Patres ab Eccleſiæ adminiſtratione removerunt. Qui autem ab eo ordinati fuerant, iis quæ præter leges donata erant privarunt.* Ex hoc deinde factum eſſe ſchiſma dicit ac Me-

Melitianos conjunctos Arianis, & eorum dogmati. Addit tamen, eos etſi ab eo morbo liberatos, *ſinè ullo metu degere, nec velle ab ullis regi, & cum Eccleſiis conjungi recuſare. Eá ratione & tamquam liberi & ſui juris, illa quoque ridicula excogitarunt: Interdiù quidem corpus aquá mundare, cum plauſu autem manuum, & quadam ſaltatione hymnos concinere, & multa tintinnabula funi appenſa movere, & his ſimilia.*

VII. Hæc Theodoriti verba de Meletianorum Ritibus in Ritus Eccleſiæ Catholicæ vertit Danæus cap.48. de Hæreſ. ubi ait, quòd *hoc idem retinuerunt Papiſtæ: tam eſt nimirùm infelicis lolii & veneni ferax tenaxque humanum ingenium.* His paucis verbis infelix blatero omnes Eccleſiæ Catholicæ ſacros Ritus audet peſſumdare, tamquam à Meletianis acceptos, & ex Judaicis cæremoniis hauſtos. Sed quis non videt, Danæum hic ut de more apertis oculis cæcutire? Ubi enim in Eccleſia Romana Judaico more lotiones repetitæ, ubi in canendis hymnis ſaltitatio, & tintinnabulorum crebra pulſatio? Jure potiùs ad ipſum dicam: unde ipſe cum ſuis omnes ritus omnium ſeculorum uſu teſtibus antiquis Patribus conſecratos, ipſumque Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium abrogare & ab Eccleſia tollere didicit, & novos & inauditos abſque ulla auctoritate inducere? Non ab aliis certè quàm à Meletianis cæteriſque antiquioribus Hæreticis, qui, ut notat Cardinalis Bona Liturgic. L.1.c.7., hoc ſibi jus aſciverunt, ut cùm à fide deficerent, Libros etiam Rituales vel ſuis erroribus inficerent, vel privatâ auctoritate immutarent. Quare meritò Danæus & ſui ſimiles Novatores à Concilio Tridentino Seſs. 7. Can. 13. & Seſs. 22. Can. 9. & aliis, anathemate confixi ſunt. Sed hæc præſentis argumenti non ſunt.

CAPUT XLV.

De Arianis.

§. I.

De Ario, ejus hæreſis occaſione, & initiis.

I. NUlla hæreſis magis ac diuturniùs Eccleſiam dilaceravit quam Ariana, quæ nedum Eccleſiæ Præſulum, ſed & Mundi Poteſtatum auctoritate ſuffulta, nedum fraudolenta fuit ut cæteræ, ſed & violenta, & nova perſecutio, quæ perſecutioni paganorum ſuccedens, nedum in animas, ſed & in cor-

corpora deſæviens ; ut Antichriſtianæ perſecutionis , quæ S. Auguſtino teſte in Pſalm. 9. fraudolenta ſimul & violenta futura eſt , initium eam S. Hilarius cenſuerit L. adversùs Conſtantium Imperatorem : ubi & fraudes & violentias , quibus ad ſeducendos pios fideles utebatur Imperator ille Arianus , & exprobrat , ut magis deteſtabilem pronuntiet perſecutionem quam ille inferebat Eccleſiæ , quàm illa quâ Imperatores pagani eam vexarunt : quia iſti in corpora , ille autem in corpora & in corda irruebat . Sed de hoc inferiùs dicam .

II. Tantæ ſtragis auctor Arius fuit . Is teſte S. Epiphanio Hæreſ. 69. num. 1. ex ea Lybiæ parte , quæ Ægypto vicina eſt , & Alexandriæ contributa oriundus fertur . Hinc patriâ Alexandrinum aliqui eum vocant , eique Ammonium parentem tribuunt . Externâ corporis , oris , & habitus ſpecie eam præferebat virtutem , gravitatem ac modeſtiam , quâ facilè hominibus illuderet ; eam in verbis comitatem , urbanitatem , eaſque blanditias , ut omnium ſibi animos conciliaret . Dialecticarum argutiarum erat peritiſſimus . Eum è Luciani Antiocheni ſchola prodiiſſe probabile ſit , quia Euſebium Nicomedienſem *Conlucianiſtam* appellat , quo titulo Luciani Martyris diſcipuli gloriari , ac ſe mutuò indigitare ſolebant . Schiſmaticus antequam hæreſiarcha Arius fuit ; Meletio quippe, de quo Cap. præcedente, ſchiſma molienti adhæſit , ut ſcribit Sozomenus L. 1. Hiſt. c. 15. Poſtea verò relictis ejus partibus à Petro Alexandrinorum Epiſcopo Diaconus eſt ordinatus . Rursùs tamen Eccleſiâ pulſus eſt ab eodem . Nam cùm Petrus Meletii fautores excommunicaſſet , nec eorum Baptiſmum admitteret (ideſt Baptiſmi adminiſtratione, ac cæteris muniis Eccleſiaſticis interdiceret) ipſe Petri Acta reprehendebat , neque ullo modo quieſcere ſuſtinebat .

Narrant Acta S.Petri Alexandrini,quæ Anaſtaſius Bibliothecarius ex Græcis Latina reddidit , quòd cùm Arius à S. Petro in carcere conſtituto & jam morti proximo in communionem recipi vehementiùs poſtularet , Chriſtus Sancto Epiſcopo noctu apparuit veſte diſciſsâ , cauſamque rei ſciſcitanti reſpondit : *Arius mihi ſcidit . Præcave omnino , ne eum in communionem recipias . Quin potiùs jubeto Achillæ & Alexandro presbyteris , qui poſt tuum exitum recturi ſunt Eccleſiam meam , ne eum in communionem recipiant .* Verùm Viſionem hanc ſuſpectam habent Critici , & Natalis Alexandre in Hiſt. Seculi 4. Diſſert. 9. , à quibus non diſſentior . Eâ enim admiſsâ oportebit dicere , vel quòd S. Petrus mandato Chriſti non paruit , ſi Achillæ & ſucceſſoribus illud non aperuit , vel Achillam & Alexandrum contra illud ſibi manifeſtatum egiſſe :

nam

nam Achillas non ſolum in communionem Arium recepit, ſed ad Presbyteratum promovit: Alexander verò cuidam Eccleſiæ, ut populum inſtrueret, illum præfecit, ut ſtatim dicam.

III. S. Petro martyrio jam coronato, in Eccleſiam Arius irrepſit, & ab Achilla Petri ſucceſſore in communionem ſuſceptus Presbyter factus eſt, & ab Alexandro in honore habitus. Hæc ex Sozomeno loco citato, cui addit S. Epiphanius, quòd Eccleſiæ cujuſdam vici Præfectus fuiſſe dicitur. Ita Hæreſ. 69. num. 1. ubi de Ario: *Ferunt*, inquit, *illum ex Lybia oriundum Alexandriæ Presbyterum eſſe factum, qui tunc Baucalenſis cujuſdam Eccleſiæ Præfecturam gerebat. Etenim quotquot Alexandriæ Catholicæ communionis Eccleſiæ ſunt, uni Archiepiſcopo ſubjectæ, ſuus cuique præpoſitus eſt Presbyter, qui Eccleſiaſtica munera iis adminiſtret, qui circa Eccleſias illas habitabant, eorumque conventicula Vici, ſive Lauræ ab Alexandrinis vulgò nominantur*. Idem fatetur Gelaſius Cyzicenus, in hoc tamen diverſus, quòd Arium dicat, non ab Achilla, ſed à S. Alexandro Presbyterum ordinatum. Itaque Arius Presbyter, & ſimul quaſi Parochus erat.

IV. Id quod Arium ad concipiendam & effundendam hæreſim impulit, ambitio fuit & invidia in S. Alexandrum, quem ſibi prælatum in electione ad Epiſcopatum Alexandrinum ægrè ferebat. Quamvis Philoſtorgius ſectâ Arianus L. 1. Hiſt. num. 3. dicat: *Arium cùm ſuffragia pro Archiepiſcopatu Alexandrino in ipſum inclinarent, Alexandrum tamen ſibi prætuliſſe, & ſuffragia in eum transtuliſſe*. At Theodoritus cui major fides habenda eſt L. 1. Hiſt. cap. 2. oppoſitum ſentit: & hinc ad ſuæ hæreſis peſtiferum virus evomendum permotum referens: *Eodem tempore*, inquit, *Arius, qui in Presbyterorum ordinem erat adſcriptus, & cui ſacrorum Voluminum expoſitio commiſſa erat, cùm Alexandrum videret Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepiſſe, livoris impetum ferre non potuit: ſed invidiæ ſtimulis exagitatus contentionis ac diſcordiæ cauſas aucupari cæpit. Et calumnias quidem adversùs illum contexere nullas poterat, cùm vitam ejus & converſationem omni laude dignam videret. Invidia tamen eum quieſcere non ſinebat. Hunc igitur nactus Dæmon veritatis inimicus, ejus operâ Eccleſiam miſcere ac perturbare cæpit. Perſuaſit enim illi, ut Apoſtolicæ Alexandri doctrinæ palam contradiceret*.

V. Livor igitur, ambitio, & invidia Arianæ hæreſis, ſicut & cæterarum, cauſa & initium fuit. Quia autem Arius in Alexandri moribus nihil blaſphemiæ capax reperiebat, blaſphemias convertit in Deum. Cùm enim audiſſet Alexandrum in conventu de Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis publicè differentem, & Filium Pa-

Patri honore parem, & ejuſdem omninò ſubſtantiæ cum illo aſſerentem, obmurmurare ac reſiſtere cœpit. Ita Theodoritus proſequitur: *Et Alexander quidem Sacrarum Literarum veſtigiis inſiſtens Filium ejuſdem eſſe dignitatis cum Patre, eamdemque eum Deo, qui ipſum genuit, habere ſubſtantiam aſſerebat. Arius verò apertè veritatem impugnans, Filium Dei creaturam & facturam vocabat. Addebat etiam fuiſſe tempus cùm non eſſet, & alia nonnulla, quæ ex ejus ſcriptis clariùs cognoſcemus.* (his indicat præcipuè Thaliam ab Ario compoſitam, de qua infra) *Atque hæc ille, non in Eccleſia ſolùm, verùm etiam in exteriùs conventibus ac cœtibus aſſiduè diſſerebat. Quin etiam domos circumiens, quotquot poterat, in ſententiam ſuam traducebat.* Hucuſque Theodoritus.

Idem refert Socrates L. 1. Hiſt. cap. 5. ubi ait: *Fortè quâdam die, præſentibus ſuis Presbyteris unà cum reliquo ſuo Clero, de Sacroſanctæ Trinitatis Myſterio* (Alexander) *ambitioſiùs diſputans, in Trinitate eſſe docebat unionem. Arius verò unus è numero Presbyterorum, qui Alexandro parebant, vir artis dialecticæ minimè ignarus, ratus Epiſcopum Sabellii Lybici dogma inducere, ad opinionem, quæ cum Sabellii dogmate ex adverſo pugnat, contentionis ſtudio deflexit, iiſque, quæ ab Epiſcopo dicta fuerant, acerbiùs, ut videbatur, occurrit, ita diſputans. Si Pater genuit Filium, exiſtendi initium habet is qui genitus eſt. Ex quo manifeſtè liquet, fuiſſe aliquando tempus, cùm non eſſet Filius: & neceſſariò conficitur, eumdem ex nihilo ſubſiſtere.* Hæc prima Arianæ hæreſis naſcentis vox, quæ audita plures ad eam quæſtionem excitavit, atque eam Ario circumſonante magnum ſubitò murmur excitavit.

VI. Blaſphemæ iſtius vocis ſonus Alexandriæ primùm prolatæ per univerſam Ægyptum & Lybiam ac ſuperiorem Thebaidem perſtrepuit, & tandem reliquas Provincias & Civitates concuſſit, adeò ut diviſio opinionum exorta ſit, quibuſdam, iiſque pluribus, Alexandro & Catholicæ veritati faventibus: quibuſdam verò Arii errorem approbantibus, quem præ cæteris ſuſcepit Euſebius, non Cæſarienſis, ſed alter, qui ante Berytiorum Epiſcopus tunc ad Nicomediæ, quæ in Bithynia eſt, Epiſcopatum irrepſerat. Quæ cum audiret ac cerneret Alexander, gravi exarſit irâ, & collecto multorum Epiſcoporum Concilio, Arium & reliquos, qui ſententiam ejus amplectebantur, gradu movit, è Presbyterorum ordine illum ejiciens, & Epiſcopis per ſingulas urbes conſtitutis gravem de hac re ſcripſit Epiſtolam, quam per extenſum refert Socrates L. 1. Hiſt. c. 6. In ea præcipuum Arii patronum Euſebium Nicomedienſem ſtatuit; nomina autem eorum, qui Arium in errore ſequebantur hæc fuiſſe ſcribit, Achillam, Aithalem,

Carponem, alterum Arium, Sarmaten, Euzojum, Lucium, Julianum, Menam, Helladium, Gajum, & cum his Secundum, ac Theonam olim Epiſcopos, illum Ptolemaidis, iſtum Marmaricæ, omnes numero quatuordecim: quos omnes in Synodo Alexandriæ coacto centum circiter Epiſcoporum anathemate à ſe damnatos dicit. S. Epiphanius tamen Hæreſ. *69.* dicit ab Ario ſeptingentas Virgines Deo conſecratas, Presbyteros ſeptem, Diaconos duodecim, brevi fuiſſe ſeductos. Quid in hac cauſa geſtum ſit, dicam.

§. II.

De Arii damnatione, reſtitutione, & exitu.

I. De anno, quo Arius errorem ſuum prodere cœpit, controverſia eſt. Eum innotuiſſe non ante annum 315. putat Baronius. Alii ad annum 317. & S. Hieronymus ad annum 321. eum differt. Conciliari tamen poſſe credo, ſi diſtinguantur tempora, illius primi ortus Alexandriæ, ejus diſſeminationis per Ægyptum, & denique propalationem per totum Orbem, & dici de primo loqui Baronium, de ſecundo alios, & de tertio S. Hieronymum.

II. Verùm, quidquid de anno ſit, Arius anathemate damnatus & gradu pulſus Alexandriâ relictâ in Palæſtinam abiit. Ibi ſingulos Epiſcopos adire, ſingulis adulari cœpit, quò plures ſibi ac ſuo errori ſuffragatores adjungeret. Ex his quidam eum receperunt, quidam rejecerunt; quæ mox ut ad aures Alexandri Patriarchæ perlata ſunt, præter Synodicam, de qua ſuprà, alias Epiſtolas ad plurimos Epiſcopos ſcripſit, quibus Arii & Sectatorum ejus impietatem detexit. Dedit inter alias eruditiſſimam ad S. Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quam nobis exhibet Theodoritus L. 1. Hiſt. c. 4. Arius è converſo ad Euſebium Nicomedienſem præcipuum ſuæ cauſæ patronum, & in errore ſocium literas dedit, quas legimus apud eumdem Theodoritum c. 5. & Epiphanium Hær. *69.* n. *6.* In quibus de Alexandro conqueritur, tamquam ſe ac ſibi adhærentes propter veritatem injuſtè perſequente. Se Ammonii filium vocat, & Euſebium *Conlucianiſtam* appellat; quòd veriſimiliter S. Luciani Antiocheni ſimul auditores fuiſſent: non quòd ab illo S. Martyre, quem tot laudibus celebrat S. Chryſoſtomus, errorem acceperint. His literis acceptis Euſebius, ipſe quoque impietatem ſuam evomuit, & ad Paulinum Epiſcopum Tyriorum, quem inter ſuos fautores Arius recenſebat, Epiſtolam dedit, quam legere eſt apud Theodoritum L. 1. cap. *6.*

Epiſcopi verò, quos ſuæ cauſæ fautores Arius in dicta Epiſtola refert, ſunt, Euſebius Cæſareæ Epiſcopus, Theodotus Laodiceæ, Paulinus Tyri, Athanaſius Anazarbi, Gregorius Beri, Aetius Liddæ, quæ poſtea Dioſpolis dicta fuit. Eos verò quos adverſarios nominat ſunt Philogonius Antiochenſis Antiſtes, Ellanicus Tripoleos, & Macarius Jeroſolymorum, quos calumniis inſectatur.

III. Interim Thaleiam ſuam Arius compoſuit: Thaleiam ſeu Thaliam, vel à nomine unius ex Muſis, vel à lætitia nuncupavit, cantilena quippe erat mollis & impura, ac nomen & modum à Sotade antiquo Poeta mutuatus fuit. In hac totum ſuæ hæreſeos virus expreſſit, ut illud ſuavibus modulis in hominum ac muliercularum ad voluptates proclivium animos ſenſim inſtillaret. Ex ipſa aliqua fragmenta refert S. Athanaſius Orat. 1. contra Arianos num. 5. „ Non ſemper Deus fuit Pater: ſed fuit, cùm Deus ſolus „ eſſet, nondumque Pater erat, poſtea verò factus eſt Pater. Non „ ſemper fuit Filius: nam cùm omnia ex nihilo ſint orta, reſque „ omnes creatæ ſint & factæ, ipſum quoque Dei Verbum ex nihilo „ factum eſt, & fuit aliquando cùm non eſſet: nec erat antequam „ fieret: ſed habuit quoquè creationis initium. Erat enim, inquit, ſolus Deus, nondumque erat Verbum & Sapientia. Cùm „ autem nos poſtea voluit creare, tunc profectò unum quemdam „ fecit, quem & Verbum & Sapientiam & Filium nominavit, ut „ nos per ipſum crearet. Duas ergo Sapientias eſſe ait: unam „ quæ propria ſit & cum Deo ſimul exiſtat; Filium verò in iſta „ Sapientia factum fuiſſe, ejuſque factum participem, Sapientiam & Verbum nomine tenus eſſe appellatum. Sapientia „ enim, inquit, per Sapientiam Dei ſapientis Voluntate èxtitit. „ Sic aliud Verbum in Deo eſſe dicit præter filium, cujus Verbi „ participem factum Filium, ipſum quoque gratiâ Verbum & „ Filium vocatum fuiſſe.

„ Chriſtum autem non eſſe veram Dei virtutem, ſed unam „ earum, quæ virtutes ſolent dici, inter quas & locuſta & eruca „ non virtus tantùm ſed magna virtus appellatur Joelis 2. v. 25.; „ alias porrò multas eſſe ſimileſque Filio, de quibus David pſallit (Pſal. 23. v. 10.) *Dominus virtutum*. Item Verbum naturâ, „ ut nos omnes, eſſe mutabile, ſuoque arbitrio, quouſque volet, „ bonum perſeverare: quòd ſi voluerit, poſſe quoque ut & nos „ mutari, cùm mutabili ſit naturâ. Quia enim Deus, inquit, bonum eum fore præſcivit, idcirco hanc ei gloriam præveniendo „ donavit, quam homo poſtea ex virtute conſecutus eſt. Quapropter ex ejus operibus, quæ præſcivit Deus talem illum naſci „ voluit.

IV. Præ-

IV. „ Præterea auſus eſt dicere, Verbum non eſſe verum „ Deum. Nam tametſi dicitur Deus, inquit, non tamen verus „ eſt Deus, ſed gratiæ factus particeps, non aliter quàm alii „ omnes, & quemadmodum res omnes ſecundùm naturam di- „ verſæ & diſſimiles Dei ſunt; ita & Verbum omninò alienum, „ & diſſimile eſt naturæ proprietatiſque Dei Patris, ſed ad res „ factas & creatas pertinet, quarum una ipſum eſt.

„ In Thalia etiam ſcripſit, Patrem à Filio videri non poſſe, „ neque Verbum perfectè & plenè ſuum Patrem poſſe intueri, vel „ cognoſcere, ſed quidquid cognoſcit & cernit convenienter pro „ ſuis viribus cognoſcere & cernere, quemadmodum & nos pro „ noſtra facultate cognoſcimus. Enimverò, inquit, non ſolum „ Filius Patrem non accuratè cognoſcit, utpote cui comprehendi „ facultas deſit, verùm nec ſuam ipſe naturam notam habet. „ Addit ſimiliter naturâ diviſas, diverſas, disjunctas, alienaſ- „ que, nec invicem participes eſſe Patris Filii & Sancti Spiritus „ ſubſtantias, quin etiam, ut ipſe ait, penitùs inter ſe & ſubſtan- „ tiâ & gloriâ ſunt infinitè diſſimiles. Itaque, quod ad naturæ & „ gloriæ ſimilitudinem attinet, Verbum ab utriſque, Patre vi- „ delicet & Spiritu Sancto alienum omninò eſſe docet: hæc enim „ ſunt impii illius verba, qui item ait Filium ex ſe à Patre eſſe „ diviſum, nullaque in re participem ejus eſſe.)

V. Hiſce particulis ex impia Arii doctrina excerptis exclamat S. Athanaſius: *Quis ergo his & carmine Thaliæ auditis, Arium quaſi in ſcena de hujuſmodi rebus jocantem jure non oderit? Quis non agnoſcit illum, cùm Dei nomen proferre & de Deo loqui videtur, ſimillimum eſſe ſerpentis mulieri dantis conſilium? Ecquis verò aliis quæ ibidem ſequuntur perlectis, non tam clarè ejus perſpicit impietatem, quàm fraudem, in quam ſerpens mulierem doloſè induxit*. Has eaſdem blaſphemias Arianos docuiſſe, teſtis eſt S. Alexander Epiſcopus in Epiſt. Encyclica quam refert S. Athanaſius, qui in Libro de Synodis eadem refert. In aulam etiam irrepſit perfidus Hæreſiarcha, & Conſtantiam Auguſtam Conſtantini ſororem ſuis partibus addixit, in hoc etiam imitatus ſerpentem, qui mulierem ſeduxit, ut ejus patrocinio, & ſuaſu viros deciperet.

VI. Eccleſia interim ſcindebatur in partes. Euſebius Nicomedienſis totus pro Ario, coacto in Bythinia Concilio literas ad omnes Epiſcopos dedit, adhortans ut Arium & ſuos in communionem admitterent, & Alexandrum ipſum ad pacem cum illis ineundam impellerent. Una ex his Epiſtolis ad Paulinum Tyri Epiſcopum, de qua ſupra apud Theodoritum L. 1. Hiſt. c. 6., legitur, in qua gratulatur, quòd Euſebius Cæſarienſis veritati (veriùs blaſphe-

blaſphemiæ) tuendæ ſe adjunxerit. Ab oppoſito S. Alexander Epiſtolis & malis artibus Arianorum libellum oppoſuit, eumque miſit ad Epiſcopos Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, Pentapoleos, Syriæ, Lyciæ, Pamphiliæ, Cappadociæ, Aſiæ &c. qui ipſi ſubſcripſere, & ſummâ conſenſione ad tuendam fidei veritatem cum ipſo conſpirarunt, ut ex Theodorito L. 1. Hiſt. cap. 4. Certiorem etiam de Arii hæreſi, & turbis ab ipſo in Ægypto & Palæſtina excitatis, fecit Silveſtrum Romanum Pontificem, ut teſtatur Liberius in Epiſtola ad Conſtantinum. Noverat enim ad Summum Pontificem pertinere judicium de cauſis fidei, quas nomine *majorum* tota intellexit Antiquitas.

VII. *Hæc cùm audiſſet Imperator* (inquit Socrates Lib. 1. Hiſt. cap. 7.) *graviſſimo dolore perculſus eſt, ſuamque eſſe ducens hanc calamitatem, eò incubuit, ut excitatum malum quamprimùm reſtingueret. Proinde literas mittit ad Alexandrum & Arium per virum ſpectatæ fidei Hoſium nomine Epiſcopum Cordubæ, quæ Hiſpaniæ civitas eſt, quem quidem Imperator & amabat & colebat plurimùm.* Deinde ſubjicit exemplum literarum Conſtantini: quas exhibet etiam Euſebius L. 2. de Vita Conſtantini c. 64. & ſeq. In eis totus eſt pius Imperator in ſuadenda pace & concordia inter Alexandrum & Arium, & tollendis ab Eccleſia diſſenſionibus tanquam de re (ut ſibi falsò perſuadebat) ſummam Religionis non tangente.

VIII. Verùm cùm hoc pro votis non eveniret, Alexandro pro Fide Catholica ſtante, Ario verò pertinaciter renitente, ac in dies magis turbas excitante, Silveſtri Romani Pontificis conſenſu & auctoritate, Nicææ in Bythinia Concilium cui 318. Patres aliique, inter quos S. Athanaſius adhuc Diaconus, interfuere, coactum eſt; quod eſt celeberrimum Nicænum I. in quo Arius cum ſuo errore damnatus eſt, & controverſia de die Paſchatis definita, ipſo Imperatore præſente & Catholicæ veritati ſubſcribente. De hoc teſtes habemus Euſebium Pamphili L. 3. de Vita Conſtantini cap. 6. & ſeq., Socratem L. 1. c. 8., & Theodoritum L. 1. Hiſt. c. 7. Fidem in eo ſtatutam Eccleſiis omnibus ſuis literis Conſtantinus promulgavit (Euſebio teſte L. 3. de Vita Conſtant. c. 17.) Arium cum ſuis diſcipulis exilio mulctavit, perpetuâ ignominiâ notavit, jubens eum & Sectatores ejus *Porphyrianos* vocari, à Porphyrio apoſtata, & Chriſtianæ Religionis hoſte, ut cujus imitabantur mores, vocabulum etiam haberent. Arii quoque Thaliam ejuſque Libros flammis tradi juſſit, pœnâ mortis indictâ ei, qui illos occultaſſe deprehenſus fuiſſet.

IX. Hoc Imperatoris Edictum legimus apud Socratem Lib. 1. cap. 9.

Digitized by Google

cap. 9. his verbis: *Cùm malos & impios homines imitatus ſit Arius, eamdem cum illis pœnam infamiæ meretur ſubire. Quemadmodum ergo Porphyrius veræ pietatis inimicus compoſitis adversùs Chriſtianam Religionem nefariis voluminibus, dignam mercedem retulit, ut & ipſe infamis ſit apud poſteros multiſque appetitus opprobriis, & impii ejus libri penitùs fuerint aboliti: ita nunc placuit Arium Sectatoreſque ejus Porphyrianos vocari, ut cujus imitati ſunt mores, ejus etiam vocabulo appellentur. Præterea ſi quis fortè liber ab Ario conſcriptus reperiatur, flammis eum abſumi præcipimus: ut non ſolùm prava illius doctrina funditùs aboleatur; ſed ne monumentum quidem ejus ullum poſteritati relinquatur. Illud etiam denuntio, quòd ſi quis librum ab Ario compoſitum occultaſſe deprehenſus ſit, nec eum ſtatim oblatum igne combuſſerit, mortis pœnam ſubibit. Simulatque enim in hoc facinore fuerit deprehenſus, capitali ſupplicio ferietur.* Ita in exterminium Arianæ blaſphemiæ pius Imperator decrevit.

X. Quinquennio tamen poſt damnationem in Concilio Nicæno, nimirùm anno 330., Conſtantiâ ejuſdem Imperatoris ſorore morti proximâ poſtulante, Arius in Aulam vocatus eſt. Leguntur Conſtantini Literæ ad Arium apud Socratem L. 1. Hiſt. c. 25. qui rem narrat factam induſtriâ cujuſdam Presbyteri, Ariani quidem, ſed occulti, quem Conſtantia moriens Conſtantino fratri commendaverat. Is gratiam Imperatoris adeptus, cauſam Arii apud ipſum agere cœpit, *affirmans, eum non aliud ſentire, quàm quod à Synodo decretum fuiſſet, & ſi in conſpectum ejus admitteretur, Synodi decretis conſenſurum eſſe, & ſinè cauſa eum falsò inſimulari. Nova atque admiranda Imperatori viſa ſunt, quæ à Presbytero dicebantur. Sic igitur ille reſpondit Presbytero. Si Arius Decretis Synodi ſubſcribit, & eadem ſentit cum Synodo, eum in conſpectum meum admittam libens, & cum honore remittam Alexandriam. Hæc locutus, confeſtim ad illum ſcripſit.*

Epiſtolam quam Imperator dedit ad Arium clementiæ & benignitatis plenam placet ex Socrate referre: *Victor Conſtantinus Maximus Auguſtus Ario. Jampridem gravitati tuæ ſignificatum eſt, ut ad Comitatum noſtrum venires, quò Majeſtatis noſtræ conſpectu perfrui poſſes. Sed mirari ſatis non poſſumus, quòd confeſtim id non præſtiteris. Conſcenſo igitur vehiculo publico ad Comitatum noſtrum venire accelera, ut noſtram clementiam ac beneficentiam expertus, in patriam reverti poſſis. Divinitas te ſervet, frater dilectiſſime. Data ante diem quintum Calendarum Decembrium.* Hiſce terminis ſcribit Imperator: ad quem? Ad Arium Eccleſiæ transfugam, ut eum reducat. Meritò igitur Socrates ait: *Hìc verò mirari ſubit Imperatoris ſtudium atque zelum, quo erga Religionem erat affectus. Ex*

Ex hac enim epiſtolâ præcipuè apparet, quòd Arium ſæpiſſimè ad pœnitentiam cohortatus ſit. Quippe illum reprehendit, quòd cùm ipſe crebras ad illum dediſſet literas, nihilominus ille ad viam veritatis redire minimè properaſſet.

XI. *Arius igitur acceptis Imperatoris literis haud multò poſt Conſtantinopolim venit. Erat cum eo etiam Euzojus, quem Alexander Diaconatus honore exuerat, cùm Arium ejuſque ſocios deponeret. Eos Imperator ad conſpectum ſuum admiſit, interrogavitque utrum fidei conſentirent. Illis protinùs aſſentientibus, Imperator libellum fidei ſuæ tradere eos jubet.* Formulam ergo obtulerunt Principi ſpecie quidem Catholicam, ſed æquivocam, & quæ errorem ſuum non excluderet. Talem inter alios exhibet Socrates Lib. 1. cap. 26. *Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, & in Dominum Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui ex eo factus eſt ante omnia ſecula: Deum Verbum, per quem omnia facta ſunt, quæ in Cælo & quæ in terra* &c. Atque ita ſe corde credere Deum teſtem ac judicem advocantes, ſe in communionem recipi poſtularunt. Unde pius Imperator nihil fraudis latere exiſtimans, eis Alexandriam revertendi licentiam indulſit.

XII. Anno itaque 331. Alexandro jam defuncto, ejuſque in locum Athanaſio Epiſcopatum gerente, Arius Alexandriam revertitur, ad quem Euſebii Nicomedienſis Epiſtolam quoque detulit, ipſum adhortantis, ut Arium in communionem reciperet. Verùm cùm Athanaſius hominem captioſum agnoſcens, eum recipere renueret, Imperator Euſebio ſuadente, ut eum cum ſociis admitteret, movit. Reſtitit tamen Athanaſius, & Imperatorem per literas docuit, fieri non poſſe, ut qui fidem ſemel violaſſent, & anathemate percuſſi eſſent, rursùs de integro, maximè non probatâ per pœnitentiam fide, reciperentur. Id moleſtè ferens Imperator, Athanaſio reſcripſit, ſi mandatis ejus non pareret, aditumque omnibus petentibus in Eccleſiam non aperiret, ſe miſſurum continuò aliquem, qui ipſum deponat, & extra patriam ſuam deportet. Cùmque nec his Athanaſius flecteretur, hinc occaſionem Euſebiani ſumſerunt perſecutionem in Athanaſium excitandi omnibus notam; quam invicto animo pertulit ac ſuperavit. Hæc ex Socrate L. 1. c. 27., Sozomeno L. 2. c. 22. &c. & ex ipſo Athanaſio paſſim.

XIII. Anno 335. Ad dedicationem Eccleſiæ, quam Jeroſolymis Imperator conſtruxerat, frequentes Epiſcopos juſſerat convenire. Eos ergo, priuſquam illuc convenirent, in civitate Tyro collectos cauſam Athanaſiii variis criminibus ab Arianis accuſati ventilari præcepit, quò ſexaginta Epiſcopi majori ex parte Ariani acceſ-

acceſſere, ubi, quamvis Athanaſii innocentia comperta fuiſſet, Synodali tamen ſententiâ depoſitus fuit; ac Synodus relictâ Tyro Jeroſolymam veniens Arium cum ſociis in communionem recepit. Hæc refert Socrates Lib. 1. c. 28. & ſequentibus.

De præfata Synodo Tyria dicit Epiphanius Hæreſ. 68. n. 7. quòd ei præerat Euſebius Cæſarienſis cum aliis in Arianorum dogma propenſis. Aderant ex Catholica Ægypti Eccleſia & Athanaſio ſubjecta Epiſcopi quidam vitæ ſanctitate præditi, inter quos Magnus Potamo olim Heracleæ Epiſcopus, vir ardore veritatis æſtuans, & ſummâ loquendi libertate potens, qui pro fidei confeſſione alterum in perſecutione oculum amiſerat. *Is Euſebium ſedentem & judicantem, ſtantem verò Athanaſium conſpicatus, dolore confectus & illacrymans, cujuſmodi ſinceris mentibus uſuvenire ſolet, magnâ voce adversùs Euſebium invectus eſt. Et te ne, inquit, Euſebi ſedere, & innocentem Athanaſium à te judicari? Quis iſta ſuſtinere poſſit? Dic ſodes, nonne mecum perſecutionis tempore in cuſtodia fuiſti? Atque ego quidem oculum pro veritate perdidi; tu nullâ corporis parte mutilatus es, neque martyrium ſubiiſti, ſed vivus integerque conſiſtis. Quânam ratione è cuſtodia evolaſti, niſi quòd perſecutionibus noſtris nefarium facinus admiſſurum te eſſe recepiſti, vel etiam admiſiſti? Hæc Euſebius audiens magnoperè doluit, & repentè ſurgens Concilium dimiſit.* A qualitate Judicis, colligat quiſque, quale eſſet adversùs Athanaſium Tyrium Concilium, ſimile ei certè cui adversùs Chriſtum Caiphas præerat.

XIV. Anno 336. urgentibus Arianis, qui ad Concilium contra Marcellum Ancyranum Nicænæ fidei defenſorem Conſtantinopoli convenerant, ut Arius, quem plebs Alexandrina ab ingreſſu Eccleſiæ arcebat, in communionem Conſtantini mandato reciperetur, & gratiâ ipſi à Synodo Jeroſolymitana conceſsâ frui liceret, Imperator ipſum Conſtantinopolim vocavit. Ibi oblatâ pientiſſimo Principi Nicænæ fidei formulâ, ita ſe credere juramento confirmavit, aliam tamen perfidiæ ſuæ formulam ſub ala recondens, ad quam juramentum ſuum reſtrictione mentali dirigebat, ut tradit Socrates L. 1. c. 38.: cui fidem præſtans pius Imperator, Alexandro tunc Conſtantinopolitano Epiſcopo mandavit, ut Arium in communionem reciperet. Alexander Apoſtolicus Antiſtes, fideique Nicænæ propugnator ingenuus; dolens nimiâ Principis credulitate Arium, Euſebium Nicomedienſem & Arianos triumphaturos, ad preces & jejunia unà cum S. Jacobo Niſibi Epiſcopo confugit.

XV. Quæ ſequuntur ex Socrate loco citato referam „ Erat
„ tum dies Sabbati. Poſtridie verò ſperabat Arius, ſe in Eccle-

,, ſia cum reliquis fidelibus conventurum. Sed perditis Arii co-
,, natibus Divina ultio jam inſtabat. Egreſſus enim ex Imperiali
,, Palatio, Euſebianis ſatellitum inſtar eum ſtipantibus, per me-
,, diam civitatem magnificè incedebat, omnium oculos in ſe
,, convertens. Cùmque veniſſet juxta forum, quod dicitur Con-
,, ſtantini, quo in loco ſtatua porphyretica poſita eſt, terror qui-
,, dam ex conſcientia ſcelerum ei ſubortus eſt, & cum terrore
,, ſimul alvus relaxata. Percontatuſque, num in proximo eſſent
,, latrinæ, cùm poſt Conſtantini forum eſſe didiciſſet, illùc per-
,, rexit. Mox animo deficere cœpit, & unà cum excrementis
,, anus ipſi delabitur, & id quod medici vocant apepſthiſma, pro-
,, tinus per anum decidit. Subſecuta eſt ſanguinis copia; ac po-
,, ſtremò tenuia inteſtina, ſimul cum ſplene ac jecore effuſa ſunt.
,, Et ille quidem continuò animam exhalavit. Latrinæ autem
,, illæ Conſtantinopoli poſt forum Conſtantini, ſicut antea dixi, &
,, poſt macellum, quod eſt in porticu, etiamnum monſtrantur:
,, & cunctis prætereuntibus digitum ad eas intendentibus, genus
,, mortis Arii perpetuò memorabile poſteris reddunt,,.

Cùm hæc ita accidiſſent, ingens terror ac mœſtitia animos eorum, qui cum Euſebio Nicomedienſi erant, occupavit: famâque hujus rei, non per totam modò civitatem, ſed per univerſum, ut ita dicam, Orbem terrarum diſperſa eſt. Imperator verò Chriſtianæ Religioni eò magis adhæſit, cùm Nicænæ fidei veritatem Dei ipſius teſtimonio confirmatam eſſe intelligeret. Hactenus Socrates. Quæ confirmantur ex S. Athanaſio Orat. 1. contra Arianos, Theodorito L.1. Hiſt. cap. 14. & L. 4. Hær. Fab. cap.1. S. Epiphanio Hæreſ. *69.* & Sozomeno L.2. Hiſt. c. 29. Hoc Divinæ juſtitiæ ſententiâ Arii exitiale ſupplicium fuit, ut qui Judam Chriſti proditorem imitatus, Chriſti fidem prodiderat, & ipſe ſicut ille viſcerum diffuſione interiret.

§. III.

Conſtantini mors, Julius Rom. Pont., Arianæ hæreſis furor.

I. SEquenti anno, nimirum *337.* ut refert Socrates Lib. 1. Hiſt. cap.*39.*, Conſtantinus Imperator in morbum incidit, à quo ut levaretur Helenopolim profectus eſt: ibi enim juxta urbem aquæ calidæ erant, quarum lavacrum ſalubre ægrotantibus erat. Sed morbo ingraveſcente, urbe & balneo relictis, Nicomediam ſe tranſtulit, ibique Baptiſma ſuſcepit. De tempore tamen & loco in quo Conſtantinus baptizatus fuit, controverſia eſt, de qua hìc agere locus

locus non eſt. Quare modò ſuſpendo, Baronio & aliis ſubſcribere, aſſerentibus ab anno 324., & quidem Romæ à S. Silveſtro baptizatum fuiſſe. Subinde teſtamentum condidit, in quo tribus filiis ſuis Conſtantio, Conſtanti, & juniori Conſtantino Imperium diviſit. Teſtamentum ſecretò tradidit Presbytero illi ſectâ Ariano ſibi familiari, quem Conſtantia ſoror ipſi commendaverat, mandans ei, ne alteri quàm filio Conſtantio, quem Orienti præfecerat, illud in manus traderet. Cùmque aliquot diebus ſupervixiſſet, abſentibus filiis, mortuus eſt Conſtantinus, & quidem in Catholica fide, ut inter cæteros oſtendit Natalis Alexandre Hiſt. Seculi 4. Diſſert.24. Vixit autem annos quinque & ſexaginta, ex quibus unum & triginta imperavit.

II. Accepto de Conſtantini parentis obitu nuntio, Conſtantius Conſtantinopolim advolavit, & demortui corpus illuc jam translatum, in Eccleſia Apoſtolorum, in qua ſibi ſepulturam elegerat, honorificè condidit. Interim Presbyter ille, de quo ſupra, teſtamentum & mandata, quæ Conſtantinus moriens ipſi commiſerat, Conſtantio filio obtulit. Qui legens, in teſtamento ſibi tradi Orientis Imperium, ac ſummopere gaviſus, Presbyterum illum in honore habere cœpit, multumque auctoritatis ei conceſſit, ac liberum in Palatium ingreſſum habere præcepit. Hâc licentiâ Presbyter ille utens ſectam Arianam, tum Imperatoris conjugi, tum Eunuchis inſtillare cœpit. Eâ tempeſtate Regii cubiculi Præpoſitus erat Eunuchus quidam nomine Euſebius. Huic Presbyter perſuaſit, ut opinionem Arii amplecteretur. Quo factum eſt, ut cæteri etiam Eunuchi in eandem ſententiam adducerentur. Sed & ipſa Imperatoris uxor, & ſpadonum & Presbyteri hortatu Arii partibus ſe ſe adjunxit, nec multò poſt ad Imperatorem ipſum hæc lues pervenit. Paulatimque evulgata, primùm quidem his qui in Palatio militabant innotuit, deinde ad ipſum quoque Regiæ urbis vulgus promanavit, ut primùm quidem in palatio etiam cum mulierculis hac de re quæſtio haberetur, deinde per ſingulas urbis domos tranſiens, alias quoque Urbes ac Provincias invaderet: ſicque parva ſcintilla ingens contentionis incendium excitavit. Et hæc quidem in Orientis dumtaxat urbibus agebantur; Urbes enim Illyrici, & quæ in Occidentis partibus, ubi Conſtantinus junior imperabat, interim quievere; quippe quæ Nicæni Concilii decreta labefactare nollent (ex Socrate Lib.2. cap.2.)

III. Sic pace à Paganis obtentâ, aliud bellum invidia Diaboli excitavit, eò atrocius quia internum, & inter ipſa ejuſdem corporis membra, quæ ad ejus diſſolutionem armavit ad pugnam, ac præcipuè ipſos Eccleſiæ Antiſtites ac Paſtores, ut eorum multos

vertens in lupos, perniciem gregis redderet faciliorem. Tumultum ergo in Oriente per ſupradictum Presbyterum Diaboli miniſtrum excitatum, ac Imperatoris Conſtantii potentiâ munitum, lucro ſuo Euſebiani deputantes, omne ſtudium eò direxerunt, ut in locum Athanaſii pro Catholica fide pugilis invicti, & eorum operâ à cuſtodia ſui gregis jam deturbati, alter ſuæ factionis deputaretur. *Sed conſilium illorum prævenit Athanaſii reditus, qui Alexandriam reverſus eſt Regiis munitus literis, quas unus ex Auguſtis Conſtantinus junior patri cognominis ad populum Alexandrinum ſcripſerat*. Ita Socrates L.2. c.2. qui earum literarum exemplum ſubjicit. Contigerunt hæc anno 338.

IV. Præfatis literis ſe opponere auſus non fuit Conſtantius. Unde Athanaſius Treviris relictis, ubi duobus annis & quatuor menſibus exul permanſerat, trajectâ Lybiâ in Ægyptum, & tandem Alexandriam pervenit incredibili, tum Cleri, tum fidelis populi gaudio & plauſu exceptus, omnibus etiam ex agris & remotioribus locis ad eum inviſendum accurrentibus. Movit hoc Arianorum animos, qui præcipuè Athanaſii reditum ferre non valentes, novas adversùs ipſum calumnias inſtruxere anno 339. & potiſſimè, quòd à Synodo Tyria exauctoratus, abſque alia Synodo temerè & contra Canones ſedem repetierit. Quas calumnias ab Epiſcopis Alexandrini Patriarchatus in Concilio egregiè dilutas, ad Julium tunc Romanum Pontificem detulerunt, ad quem accurrens etiam Athanaſius in Synodo Romæ coacta abſolutus fuit: & cum eo etiam Paulus Conſtantinopolis Epiſcopus, Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, Lucius Adrianopolis ab Eccleſiis ſuis pulſi. Hi enim etiam Romam ad dicendam cauſam ſuam coram Julio adventarant.

V. Totum hoc enarrans Socrates L.2. Hiſt. c.15. *Eodem tempore*, inquit, *Paulus quoque Conſtantinopolis Epiſcopus, Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, quæ eſt urbs minoris Galatiæ, Lucius denique Adrianopolis, alius aliam ob cauſam accuſati & Eccleſiis ſuis pulſi in urbem regiam adventant. Ubi cùm Julio Romanæ Urbis Epiſcopo cauſam ſuam expoſuiſſent, ille, quæ eſt Romanæ Eccleſiæ prærogativa, liberioribus literis eos communitos in Orientem remiſit, ſingulis ſedem ſuam reſtituens, ſimulque perſtringens illos, qui ſupradictos Epiſcopos temerè depoſuiſſent. Itaque illi Româ digreſſi, & Julii Epiſcopi literis freti ſuas quiſque Eccleſias occuparunt, & Epiſtolas ad eos quibus ſcriptæ fuerant miſerunt*. Hæc Socrates.

Eadem refert Sozomenus Lib. 3. Hiſt. cap.8., ubi narrato ad Julium recurſu præfatorum Epiſcoporum, ſubdit: *Epiſcopus igitur Romanus cùm ſingulorum cauſas cognoviſſet, omneſque in Nicænæ fidei*

fidei doctrinam convenientes reperiſſet, tamquam idem cum ipſo ſentientes in communionem recepit. Et quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipſum ſpectabat, ſuam cuique Eccleſiam reſtituit. Scripſit etiam Orientalibus Epiſcopis reprehendens eos, quòd in ſupradictorum cauſis non rectè judicaſſent, & quòd Eccleſiarum ſtatum turbarent, eò quòd Decretis Concilii Nicæni minimè acquieſcerent. Simulque paucos ex illorum numero ad conſtitutum diem adeſſe juſſit, qui docerent juſtam ab ipſis prolatam fuiſſe ſententiam, minatuſque eſt ſe impoſterum non paſſurum, niſi à novandi ſtudio abſiſterent. Hactenus Sozomenus.

VI. Diſcant ergo Novatores & alii, qui jus appellationis ad Romanum Pontificem, ejuſque ſupremum in cauſis fidei Judicium, vel tollere vel infirmare præſumunt. Agebatur hic de cauſis non Italiæ aut Occidentis, ſed Orientis, & in Synodis Orientis jam judicatis. Utraque pars ad Julium Romanum Epiſcopum recurrit, nempè & qui judicaverant, & qui fuerant judicati. Julius cauſam aſſumſit, non ſibi judicium uſurpans, ſed ex *prærogativa Romanæ Eccleſiæ*, & *quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipſum ſpectabat*: ſingulorum cauſas cognovit, non rectè judicatos decrevit, ac ſingulos ſuis Eccleſiis reſtituit, diem adverſariis dixit, ut docerent juſtam ab illis prolatam fuiſſe ſententiam, comminatus, ſe non paſſurum, ut impoſterum Eccleſiam turbarent; ac vi hujus ſententiæ Epiſcopi pulſi ſuis Eccleſiis fuere reſtituti. Quis hic non videt, in Romanæ Sedis Epiſcopo iis temporibus jus agnitum fuiſſe de omnibus totius Orbis Eccleſiarum cauſis judicandi ac ſententiam ferendi?

VII. At, inquies, ſententia Julii tanquam injuſta reprobata fuit; Epiſcopi per ipſum reſtituti, Athanaſius & alii ſupradicti in Concilio Antiochiæ iterum pulſi: ait enim citato loco Socrates: *Verùm hi acceptis Julii Literis reprehenſionem contumeliæ loco duxere. Et convocatâ Antiochiæ Synodo in unum collecti de communi omnium ſententiâ conſcriptis Literis Julium viciſſim acriùs inſimulant, ſignificantes, non debere ab ipſo diſcuti, ſi quos ipſi Eccleſiis ſuis expellere voluiſſent: neque enim ſe contradixiſſe tunc cum Novatus Eccleſiâ ejectus eſt.* Eadem habet Sozomenus loco ſupra allato, addens, in literis ſuis eos faſſos fuiſſe, *Romanam Eccleſiam apud omnes magnificam eſſe, quippe quæ jam indè ab initio domicilium Apoſtolorum & pietatis origo & Metropolis extiterit* (en vel Ariani fatentur Romam fuiſſe domicilium Apoſtolorum Petri & Pauli, quod de Petro inficiantur Novatores) *licèt fidei Doctores ad eam ex Orientis partibus adveniſſent; non tamen æquum cenſebant, ſe inferiore loco haberi.*

VIII. Non

VIII. Non diffiteor. Sed qui fuerunt iſti in Antiochena Synodo congregati, qui adeò impudenter Julii Decreto reſcripſere? Catholici non certè, qui Athanaſium cæteroſque Epiſcopos ſuis ſedibus reſtitutos cum gaudio ſuſceperunt. Fuit ergo Arianorum ſuperba factio, quæ ſicut Dei Verbo injurioſa, ita ejus Eccleſiæ præſidem Julium contemnere minùs erubuit. Quòd ſi perduelles iſti Julio pares in auctoritate ſe gloriabantur, ejuſque ſententiæ parere recuſabant, cur ſaltem Nicæno Concilio Œcumenico & Orientali cervices non flectebant, pro cujus auctoritate tuenda Julius militabat? Cur Epiſcopos qui pro eodem Concilio ſtabant, deponebant, alios qui eidem refragabantur intrudentes? Num pluris faciendæ ſunt eorum pſeudoſynodi Tyria, Antiochena, & aliæ, quàm Nicæna Univerſalis & totius Orbis conſenſione probata? Pro hac ſtabat Julius, pro hac vindicanda Athanaſium, & alios ſuis ſedibus deturbatos reſtituit. Quis ergo pro veritate dimicavit? Ad hoc declarandum Sardicenſis Synodus coacta fuit. Scio ſuæ perditæ cauſæ diffidentes ad eam accedere Euſebianos recuſaſſe. Audiant tamen illam ita loquentem: *Jam ergo* (Euſebiani) *diffiſi ſuis fabulis & vanis rumoribus, ac etiam intuentes, quàm non poſſent de iis rebus vera documenta afferre, quum eſſent in urbe Sardica, non auſi ſunt in Concilio Sanctorum Epiſcoporum apparere. Quæ ex re æquitas Judicii fratris, & Coepiſcopi noſtri Julii liquidiſſima apparuit, qui non temerario conſilio, ſed cum matura deliberatione ſententiam tulit, adeò ut nihil relinquatur dubii de communione fratris noſtri Athanaſii*. Hæc Sardicenſis Synodus.

IX. Paulatim facta eſt generalis corporis Eccleſiæ ſciſſio, quæ quanta intulerit mala, hiſtoriam illorum temporum legenti conſtabit. Pro tuenda Nicæna fide ſtabant Catholici: ut eam everterent, vel ſaltem contaminarent, pugnabant Ariani. Pſeudoſynodos multiplicabant, varias in eis fidei, ſeu veriùs contra fidem confeſſiones edebant. Qui eis ſubſcribere recuſaſſent, Epiſcopos depoſitione & exilio mulctabant, cæteroſque mille ærumnis, Principum, & præcipuè Conſtantii, favore & potentiâ inſequebantur. Cùmque lues nedum Orientem, ſed etiam Occidentem infeciſſet, undique contaminatam & laceratam Chriſti Eccleſiam toti Orbi commiſerandam exhibuit. Quod deplorans Vincentius Lirinenſis in Commonit. num. 4. *Quando*, inquit, *Arianorum venenum, non jam portiunculam quamdam, ſed penè Orbem totum contaminaverat, adeò ut propè cunctis latini ſermonis Epiſcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potiſſimùm in tanta rerum confuſione ſequendum foret, tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor extitit antiquam fidem novellæ perfidiæ præferen-*

ferendo nullâ contagii illius peſte maculatus eſt .... Tunc ſiquidem non ſolùm parvæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, domus; verùm etiam urbes, Populi, Provinciæ, Nationes, univerſum poſtremò Romanum Imperium funditùs concuſſum & emotum eſt. Namque cùm profana ipſa Arianorum novitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto priùs omnium Imperatore, cuncta deinde Palatii culmina legibus novis ſubjugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit univerſa miſcere atque vexare privata, ac publica, ſacra profanaque omnia: nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcumque collibuiſſet tamquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, Monaſteria demolita, diſturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergaſtula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis urbibus, protuſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, attriti & tabefacti ſunt. Hactenus Lirinenſis Arianorum in Catholicos feritatem, non minorem quàm Gentilium in Chriſtianos exponit. Quæ ſi quiſquam ſigillatim videre cupit, adeat Victorem Vitenſem de Perſecutione Africana, & P. Ruinart de Perſecutione Wandalica.

X. Deinde tantæ hujus perſecutionis cauſam aſſignans proſequitur Lirinenſis: *Atque hæc omnia numquid ullam aliam ob cauſam, niſi utique, dum pro cæleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur, dum benè fundata antiquitas ſceleſtâ novitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita Patrum, dum convelluntur definita Majorum, dum ſe ſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet?* Effrænis hæc libido, quæ adversùs ſcita Patrum & traditiones Majorum teſte Lirinenſi impulit Arianos, numquid eadem excitavit Lutherum, Calvinum, & quotquot noſtrâ ætate vigent Sectarios, ut ſacrâ vetuſtate & Eccleſiæ decretis contemtis, quas ſuo privato judicio ſibi confinxerunt, novitates ſequantur eiſque pervicaciter adhærentes, Catholicos pro ſacra antiquitate ſtantes derideant, & perſequantur? Igitur ex S. Ambroſio Lib. 3. ad Gratianum cum eodem Lirinenſi utriſque repetam: *Servemus præcepta Majorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus. Librum ſignatum illud propheticum, non Seniores, non Poteſtates, non Angeli, non Archangeli aperire auſi ſunt: Soli Chriſto explanandi ejus prærogativa ſervata eſt. Librum Sacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à Confeſſoribus, & multorum jam martyrio conſecratum? Quem qui reſignare conati ſunt, poſtea tamen damnatâ fraude ſignarunt; qui*

qui violare non ſunt auſi, Confeſſores & Martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus? Librum hunc, quia inter alios auſus fuit aperire Lutherus clamans, ad ſua uſque tempora Evangelium fuiſſe opertum, propterea damnatus ipſe, ſequaces ſuos in damnationem traxit, & adhuc trahit.

§. IV.

Perſecutio in Liberium, & Oſium.

I. MAla, quæ Eccleſiæ Arianæ hæreſis furor intulit, Magno Antonio in raptu præmonſtrata, in ejus Vita apud S. Athanaſium leguntur. Quâdam die ſedens Sanctus Monachus ecſtaſi ſomno correptus plorans & gemens diù manſit. Poſt horam ſurgens & coram adſtantibus adhuc plorans, in preces genuflexus procidit, ſed poſt preces adhuc in gemitu & lacrymis perſeveravit. Exterriti qui aderant, cauſam tanti mœroris & fletus repetitis vicibus exorant. Ille tandem magno præmiſſo ejulatu, Filii mei, inquit, melius eſt mihi ut moriar, priuſquam ea quæ mihi oſtenſa ſunt impleantur. Illis autem acriùs inſtantibus tandem ait. Ira Dei ſuper Eccleſiam imminet, quæ hominibus beſtiis ipſis ferocioribus conculcanda tradetur. Vidi altare Dei multis beſtiis undique circumdatum, continuis calcibus illud impetentibus, ac ſimul ea quæ ſuper ipſum ſunt evertere conantibus, ac mihi vox inſonuit *Altare meum ſic profanabitur*. Hæc mei planctus ac gemituum cauſa. Ita ſanctus Senex: quæ (heu nimis!) diù ab Arianis ſacrilegè impleta totus Orbis vidit ac deploravit.

II. Ut Diabolicum hoc conſilium, Chriſti Altare Eccleſiamque evertendi, feliciùs implerent Ariani, in Eccleſiæ Antiſtites tanquam ſuper Eccleſiam poſitos furorem ſuum direxerunt. Hoc maximè Athanaſius aliique Epiſcopi à ſuis Eccleſiis pulſi, & in exilium amandati experti fuere. Præcipuum verò ſtudium eorum fuit ut Romanum Pontificem, ceu Eccleſiæ Caput faſcinis ſuis caperent. Hoc tentarunt in Julio: ſed quia invenerunt Apoſtolicæ doctrinæ fidelem cuſtodem ac fortem Athanaſii & aliorum qui eam ſequebantur defenſorem, injuriis eum laceſſere, atque anathema ei dicere veriti non ſunt. Eo autem vita functo anno 352. in Liberium ejus ſucceſſorem arma verterunt. Mortuo jam Conſtante, & domino totius Imperii & etiam Romæ facto Conſtantio, Ariani ejus freti patrocinio Liberium criminati ſunt, quòd & fidem Nicænam, & Athanaſium defenderet. Poſt multa hinc inde acta, videns Conſtantius, ſe flectere Liberii animum non poſſe, Mediolano,

lano, ubi tunc moram trahebat, Euſebium Eunuchorum principem Romam miſit. Hic videns, ſe nec ſuaſionibus, nec minis quidquam cum Liberio proficere, noctu commotionem populi timens, Româ abductum Mediolanum coram Imperatore Liberium tranſtulit.

III. Mediolani poſitus celebrem habuit cum Conſtantio congreſſum, quem refert Theodoritus Lib. 2. Hiſt. c. 16. in quo Imperatori conanti damnationem Athanaſii ab eo extorquere reſpondit: *Æquum cenſeo, ut priùs proponatur generalis Epiſcoporum ſubſcriptio, quâ fides in Concilio Nicæno expoſita confirmetur: deinde ut fratribus noſtris ab exilio revocatis, & ad ſuas ipſorum ſedes reſtitutis, ſi iſti qui nunc tumultus cient, fidei Apoſtolicæ aſſentiri comperiantur, tunc omnes contendamus Alexandriam, ubi reus, ubi accuſatores, & cauſæ eorum Patroni ſunt: atque litigantium cauſâ diligenter cognitâ, ſententiam de ea pariter feramus.* Conſultiſſima hæc reſponſio Conſtantio non placuit; quin Liberio minari cœpit, Romam eum non reverſurum: cui infracto animo hæc verba cedro digna reſpondit: *Leges Eccleſiaſticas obſervare, pluris faciendum cenſeo, quàm Romæ domicilium habere.* Hæc ex Theodorito.

IV. His addit Sozomenus Lib. 4. Hiſt. c. 11. *Cùm ergo Liberius mandatis Principis minimè obtemperaret, Imperator eum in Thraciam deportari juſſit, niſi intra biduum ſententiam mutaret. At Liberius: mihi verò, inquit, ò Imperator, nihil opus eſt deliberatione. Hæc enim jampridem à me perpenſa ac decreta ſunt: & jam nunc iter ingredior. Porrò cùm abduceretur in exilium, ajunt, Imperatorem quingentos aureos ei miſiſſe: Liberium verò eos aſpernatum dixiſſe illi qui attulerat: Abi, & nuntia illi qui hoc aurum miſit, ut aſſentatoribus & hiſtrionibus, quos ſecum habet, illud largiatur: quos præ inſatiabili cupiditate continua egeſtas quotidie urget ac cruciat, ſemper quidem appetentes divitias, numquam verò ſatiatos. Nobis verò Chriſtus, qui Patri in omnibus ſimilis eſt, & annonas & bona omnia ſubminiſtrat.*

Hâc itaque de cauſa Liberius Epiſcopatu Romano ſpoliatus eſt, ejuſque adminiſtratio commiſſa eſt Felici cuidam illius Cleri Diacono. Quem quidem ajunt fidei Concilii Nicæni perpetuò adhæſiſſe, & quod ad religionem pertinet, omni prorsùs reprehenſione caruiſſe. Unum verò illud in eo eſſe reprehenſum, quòd etiam ante Ordinationem communione cum hæreticis ſociatus fuiſſet. Socrates tamen Lib. 2. Hiſt. cap. 37. de Felice, an Arianam amplexus ſit perfidiam, tunc cum ad Epiſcopatus honorem promotus eſt, an verò non, ſed vi ac neceſſitate compulſus Ordinationem ſuſceperit, in ambiguo relinquit. In hoc tamen falli viſus eſt Socrates, quòd dicat, Liberium miſſum fuiſſe in exilium, quòd expoſitioni fidei factæ in Concilio

Ariminenſi ſubſcribere recuſarit ; cùm hoc Concilium nondum fuiſſet celebratum ; coactum enim fuit anno 358. poſt Liberii reditum ab exilio.

Interim Liberio pulſo, Conſtantius Romam adventans communi populi ſupplicatione pro ejus reſtitutione interpellatur. Ita Sozomenus proſequitur: *Ubi verò Imperator Romam ingreſſus eſt, populus Romanus crebris acclamationibus interpellare eum pro Liberio non deſtitit, & rogare, ut ipſis reſtitueretur. Itaque Imperator adbibitis in Concilium Epiſcopis qui cum ipſo erant, reſpondit revocaturum ſe illum, & petentibus redditurum eſſe, ſi Sacerdotibus qui in ipſius erant comitatu* (Arianis nempè) *conſentire vellet*.

V. Vix biennium in exilio egerat Liberius, cùm ejus fracta conſtantia viſa fuit. Nam ſive tædio victus, ſive gregis ſui ejus reditum crebrò ac importunè ſollicitantis deſiderio adactus, Sirmienſi formulæ ſibi ab Arianis oblatæ, & Athanaſii damnationi ſubſcripſit. Porrò cùm in Sirmienſi Synodo tres fidei formulæ editæ aſſerantur, quarum prima 25. anathematiſmos continens ſpecie quidem Catholica videbatur ; nam licèt in illa vox *Conſubſtantialis* ſeu *Homouſios* omitteretur, apertè tamen Arii error excludebatur. Ut enim SS. Athanaſius & Hilarius in Lib. de Synodis exponunt, in primo anathematiſmo ita concepta erat: *Eos qui dicunt ex non ente, aut ex alio ſubſiſtente, & non ex Deo Filium extitiſſe, aut quòd tempus aut ætas fuit, quando ille non erat, alienos à ſe cenſet Sancta & Catholica Eccleſia*. In ultimo verò anathematiſmo hæc habebat: *Si quis Chriſtum Deum Filium Dei ante ſecula, adminiſtrumque ad univerſitatis opificium fuiſſe neget ; ſed ex quo tempore è Maria genitus eſt, Chriſtum & Filium appellatum fuiſſe, & principium ſuæ Deitatis tum accepiſſe dicat: anathema eſto*. Quo anathematiſmo directè percutitur hæreſis Photini. Porrò vox *Homouſios* omiſſa in primo,& vox *Adminiſtrum* poſita in ultimo,ut innoxiæ tolerari poſſent, ut ab Arianis tamen, unius omiſſio, & alterius prolatio ſuſpicione non caret.

Secunda Sirmienſis formula puram putamque Arii hæreſim exhibet. Nam in ea voces *Conſubſtantialis*, & ſimilis *Uſiæ* ſeu ſubſtantiæ, ut à Scriptura alienæ proſcribuntur, & Pater major Filio, Filiuſque minor, & ſubjectus Patri aſſeritur. Ideòque à S. Hilario in Lib. de Synodis jure appellatur: *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcriptæ*.

Tertia formula Sirmienſis dicta, licèt non in Concilio, ſed poſt annos octo à paucis, duobus nempè aut tribus Epiſcopis confecta, & ad Synodum Ariminenſem delata, vocem quidem ſubſtantiæ & *Uſiæ* interdicit, Filium verò Patri per omnia ſimilem pro-

Digitized by Google

profitetur. His ergo præmiſſis quæritur, cuinam ex prædictis formulis Liberius ſubſcripſerit.

VI. Dico. Liberius non ſecundæ,ſed primæ Sirmienſi formulæ contra Photinum editæ ſubſcripſit,in qua licèt vox Homouſios non exprimeretur, non tamen apertè excludebatur. Ita communiter ſentiunt Auctores Catholici, inter quos etiam Natalis Alexandre in Hiſt. Seculi 4. Diſſert.32. art.1., de quo egi Tom. 4. in 1.par. de Trin. q.1. Dub.3. §. 4. Factum hoc deſcribit Sozomenus L. 4. Hiſt. c.15. ubi narrat, quòd cùm Conſtantius Româ Sirmium reverſus fuiſſet, ad ſe Liberium Berrhœâ accerſivit, qui Liberium quidem cœpit compellere, ut Filium Patri non eſſe conſubſtantialem profiteretur: ſed deinde tranſiens ad ea quæ contra Paulum Samoſatenum & contra Photinum decreta fuerant, dicit: *Sed & Confeſſionem à Liberio viciſſim ſuſceperunt, quâ eos qui Filium ſecundùm ſubſtantiam & per omnia Patri ſimilem non eſſe aſſererent, alienos ab Eccleſia pronuntiabat*. Quæ certè, ut ex ſupradictis patet, fuit confeſſio primæ Sirmienſis formulæ. Quamquam,ut ſubjungit,aliqui *ſparſis rumoribus divulgaverant, Liberium quoquè Conſubſtantialis vocabulum condemnaſſe, & Filium Patri diſſimilem confiteri*. Ex quibus ſparſis rumoribus, licèt falſis, fieri potuit, ut Sancti Hilarius, Athanaſius, Hieronymus decepti exiſtimarint, Liberium perfidiæ Arianæ ſubſcripſiſſe.

VII. Secundò id probatur ex eo, quòd Liberius poſt ſubſcriptam formulam non ſtatim ab exilio ſolutus fuit, & ſuæ ſedi reſtitutus. Id conſtat ex ejus Epiſtolis ad Orientales, & ad Urſacium, Valentem, & Germanium datis, quibus eos rogat, ut reditum ad ſuam ſedem ſibi ab Imperatore impetrent. Si autem formulæ Arianam hæreſim continenti ſubſcripſiſſet, cùm S. Athanaſium à ſua communione jam ſuſpendiſſet, ut in Epiſtola ad Orientales ipſe fatetur, nil ampliùs ab eo Ariani & Conſtantius expetere potuiſſent.

VIII. His accedit, quòd obtento reditu ad ſuam Romanam Eccleſiam, populus ingenti gaudio illum ſuſcepit. *Nam* (inquit Sozomenus loco ſupra citato) *Liberium utpotè virum undequaque egregium, & qui pro religione Imperatori fortiter reſtitiſſet, populus Romanus impensè diligebat, adeò ut ejus causâ graviſſimam ſeditionem excitaverit, & ad cædes uſque proruperit*. Quòd ſi Liberius Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſet, Romani Nicænam fidem ſeverè cuſtodientes,cum horrore ipſum rejeciſſent. Porrò eſtò Liberius Romanæ Sedi fuerit reſtitutus eâ conditione, ut ſimul cum Felice eam Eccleſiam gubernaret: Attamen, inquit Sozomenus, *Cùm Felix modico tempore ſupervixiſſet, Liberius ſolus Eccleſiam adminiſtra-*

ſtravit. Quod quidem Divina providentia ita diſpenſavit, ne Sedes Petri dehoneſtaretur à duobus Præſulibus ſimul gubernata; quod diſcordiæ ſignum, & ab Eccleſiaſticis legibus alienum eſt.

IX. Non deſunt tamen qui putent, in totum à noxa excuſari non poſſe factum Liberii: nam quamvis formulæ apertè hæreticæ non ſubſcripſerit: quia tamen in ea vox *Homouſios* deerat, id ſatìs videbatur, ut Arianis, qui ad eam ſubſcribendam illum adegerant, conſenſiſſet, & proinde cauſam dedit rumoribus, qui ſuper hoc ſpargebantur. Tunc enim idem erat Homouſion tacere, ac Conſubſtantialitatem negare: & eò maximè, quòd videbant, Liberium cum Arianis communicare, & ab Athanaſii acerrimi *Homouſiu* propugnatoris communione ſe ſeparaſſe. Ab hoc tamen nævo ſuæ ſedi reſtitutus ſe purgavit, & tunc maximè, cùm Ariminenſi Concilio aſſenſum ſuum, & ſuffragium conſtantiſſimè negavit: ideòque à S. Ambroſio L. 3. de Virginibus *Vir beatæ memoriæ* & *Vir ſanctior* appellatur: ac ſimiles honoris ac venerationis titulos meruit à S. Baſilio Epiſt. 74., à S. Epiphanio Hæreſ. 75., & à Siricio Romano Pontifice Epiſt. ad Himerium cap. 1. Ejus nomen in Martyrologio S. Hieronymi ad diem 8. Kal. Octobris, & in Menæis Græcorum 27. Auguſti, velut Sancti Pontificis, celebratur.

X. Qualiſcumque tamen fuerit macula, quam præfatæ Formulæ ſubſcribendo contraxit Liberius, macula fuit perſonæ, non Apoſtolicæ Sedis. Unde ex hoc Liberii defectu malè inferunt Romani Pontificis infallibilitatis oppugnatores in ſuppoſito Liberii defectu Romanam Cathedram defeciſſe. Romanam Cathedram, & in ea ſedentem indefectibilem dicimus, quia dum Eccleſiam docet errare non poteſt. Perſonam tamen in ſuis privatis actionibus indefectibilem nemo dixit. Si ergo vi vel metu Liberius defecit, hoc ut faciendum aliis non propoſuit, ſed potiùs non faciendum docuit, cùm Concilium Ariminenſe, in quo hæc vox Homouſios omiſſa fuerat, confirmare noluit. Si ergo lapſus fuit Liberius, lapſum fuit & Concilium: at Liberius ſi ut homo lapſus fuerat, Concilii lapſum ut è Sede Petri loquens emendavit. Sic & Petrus ipſe ut homo lapſus fuit, dum metu adactus ſe Chriſtum noſſe negavit, ei tamen poteſtatem confirmandi in fide fratres Chriſtus fuit elargitus. In hoc obſervatione dignum cenſeo, quòd cap. 22. à v. 31. Lucas refert. Primò enim de omnibus Apoſtolis dixit Petro: *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hìc mihi duo exurgunt dubia. Si enim omnes Apoſtoli à Satana expetendi erant; cur non

non pro omnibus rogavit, ne eorum deficiat fides, ſed pro ſolo Petro, *Ego autem rogavi pro te?* Rursùs ſi rogavit, ne deficeret Petri fides, cur Petrus ter negando à fidei confeſſione cecidit? an Chriſti Oratio exaudita non fuit? Non aliter hæc intelligenda cenſeo; niſi quòd Dominus non pro omnibus Apoſtolis, ſed pro ſolo Petro rogavit, quia à ſolo ipſo ut eorum Capite aliorum fidem in caſu, quo à Satana expeteretur, confirmandam fore ſtatuerat, unde ait, *Confirma fratres tuos*. Ad coercendam verò ejus præſumptionem, quâ dixit, *tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire;* putans hoc ſingulare privilegium ſuæ conceſſum particulari fuiſſe perſonæ, permiſit eum in negationem labi, ut indè reſurgens tanquam Caput cæteros confirmaret, ac intelligeret indefectibilitatem conceſſam ipſi fuiſſe, non ut particulari perſonæ, ſed ut cæterorum Capiti. Quare Chriſti Oratio effectum intentum ſortita fuit, & adhuc ſortitur.

XI. Confirmat hoc Theophilactus apud S. Th. in Catena Aurea ad Caput 22. Lucæ, qui Chriſti mentem ita exponit: *Poſtquam me negato ploraveris ac pœnitueris, corrobora cæteros, cum te Principem Apoſtolorum deputaverim. Hoc enim decet te, qui mecum robur es & petra Eccleſiæ. Hoc autem intelligendum eſt non ſolùm de Apoſtolis qui tunc erant, ut roborarentur à Petro; ſed de omnibus, qui uſque ad finem mundi futuri ſunt, fidelibus, ne ſcilicet aliquis credentium diffidat, videns eum, qui cùm eſſet Apoſtolus denegavit, ac iterum per pœnitentiam obtinuit prærogativam, ut eſſet Antiſtes Mundi*. Quibus apparet, Indefectibilitatem in fide conceſſam Petro ut petræ & Capiti Eccleſiæ non in ſolo Petro ſtetiſſe, ſed derivari uſque ad finem Mundi in omnes, qui in dignitate Capitis ei ſuccedunt. Sed hæc ad abundantiam hoc loco dicta ſunt. Videantur Auctores, qui rem hanc ex profeſſo diſcutiunt. Hic enim mihi ſatis fuit Danæo os obſtruere, qui Opuſc. de Hæreſ. cap. 4. referens Epiſcopos, qui ad Arianos defecerunt, quaſi triumphans dicit: „ Inter quos etiam omnium Hiſtoricorum conſenſu Liberius Romanus Epiſcopus recenſetur, ne quis Romanam Eccleſiam errare poſſe neget „. Contrarium enim oſtendi in Vera Eccleſia Tom. 2. par. 1. art. 3., & præcipuè de facto Liberii Tom. 1. c. 11. §. 2. num. 13. quæ videri poſſunt.

XII. Nunc ad Oſium tranſitum faciam, de quo etiam dixi Tom. 4. in 1. p. de Trinit. q. 1. Dub. 3. §. 4. num. 29. Is Cordubæ in Hiſpania Epiſcopus fuit, Vir celebris, & fidei Catholicæ adversùs Arium & Arianos ſtrenuus propugnator. Conſtantino carus ejus juſſu Alexandrino Concilio ad ſedandos Arii motus, & ſtatuendum diem celebrationis Paſchatis interfuit. In Nicæna Synodo Silveſtri

veſtri Romani Pontificis perſonam geſſit, eique ejus nomine præfuit unà cum Vito ac Vincentio Legatis. Sardicenſi etiam in Synodo & aliis pluribus primas partes geſſit: proinde Arianis inviſus ab eis perſecutiones paſſus fuit. Literas ad Conſtantium Imperatorem ſummo libertatis zelo ſcripſit, ipſum hortans, ut ab Arianis protegendis, & Athanaſio perſequendo deſiſteret. His Conſtantius irâ percitus Oſium Sirmium trahi imperavit, eumque ætate jam provectum ibi per annum detinuit: ubi poſtea coactâ Synodo Oſium vel invitum adeſſe voluit, & Formulæ ibi editæ jam centenarium ſubſcribere.

XIII. Rem hanc ita narrat Socrates Lib. 2. c. 31. *Hic ſiquidem* (Oſius) *per inſidias Arianorum paulò ante in exilium pulſus fuerat. Tunc verò ſtudio atque impulſu eorum qui Sirmium convenerant, Imperator illuc eum evocavit: volens, ut vel ſpontè vel coactus cum Epiſcopis qui aderant conſentiret. Hoc enim facto illorum fidei maximum teſtimonium videbatur accedere. Hanc igitur ob cauſam neceſſitate compulſus, ut dixi, adſuit invitus. Sed cum ille conſentire renueret, verbera & tormenta inflixerunt ſeni. Itaque vi & neceſſitate adactus, editis tum fidei expoſitionibus conſenſit, atque ſubſcripſit.*

XIV. Porrò cum ex ſupradictis, tres fidei expoſitiones, ſeu Formulæ Sirmii editæ ferantur: quæritur, cuinam ex illis Oſius ſubſcripſerit; an primæ contra Photinum, cui Liberium ſubſcripſiſſe dixi; an ſecundæ Arianam hæreſim exprimenti.

Huic ſecundæ Oſium ſubſcripſiſſe manu quidem non voluntate, communior ſententia eſt. Ita ex S. Hilario Lib. de Synodis, ubi ſecundam formulam Sirmienſem appellat: *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ.* Et inferiùs loquens de formula, quæ voces conſubſtantialis & ſimilis ſubſtantiæ ex æquo damnabat, ait: *Oro vos, ne quiſquam alius ex his præter ſenem Oſium & ipſum illum nimiùm ſui ſepulchri amantem reperiatur, qui tacendum exiſtimêt de utroque.* Epiphanius etiam Hæreſ. 73. num. 14. de Arianis loquens: *Alterum*, inquit, *quod perficere ſtuduerunt, fuit, ut diſſimilem eſſentiâ Filium Patri eſſe ſcriptis mandarent. Quo nomine Eccleſiam condemnare ſe poſſe putarunt iis literis quas ab venerabili Epiſcopo Oſio abſtulerunt, in quibus Diſſimilis ſententia legitur.* Igitur ſubſcripſit Oſius ſecundæ Sirmienſi formulæ, in qua Filius Patri diſſimilis in eſſentia dicebatur.

XV. Accedit Sulpitius Severus L. 2. Hiſtoriæ de Arianis hæc habet: *Sed quidam ex his ultra proceſſerant*, Anomæ ouſiam, *ideſt, diſſimilem ſubſtantiam confirmantes. Eòque his certaminibus proceſ-*

ſum,

Digitized by Google

ſum, ut iſtiuſmodi piaculis Orbis terrarum implicaretur: nam Italiam, Illyricum, atque Orientem Valens & Urſacius, cæterique, quorum nomina edidimus, infecerunt. Gallias noſtras Saturninus Arelatenſium Epiſcopus homo impotens & factioſus premebat. Oſium quoque ab Hiſpania in eandem perfidiam conceſſiſſe, opinio fuit: quod eò mirum atque incredibile videbatur, quia omni ferè ætatis ſuæ tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium, & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur: niſi fatiſcente ævo, etenim major centenario fuit (ut Sanctus Hilarius in Epiſtolis refert) deliraverit.

XVI. A lapſu tamen Oſium Divinâ gratiâ erectum fuiſſe & in Fide Catholica obiiſſe, teſtatur S. Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios, ubi fusè enarratâ Oſii adverſus Conſtantii repetitas minas fortitudine, ad ejus lapſum deveniens, ait: *Tantam enim vim intulit ſeni, & ita eum arctè tenuit, ut afflictus attrituſque malis, tandem ægrèque cum Urſacio & Valente communicaret, ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet*. Deinde Oſii reſipiſcentiam referens: *Verùm*, inquit, *ne ita quidem eam rem pro levi habuit: moriturus enim, quaſi in teſtamento ſuo, eorum vim proteſtatus eſt; & Arianam hæreſim condemnavit, vetuitque eam à quoquam probari, aut recipi*.

Et in fine Apologiæ 2. hæc ſcribit: *Nam tametſi Oſius minis Conſtantii conterritus non videbatur Euſebianis contradicere, vis tamen illa & tyrannica Conſtantii poteſtas, multæque contumeliæ & interminationes ſatis oſtendunt, minimè eum in noſtri condemnationem conſenſiſſe, ſed ſenii imbecillitate imparem, verberibus ad tempus ceſſiſſe*. Hactenus Athanaſius. Si ergo ſolùm ad tempus verberum vi ceſſit, non ſemper in errore manſit.

XVII. S. Auguſtinus quoque Oſium à criminibus vindicat, quibus eum onerabant Donatiſtæ quorum æquè ac Arianorum hoſtis fuerat Oſius. Libro enim contra Parmenianum c. 4. 5. & 8. cùm Donatiſtæ Oſium accuſarent, quòd in Hiſpaniam rediens ab Hiſpanis fuerit damnatus ait: *Hoc enim magìs credibile eſt: ſi tamen Oſius ab Hiſpanis damnatus, à Gallis eſt abſolutus; ſic fieri potuiſſe, ut falſis criminationibus Hiſpani circumventi, & callidâ inſidiarum fraude decepti, contra innocentem ferrent ſententiam, & poſtea pacificè in humilitate Chriſtiana cederent ſententiæ collegarum, quibus illius innocentia comprobata eſt*.

XVIII. In contrarium opponitur Libellus à Fauſtino & Marcellino Imperatori Theodoſio porrectus, in quo teſtantur, quòd cùm Gregorius Illiberitanus Epiſcopus Oſio in Hiſpaniam redeunti communicare noluiſſet, Oſius iratus ad tribunal Clementini Provinciæ Præſidis Gregorium vocavit. Coram quo Oſius licèt à Gre-

Gregorio prævaricationis convictus, ut reſpondere objectis non poſſet, reſcriptum tamen à Principe obtinuit, vi cujus Gregorium amandari in exilium à Clementino poſtulavit. Reſpondit Præſes, non poſſe Epiſcopum in exilium amandari, niſi priùs depoſitus fuiſſet. Ipſe ergo Gregorium deponeret, & tunc ſe mandato Principis pariturum. Hiſce in anguſtiis poſitus Gregorius Divinam opem precibus imploravit, quæ illi præſtò fuit. Nam cùm Oſius in Sanctum Antiſtitem ſententiam dicere vellet, ſtatim capite & ore diſtortis in terram à ſede ſua Deo vindice dejectus, ac eliſus infeliciter ſubitò interiit. Et addunt, quòd Clementinus metu perculſus ad pedes Gregorii procidens veniam ab ipſo exoravit. Hæc illorum duorum Presbyterorum de Oſii morte narratio. Quibus ſuffragatur S.Iſidorus Hiſpalenſis, qui eadem de Oſii morte narrat Lib. de Viris Illuſtribus cap.14.

XIX. Sed hæc narratio falſitatis ſuſpecta meritò eſt. Primò: Nam quæ fides hac in re Fauſtino & Marcellino Presbyteris de ſchiſmate Luciferiano habenda eſt, qui Oſium, alioſque Epiſcopos in Conſtantii Imperatoris perſecutione, & maximè in Concilio Ariminenſi lapſos adeò averſati ſunt, ut ab Eccleſia nefario ſchiſmate dividi maluerint, quàm cum eis reconciliari, & communionem inire? Secundò, & maximè, quia illis nullus auctor coævus ſuffragatur, nec Athanaſius, cujus cauſæ plurimùm intererat id non reticere: nam ſi ob deſertam filii Conſubſtantialitatem Divina ultio in Oſium deſæviſſet, maximum hinc argumentum ſumere contra Arianos potuiſſet. Cùm ergo Athanaſius non ſolùm hoc non dicat, ſed ut ſupra dixi, Oſium poſt lapſum reſipuiſſe, & piè obiiſſe referat, calumnioſa contraria hiſtoria cenſenda eſt. Inveriſimile etiam eſt, quòd Clementinus Præſes, fortè Ethnicus, tantâ in ordinem Epiſcopalem reverentiâ afficeretur, ut etiam urgente Imperiali mandato Gregorium niſi priùs depoſitum in exilium mittere noluerit, cùm eâ tempeſtate Eccleſiarum Antiſtites nullo juris ordine ſervato à ſuis ſedibus pellerentur. Et magis inveriſimile eſt, quòd Oſius nullo præmiſſo Eccleſiaſtico judicio Gregorium deponere âggreſſus ſit. Nec ſuffragium Iſidori huic narrationi fidem augere poteſt: quia Liber ille veri Iſidori Hiſpalenſis fœtus non eſt, cùm S.Hildephonſus univerſa Opera Iſidori recenſens illius non meminerit, ſed alterius Iſidori, qui ex cænoſo Luciferianorum gurgite hoc expiſcatus fuit.

XX. Tantam Catholicæ Eccleſiæ & præcipuè Epiſcoporum ſtragem intulit tum fraudulenta Arianorum ars errorem variis vocabulorum tegminibus occultantium, cùm & maximè violenta Conſtantii tyrannis, cui ſæva voluntas pro lege erat. Quare in Con-

Concilio Mediolanenſi anno 354. ſub Liberio habito, Epiſcopis Orthodoxis, Urſacii & Valentis accuſationem contra Athanaſium non eſſe audiendam, conteſtantibus, Conſtantius reſpondit: *Ego ſum Athanaſii accuſator; meo nomine illis credite*. Et Legatis Apoſtolicis dicentibus, ſe non poſſe in Athanaſium ſubſcribere, & cum Hæreticis communionem inire, ait: *Quod ego volo, pro Canone ſit*. Quæ omnia Athanaſius ipſe in Epiſtola ad Solitarios recenſens, ait: Conſtantium induiſſe imaginem Antichriſti, *Quis enim*, inquit, *videns eum in decernendo facere ſe Principem Epiſcoporum, & præſidere judiciis Eccleſiaſticis, non meritò dicat, eum illam ipſam abominationis deſolationem eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Porrò an eadem repeteret Athanaſius de Principibus apud prætenſos Reformatos, qui & Judiciis Eccleſiaſticis præſunt, & non ſolùm quæ Cæſaris, ſed quæ Dei ſunt, pro arbitrio diſponunt, ut eorum voluntas pro canone ſit, æquo Lectori judicandum relinquo.

XXI. Hoc dico, quòd tanto furore Ariani, Conſtantio patrocinium eis præbente, perſecuti ſunt Orthodoxos, ut feritate ac barbarie paganos ipſos ſuperarint, hiſtoricis omnibus Socrate, Sozomeno, Theodorito & aliis fatentibus, ac nedum in Oriente, ſed & in Occidente maximè poſt Concilium Ariminenſe. Cùm enim Orthodoxi qui ibi erant Epiſcopi, petitâ quidem, ſed nondum obtentâ à Conſtantio licentiâ, diſſoluto Concilio ad ſuas Eccleſias rediiſſent, ratus ipſe, in ſui contemtum hoc feciſſe, Socrate referente L. 2. c. 37. *Urſacio & Valenti eorumque aſſeclis quidvis contra Eccleſias agendi liberam poteſtatem dedit. Expoſitionem autem fidei, quæ lecta fuerat Arimini, ad Eccleſias Italiæ mitti juſſit: mandans ut quicumque ſubſcribere ei nollent, pellerentur Eccleſiis, & in eorum locum alii ſubſtituerentur*. Tum, inquit Ruffinus L. 1. cap. 21., Eccleſiæ facies penitùs deſigurata eſt, quia non ab extraneis ut antea, ſed à propriis filiis lacerata, cùm & qui perſecutionem inferebant, & qui eam patiebantur utrique ex ipſa prodirent. Non erant ampliùs Idolorum altaria, non thurificationes, non ſacrificia, ubique tamen ruinæ & lapſus. Qui pro Eccleſia pugnabant, tormenta ut à tyrannis patiebantur, martyres erant; ſed martyrii gloriam Eccleſia non celebrabat, quin utriuſque jacturam, & ejus qui ſupplicia ſubibat, & ejus qui ea inferebat flere cogebatur.

XXII. Nec brevi, ſed diuturno tempore perduravit Eccleſiæ luctus. Nam dimiſſo Conſtantio, alii Principes ſeu veriùs tyranni fuere, qui ſub Chriſtiano nomine ejus viſcera lacerarunt. Experta id fuit à Gothis & Wandalis in Africa, in Hiſpania & alibi. Pluſquam octoginta annis lues iſta eam publicè devaſtavit: dein ali-

aliquantum ſopita,non tamen extincta,evigilavit. Nam ſub Theodoſio, Valentiniano, & aliis proximis Imperatoribus viguit, ſuaque templa publicè conceſſa habuit; Anno Domini 700. Longobardi eâ fuiſſe infecti feruntur. Et quod pejus eſt, poſt annos ab ejus ortu ultra mille & quadringentos à quibuſdam ex modernis Sectariis, qui ferè omnes hæreſes extumularunt, excitata revixit, & ipſo Danæo teſte adhuc vivit inter quoſdam nomine Blandratas, Servetanos, Davidicos, Sylvaniſtas: adde quoquè Socinianos, Deiſtas, quorum Secta modò viget.

§. V.

Arii & ſuorum errores rejecti.

I. PRimò errabat Arius, ut ex ejus Thalia indicavi, quia dicebat, unum eſſe verum propriéque dictum Deum, ſcilicet Patrem ſolum à ſe omni principio carentem, ſolum verum, ſolum immutabilem, ſolum æternum, qui Filium Unigenitum ante tempora genuit, & per quem ſecula genuit. Hunc tamen Filium non eſſe verum Deum ac de Patris ſubſtantia, ſeu Patri conſubſtantialem, ſed creaturam ſuper omnes perfectiſſimam, & maximè ad Deum accedentem, non tamen ei coæternam, ſed ex non extantibus factam, ac fuiſſe tempus quando non erat: nec per eſſentiam bonum, ſed in libero ejus arbitrio fuiſſe quamdiu vellet bonum permanere: Deum porrò cum præcognoſceret eum bonum futurum, hanc ei gloriam anticipando dediſſe, quam homo poſtea meritis eſſet aſſecuturus: & per ipſum velut per miniſtrum ſecula & omnia alia feciſſe; ideòque Deum participatione gratiæ, non naturâ, verbo tenus appellari. Hoc modo Chriſtum Filium Dei eſſe dicebat non naturâ & origine, ſed gratiâ & conſenſione voluntatis; addendo Filium non noſſe perfectè Patrem, imò nec ſe ipſum. Ita blaſphemabat Arius: ut mirum ſit, quòd totus Orbis diris ut impium non devoverit, ſed potiùs tot, tanto tempore, & adhuc ſuæ impietatis habeat ſectatores.

II. In hac impugnanda non diu immorabor. Tum quia in hoc ferè omnes Patres Græci & Latini ſtrenuè laborarunt, & omnia Concilia perpetuo anathemate eam confixerunt. Tum quia in Tract. Theol. de Trinit. Tom. 4. q. 1. in 1. p. Dub. 2. contra eam egi. Dicam tamen ad præſens primò: Joannes initio Evangelii *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* In principio ergo quo erat Deus, hoc eſt ab æterno jam erat (non dicit factum

erat)

erat) Verbum: & hoc Verbum erat, non purè in Deo, ſed apud Deum ut perſona diſtincta: & Deus erat Verbum, hoc eſt ejuſdem naturæ quâ Deus: & hoc in principio, non temporis, ſed originis erat apud Deum. Subditur: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*. Quod ſi ipſum Verbum à Deo factum eſt: ergo non omnia per ipſum facta ſunt, nec nihil eorum quæ facta ſunt ſinè illo eſt factum, cùm à Deo ipſum Verbum ſinè Verbo factum fuiſſe dicendum ſit, repugnat enim, aliquid facere ſe ipſum, aliàs eſſet quando non eſſet, hoc eſt antequam eſſet. Et hoc fuit Arii delirium totiès à Synodis exploſum, & ab Arianis de Verbo ac Filio Dei repetitum: *Erat quando non erat*.

III. Omnia ergo quæ facit Pater, facit & Filius, quia eadem Patris & Filii ſubſtantia & operatio eſt: ſed quia quidquid habet Filius habet per generationem à Patre, ideò & operari habet à Patre, ita ut virtus & operatio filii ſit eadem ac virtus & operatio Patris, accepta tamen à Patre. Ita Judæis eum interficere volentibus, quòd Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo: reſpondit Chriſtus Joann. 5. v. 19. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*. Quibus ſe æqualem in virtute cum Patre, licèt acceptâ à Patre, ſe eſſe demonſtrat.

IV. Porrò Chriſtum eſſe Filium Dei ac Deum naturâ, non gratiâ & adoptione demonſtrat Paulus Rom. 8. v. 32. ubi de Deo ait: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Si ergo proprius Filius hominis, per naturam homo eſſe debet, cur proprius Filius Dei per naturam Deus non erit ſicut Pater? Filius naturalis in natura diſſimilis Patri, monſtrum eſt: An ergo Deus pater gignendo filium ſibi in natura diſſimilem, monſtrum genuit? Nec dixerint, Deum Patrem Filium habere non naturâ genitum, ſed voluntate: nam tales filios plures facit Deus Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi dii eſtis & Filii excelſi omnes*: non unicum & proprium, quem teſte Paulo dedit nobis Deus. Hujus diverſitatem ab aliis demonſtrat idem Paulus ad Hebr. 1. v. 1. dicens: *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis. Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium? Et cùm iterum introducit pri-*

nogenitum in Orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi.... Et tu in principio terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt Cœli &c. Hæc & alia de Chriſto filio Dei à Patre miſſo dicit Paulus. Quid ergo ad hæc Ariani? An hæc filio Dei convenire poſſunt qui non ſit verus Deus, æqualis Patri ad dexteram ejus in throno majeſtatis ſedens, ſed purus ut ipſi dicunt Dei Patris miniſter?

V. Nec ſatisfaciunt dicentes, Filium Dei non eſſe quidem *Homouſion*, ideſt ejuſdem ſubſtantiæ, ſed *Homiuſion* ideſt ſimilis cum Patre ſubſtantiæ: nam dum dicunt, Filium Dei non eſſe ejuſdem ſed ſimilis ſubſtantiæ cum Patre, vel loquuntur de ſimilitudine in natura ſpecifica, ita ut natura Divina licèt in Patre & Filio eadem numero non ſit, ſit tamen eadem in ſpecie, ſicut in hominibus eadem in Patre & Filio natura eſt, non numero, ſed ſpecie. Si hoc dicant; ergo Pater & Filius in Divinis non ſunt unus Deus ſed duo Dii ſicut in humanis Pater & filius non ſunt unus homo, ſed duo homines: & ſic unitatem Dei evertunt Deitatem multiplicantes. Vel loquuntur (ut re verâ loquuntur) de ſimilitudine non in natura ſpecifica, ſed analoga, nempe quòd dicatur Dei Filius, quia majori abundantiâ donorum in creatione à Deo ditatus fuerit: & ſic titulo tantùm Deus dicatur. Et hoc modo nihil plus tribuunt Filio Dei quàm homini; nam etiam homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt Gen. 1. v. 25. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram... Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum.*

VI. Dicebant: Impoſſibile eſt, Deum Patrem incorporeum & inviſibilem de ſua ſubſtantia generare. Reſpondeo. Et tamen ipſe dixit Pſalmo 109. ſe genuiſſe: *Ex utero ante Luciferum genui te*. Ergo vel mentitus eſt Dominus Domino, Deus Pater Deo Filio, cùm ei dixit ſe genuiſſe eum, ſi verè non genuit, quia ſibi impoſſibile; vel mentiuntur, qui hoc tamquam impoſſibile negant. Ut autem veritatem generationis indicaret *Uteri* nomen aſſumſit: *Non quia corporeis compoſitus ſit membris, aut aliquibus artuum delineamentis diſtinctus: ſed quia nos aliter Divinæ generationis veritatem mentis auditu percipere non poſſemus, niſi humani uteri provocaremur exemplo: ut ambigi ultra non poſſet, de Dei ſubſtantia natum eſſe, quem conſtat de Patris utero proceſſiſſe*. Ita Vigilius Tapſenſis ad objectiones Arianorum. Deinde oſtendit, quòd Pater ſemper fuit Pater, ſemper generans, Filius ſemper Filius ſemper genitus, ſemper naſcens ſemper natus, ſemper à Patre procedens, nun-

nunquam indè diſcedens, nec cum non eſſet, ſed cum eſſet natus, concludit: *Et ubi, inquies, erat? In corde Patris, in utero Patris, in ſinu Patris, ideſt in occultis naturæ arcanis. Inde naſcendo proceſſit, non recedendo deceſſit* ,, Ego, *inquit*, ex ore Altiſſimi proceſſi. Ego, *inquit*, *de Domino* Patre exivi ,,. *Ecce habes naſcentis proceſſionem: audi non decedentis unde proceſſerat manſionem* ,, Ego, *inquit*, in Patre, & Pater in me ,,.

VII. Rursùs quia dicebant: Ingenitus eſt Pater, genitus Filius. Non autem fieri poteſt, unam eſſe ſubſtantiam geniti atque ingeniti; Reſpondet: *Si ſicut ingenitus eſt Pater, ingenitus eſſet & Filius, tunc magis diverſa poſſet eſſe ſubſtantia: quia unuſquiſque à ſe ipſo ſubſiſtens communionem ſubſtantiæ cum altero non haberet. Cùm verò ingenitus Pater de ſe ipſo, ideſt de eo quod ipſe eſt, ſi quid illud eſt, Filium generavit, apparet unam eſſe gignentis genitique naturam*. Quod in Adamo exponit, qui licèt ingenitus, naturam quam habebat genito filio communicavit.

Sed quia terrenæ nativitatis exemplis ineffabilis Filii Dei generatio adæquatè exponi nequit, ad Divina teſtimonia Vigilius recurrens ait: *Igitur Divinis eſt approbandum teſtimoniis, Patrem & Filium unius eſſe naturæ. De Deo certè Patre legimus, Joanne Apoſtolo conteſtante* ,, Deus, *inquit* (1. Joann. 1. v. 5.) lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ ,,. *Filius verò de ſe ipſo ait* (Joan. 8. v. 12.) Ego ſum lux. *Si igitur lux Pater, lux Filius, apparet unius eſſe ſubſtantiæ, dum lucis & lucis diverſa non poteſt eſſe natura, ejus ſcilicet, quæ de ſe gignit, & quæ de gignente exiſtit. Denique ne aliquam temerariâ præſumtione inter Patrem & Filium diverſitatem naturalis luminis introducat, paternæ lucis ſplendorem eſſe Filium Scriptura tradidit dicens* (Sap. 7. v. 26.) ,, Splendor eſt, *inquit*, lucis æternæ, & ſpeculum ſinè macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius ,,: *in quo evidentiùs & coæternus Patri, & inſeparabilis à Patre, & unius cum eo eſſe naturæ docetur. Omnis enim in hoc brevi verſiculo Catholicæ fidei profeſſio continetur, dum luci ſplendor ſemper eſt coæternus, dum ſplendor à lumine numquam eſt ſeparatus, dum ſplendor à luce naturâ & ſubſtantiâ numquam poteſt eſſe diverſus. Hoc eſt quod nos recto fidei tramite indiviſibilem, atque unius cum Patre ſubſtantiæ Filium profitemur*. His Vigilius Tapſenſis Arianos ita perſtringit, ut omnem evadendi viam eis præcludat.

VIII. Igitur ſtatuto quòd Filius ſit unius ſubſtantiæ cum Patre ſicut ſplendor cum luce, jam ruit Arii machina, Filium eſſe creaturam, de bono in malum arbitrio mutabilem, perfectè non noſſe Patrem; non naturâ ſed voluntate Filium dici. Nam ſi ejuſdem cum

Digitized by Google

cum Patre ſubſtantiæ eſt, æquè ac ille Deus eſt, eſſentialiter bonus imò ipſa bonitas, ipſa ſapientia, quâ ipſe Pater Deus, bonus, immutabilis, ſapiens & naturâ non voluntate Pater eſt. In Chriſto etiam debuiſſet Arius diſtinguere id quod Filii Dei, & id quod Filii hominis: id quod Divinitatis, & id quod infirmitatis erat. Hæc enim in ſe Chriſtus ipſe diſtinxit. Cùm enim dixit Joan. 16. v. 27. *à Deo exivi*. Joan. 14. v. 10. *Ego in Patre & Pater in me*. Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus*. Et Joan. 14. v. 9. *Qui videt me videt & Patrem*, ſe eſſe Filium Dei & eandem Patre habere Divinitatem manifeſtavit. Cùm verò Joan. 14. v. 28. dixit: *Vado ad Patrem, quia Pater major me eſt*. Jo. 5. v. 30. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me*. Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas ſed tua fiat*. Et Matth. 20. v. 23. *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre*, & alia ejuſmodi; ſe Filium eſſe hominis oſtendit; & ſecundùm hoc diverſam à Patre potentiam & voluntatem, quemadmodum & naturam, ſe habere. Hæc ſi Arius diſtinguere & non confundere voluiſſet, à tot blaſphemiis abſtinuiſſet.

IX. In duobus Scripturæ textibus ſe triumphare putabat Arius. Unum erat ex Proverb. 8. v.22. ubi Sapientia de ſe dicit: *Dominus creavit me in initio viarum ſuarum*. Ex quo inferebat, Sapientiam Patris ideſt Dei Filium non eſſe genitum ſed creatum. Alterum ex Joan. 17. v. 3. ubi Chriſtus ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*. Ergo ajebat ex ipſius Chriſti confeſſione ſolus Pater eſt verus Deus.

X. Sed prior textus ſuâ ſponte ruit: in Hebræo enim non legitur *creavit*, ſed *poſſedit*, vel *habuit me*. Sic etiam habet Vulgata: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum* &c. Vox autem *poſſedit me* in Scripturis idem ſonat ac *genuit*. Unde Gen. 4. v.1. Eva de Cain à ſe concepto & nato ait: *Poſſedi hominem per Deum*. Sumitur etiam pro eodem ac *habuit*. Et ita de ſe intellexit Chriſtus ipſe Jo.17. v.5. dum ait: *Clarifica me tu Pater claritate quam* habui *priuſquam mundus eſſet apud te*.

XI. Alter verò textus minùs Arium juvat. Dum enim Chriſtus dicit: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*, non excludit Filium & Spiritum Sanctum, quorum una & eadem cum Patre Deitas ſicut una natura eſt; ſed pluralitatem Deorum, qualem Pagani admittebant. Unde Epiphanius Hæreſ. 69. n. 32. Dei Filium ita eſſe locutum dicit: *Ne ſcilicet Deorum fingi turba poſſet, ne vitalis cognitionis divortium ullum fieret. Nam ſi Pater ſolus verus Deus eſt, verus eſt etiam ex Patre Filius ab eodem re verâ geni-*

Digitized by Google

genitus. Cùm enim Patri defert eumque ſolum verum Deum eſſe declarat, ſe ipſum quoquè verum à Patre genitum eſſe monſtravit. Quocirca verus Pater Deus eſt, verus Deus & Unigenitus Filius. Et hoc ipſa Chriſti verba demonſtrant. Ubi enim ait ad Patrem *Ut cognoſcant te ſolum Deum verum*, adjecit: *Et quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Unde S. Auguſt. Tract.105. ſuper Joann. *Ordo*, inquit, *verborum eſt*,, Ut te & quem miſiſti Jeſum Chriſtum cognoſcant ſolum verum Deum,, *conſequenter enim & Spiritus Sanctus intelligitur, quia Spiritus eſt Patris & Filii, tamquam caritas conſubſtantialis amborum*.

XII. Arius tamen his contradicet (& hic ſecundus ejus error eſt) qui ſicut Filium creaturam Patris eſſe dixit, ita Spiritum Sanctum creaturam Filii aſſeruit. Hoc errore laboravit etiam Macedonius contra quem inferiùs ſermo erit. Nunc contra Arium dicam: Quòd ſi, ut probatum eſt, Filius Dei, quia à Deo procedit, eſtque Verbum ipſius, verus Deus habendus eſt, ita & Spiritus Sanctus, quia à Patre & Filio procedit, ac utriuſque Spiritus eſt: ut ſic conſurgat perfecta Trinitas, nimirùm tres Perſonæ in Deitate ſubſiſtentes & unus Deus juxta illud 1. Joan. 5. v.7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt*. Unde cùm Dominus de vocatione Gentium loqueretur, intra unum Divinitatis nomen Patrem & Filium & Spiritum Sanctum prædicans: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Ubi *in nomine* dixit non *in nominibus*, ut in Trinitate Perſonarum unitatem eſſentiæ demonſtraret: & Joannes ſupra relatus ait & *hi tres unum ſunt*, non *unus ſunt*, ut cum unitate eſſentiæ pluralitatem perſonarum adversùs Sabellium oſtenderet.

XIII. Porrò quòd Spiritus Sanctus ſit Deus, non creatura aut ſervus Filii, contra Arium oſtendo. Nam ſicut omnia quæ facit Pater, facit & Filius, ita & Spiritus Sanctus facit. Hoc Victor Vitenſis L.3. de Perſ. Wandalica ex variis Scripturæ locis probat, deinde num.21. ſic diſcurrit: *Si de Patre procedit Spiritus Sanctus, ſi liberat, ſi Dominus eſt, & ſanctificat, ſi creat cum Patre & Filio & vivificat: ſi præſcientiam habet cum Patre & Filio, ſi ubique eſt & implet omnia, ſi habitat in electis, ſi arguit mundum & judicat, ſi bonus & rectus eſt, ſi de eo clamatur*,, Hæc dicit Spiritus Sanctus,, *ſi Prophetas conſtituit, ſi Apoſtolos mittit, ſi Epiſcopos præficit, ſi conſolator eſt, ſi cuncta diſpenſat ut vult, ſi abluit & juſtificat, ſi tentatores ſuos interficit, ſi is qui eum blaſphemaverit non habet remiſſionem neque in hoc ſeculo, neque in futuro, quod utique Deo proprium eſt: Hæc cùm ita ſint, cur de eo dubitatur, quòd Deus ſit,*

cùm

cùm eum operum magnitudo, quod eſt ipſe, manifeſtet? Non utique alienus eſt à Patris & Filii majeſtate, qui non eſt ab operum virtute alienus. Fruſtra illi nomen Divinitatis negatur, cujus poteſtas non poteſt abnegari. Fruſtra prohibeor Eum cum Patre & Filio venerari, quem exigor cum Patre & Filio confiteri. Hæc & alia pro Divinitate Spiritus Sancti Victor Vitenſis.

XIV. Vigilius etiam Tapſenſis L.12. de Trinitate in Arianos, qui Spiritum Sanctum Filii ſervum eſſe dicebant, aſſumit Paulum dicentem 2. Cor. 3. v.17. *Dominus verò Spiritus eſt, & ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et Rom. 8. v. 2. *Lex autem Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis.* Indè ſic eos redarguit: *Quomodo ergo auſi eſtis Spiritum Sanctum ſervum dicere, qui creaturam liberavit?* Et rursùs ex illo Roman. 8. v. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.* Ait: *Itaque nec ſervus nec creatus Spiritus Sanctus eſſe docetur. Sed vos & creatum & ſervum eum eſſe infamatis, cùm non ſolùm liber ſit, ſed & creaturæ libertatem largiatur, ſicut ſuperiùs probavimus. Et rurſum Paulus ſcribit* (1.Cor.12. v.4.) „ Diviſiones autem donorum ſunt, idem verò Spiritus „. *Et* (verſ. 11.) „ Omnia autem hæc operatur unus & idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult „. *Et Jeſus ait* „ Spiritus ubi vult ſpirat „. *Si autem facit quod vult, jam non eſt ſervus, ſed liber.* Ita Vigilius quæ ad præſens ſufficiant.

XV. Tertius Arii, ſeu Arianorum, error is erat, quòd dicerent, Verbum in Chriſto ſolam carnem aſſumſiſſe non animam. De hoc S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap. 49. ait: *In eo autem quòd Chriſtum ſinè anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitrantur, minùs noti ſunt. Nec adversùs eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuiſſe certatum. Sed hoc verum eſſe & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibuſdam ſcriptis & collocutionibus certiſſimè comperi.*

De facto autem S. Epiphanius Hæreſ.69. num.49. de Arianis, inquit: *At iſti negant animam illum aſſumſiſſe.* Quem errorem eis quoquè tribuit S. Thomas 3. p. q.5. art.3. eoſque etiam Apollinarem in hoc ſecutum fuiſſe dicit. Hanc tamen poſitionem ſubſiſtere non poſſe propter tria oſtendit; primò quia repugnat auctoritati Scripturæ, in qua Dominus de ſua anima facit mentionem Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem;* & Joan.10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Sed quia dicebant, verba hæc non propriè & literaliter, ſed tropicè & metaphoricè eſſe intelligenda, ſicut verba illa, quibus in Veteri Teſtamento anima Deo tribuitur Iſaiæ 1. *Calendas veſtras & Solemnitates veſtras odivit anima mea:* reſpondet cum S.Auguſt. L. 83. Quæſt. q.80., quòd aliud eſt

eſt quod propheticè nuntiatur in figuris, aliud quod hiſtoricè narratur. In Evangelio autem hiſtoricè narratur, quòd miratus eſt Jeſus, & iratus & contriſtatus, & quòd eſurit: quæ quidem ita demonſtrant, eum veram Animam habuiſſe, ſicut ex hoc quòd comedit, & dormivit, & fatigatus eſt, demonſtratur eum habuiſſe veram carnem. De Deo autem Patre, qui non eſt factus homo ſicut Filius, ſicut tropicè dicta ſumuntur ea quæ reſpiciunt corpus, ita & ea quæ animam humanam indicare videntur. Ita reſpondet etiam Epiphanius loco relato num. 50.

Secundò, præfatus error tollit utilitatem Incarnationis, quæ eſt liberatio hominis à peccato, quod in anima contrahitur. Unde S. Auguſtinus (ſeu Vigilius) Lib. contra Felicianum c. 13. apud S. Th. *Cur*, inquit, *acceptâ carne Filius Dei animam omiſit? aut innoxiam ſciens, medicinæ indigentem eſſe non credidit? aut à ſe alienam putans, redemtionis beneficio non donavit? aut inſanabilem judicans, curare nequivit, aut vilem & quæ nullis uſibus apta videretur, abjecit? Horum duo blaſphemiam important in Deum. Quomodò enim diceretur Omnipotens, ſi curare non potuit deſperatam? aut quomodò omnium Deus, ſi non ipſe fecit animam noſtram? Duobus autem aliis; in uno animæ cauſa neſcitur, in altero meritum non tenetur. Aut intelligere cauſam putandus eſt animæ, qui eam ad accipiendam legem habitu inſitæ rationis inſtructam, à peccato voluntariæ tranſgreſſionis nititur ſeparare? Aut quomodo ejus generoſitatem novit, qui ignobilitatis vitio dicit eſſe deſpectam? Si originem attendas, pretioſior eſt animæ ſubſtantia: ſi tranſgreſſionis culpam propter negligentiam, pejor eſt carne. Ego autem Chriſtum & perfectam Sapientiam dico & ſcio, & piiſſimum eſſe non dubito, quorum primò meliorem & prudentiæ capacem non deſpexit: ſecundò eam, quæ magìs fuerat vulnerata ſuſcepit*. Ita S. Thomas ex S. Auguſtino Arianos contundit.

Tertiò, dicit S. Thomas quòd *hæc poſitio eſt contra ipſam Incarnationis veritatem: caro enim & cæteræ partes hominis per animam ſpeciem ſortiuntur. Unde recedente animâ non eſt os, aut caro, niſi æquivocè, ut patet per Philoſophum in 2. de Anima, & 7. Metaphyſicorum*.

XVI. Sed cur dicitur Joan. 1. *Verbum caro factum eſt?* Reſpondet S. Th. ibi ad primum: *Quòd cum dicitur* „ Verbum caro factum eſt „ *caro ponitur pro toto homine, ac ſi diceretur* „ Verbum homo factum eſt „ : *ſicut & Iſaiæ* 40. „ Videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum eſt „. *Ideò autem totus homo per carnem ſignificatur, quia, ut dicitur in auctoritate inducta* (Jo. 1.) *per carnem Filius Dei viſibilis apparuit; unde ſubditur* „ Et vidimus glo-

Digitized by Google

gloriam ejus „. *Vel ideò, quia ut dicit Auguſtinus L. 83. Quæſt. q. 80. In tota illa unitate ſuſceptionis principale Verbum eſt, extrema autem atque ultima, caro. Volens itaque Evangeliſta commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum & carnem nominavit, omittens animam, quæ eſt Verbo inferior, carne præſtantior. Rationabile etiam fuit, ut nominaret carnem: quæ propter hoc quòd magis diſtat à Verbo, minùs aſſumtibilis videbatur.* Hæc S. Thomas. Conferri poſſunt quæ dixi Tom. 1. in 3. p. qu. 5. de Natura aſſumta Dub. 5. §. 1.

XVII. Quartò: Hymnum glorificationis pervertit Arius. Ubi enim Catholica Eccleſia canere conſuevit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; ipſe ſuos canere docuit: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: volens, in ipſis laudibus ſuum inſerere errorem, quo Filium Dei Patris miniſtrum aſſerens, ſignificaret gloriam non ipſi Filio deberi, ſed ſoli Patri per Filium.

XVIII. Quintò: Catholicos ab Arianis fuiſſe rebaptizatos ſcribit S. Auguſtinus L. de Hæreſ. Utrum autem etiam non Catholici rebaptizarentur ab eis, ſe neſcire dicit; ſuſpicari fortè quis poſſet, hoc Arianos feciſſe, quia formam Baptiſmi à Chriſto præſcriptam repudiarent, & loco ejus hanc in Baptiſmo (ut dicebam in Laude) uſurparent *In nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*. At hoc poſito, Ariani ad Catholicam fidem venientes, utpotè corruptâ formâ baptizati, rebaptizari debuiſſent. Quod tamen Epiphanius in Expoſit. Fidei Catholicæ ad calcem Panarii poſita num. 13. rejicit, quia præter Eccleſiæ conſuetudinem, dicens: *Alii qui audaciores ſunt, ex Catholicorum partibus privatâ ſibi factione conflatâ præter Eccleſiæ conſuetudinem ac citra Generalis Concilii Decretum, eos qui ab Arianis ad ſuas partes tranſeunt, iterum baptizare nihil verentur.* Rebaptizare ergo Arianos conſueviſſe crederem, quia Baptiſmum eſſe iterabilem putarent, eique ex opere operato vim ſalutis affixam. Sed jam Arianam hæreſim cum ejus auctore & ſequacibus apud inferos annuente Domino in æternum ſepultam dimittamus. Ejus brevem expoſitionem unà cum Catholica Athanaſii Confeſſione exhibet Vigilius Tapſenſis L. 11. de Trinitate.

CA-

CAPUT XLVI.

De Audæanis ſeu Anthropomorphitis.

§. I.

De Audæo, Danæi calumniis, & Anthropomorphitarum ortu.

I. AUDÆANI ſeu Audiani, ut eos appellat S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 50. ex Epiphanio Hæreſ. 70. qui eos Odianos etiam vocat, Audæum ſive Audium habuerunt auctorem. Fuit hic natione Syrus è Meſopotamia oriundus & Arii temporibus vicinus vixit. Audæanorum quippe nomen ſub Valentiniano Imperatore & Damaſo Pontifice circa annum 380. prius innotuit, ac primò quidem ſub nomine puri ſchiſmatis, quamvis poſtea falſis dogmatibus additis in hæreſim eruperet, ut dicam.

Audæus ergo ſeu Audius, ut refert Epiphanius num. 1., *Domi clarus in primis fuit propter & vitæ integritatem & Divinæ fidei zelum & ardorem. Qui cùm ſæpè nonnulla videret, quæ in Eccleſiis perperam geruntur, Epiſcopos ac Presbyteros coram increpare ac redarguere non verebatur, & identidem monere.... Velut ſi quem è Clericis pecuniarum plus æquo cupidum videret, Epiſcopum, aut Presbyterum, aut alium quempiam qui Eccleſiaſticis Ordinibus cenſentur, exprobrare non dubitabat: aut ſi quiſpiam luxu ac deliciis difflueret; ſive ullam Eccleſiaſtici dogmatis, ac diſciplinæ partem adulterando corrumperet, patienti nequaquam ferens animo, verbis, ut dixi caſtigabat. Quod quidem diſſolutioris vitæ hominibus moleſtum erat: unde maximas propterea contumelias ſuſtinuit, infeſtis omnium vocibus & odiis exagitatus.... Qui nihilominus iſta ſuſtinens, ſed ad veritatem perferendam acriùs intentus, ſtudebat interim ab Eccleſiæ Catholicæ conjunctione ac ſocietate minimè divelli. Verùm cùm ipſe cum ſuis vapularet, & indigna pateretur, his malis ingemiſcens, ex harum calamitatum & contumeliarum violentia conſilium cœpit. Quare ſe ipſum ab Eccleſia ſegregavit: atque ita pluribus cum illo deſciſcentibus, novum ab eo divortium conflatum.* His cauſam & originem ſchiſmatis Audæi deſcribit Epiphanius. Qui poſtea Audæum in ſchiſmate ab Epiſcopo ſuæ factionis in Epiſcopum fuiſſe ordinatum num. 2. refert.

II. Hæc quæ de Audæo narrat Epiphanius in ſuæ cauſæ pa-

trocinium trahens Lambertus Danæus cap. 50. de more extollit, & ait „ Nimia jam Epiſcoporum Chriſtianorum in ipſum gregem
„ Domini inſolentia, & in vivendi more & genere ſuperbia, lu-
„ xus, otium, pompa, opes, & lautitiæ, quibus vir ille, & me-
„ ritò quidem, ut Epiphanius ſcribit, offenſus ſæpè eos coram
„ acerbè increpavit. Quamobrem illis inviſus, & convitiis impe-
„ tebatur, & ut auſterior Prælatorumque Eccleſiæ calumniaba-
„ tur: tandem pugnis etiam ab iis cæſus, & vi ex ejus Eccleſiæ,
„ cui præerant tales Epiſcopi, cœtu ejectus, novum ſibi cœtum
„ colligere coactus eſt. Nec verò nimius ille Epiſcoporum fa-
„ ſtus, nimiæque divitiæ hunc ſolum, qui duræ illi ac monaſticæ
„ vitæ aſſuetus erat, offendit: ſed poſtea quoque Mahumetem
„ ipſum tam ſuperbas ſuo ſeculo Epiſcoporum (qui ſe Chriſtianos
„ appellabant) aulas cernentem, ita à Fide Chriſtiana avertit,
„ ut de nova religione, in qua paſtores ſimpliciori genere uteren-
„ tur, cogitarit, quemadmodum illius temporis hiſtorici ſcribunt.
„ Quid igitur ſi Romanæ Curiæ ſplendorem, ſi Cardinalium lu-
„ xum, qualis hodie eſt, vidiſſet? „ Ita impudentiſſimus iſte, ut ſuum ac ſuorum Pſeudo-Reformatorum ab Eccleſia Catholica ſeceſſum aliquo juſto titulo coloret, non ſolùm Audæi, ſed Mahumetis defenſam ſuſcipit.

III. Hâc arte ſuam ab Eccleſia ſeceſſionem tueri ac tegere conabantur olim Donatiſtæ, aſſerentes eam in ſuis Paſtoribus apoſtataſſe, & eorum pravis moribus fuiſſe corruptam, quos paſſim refellit S. Auguſtinus. Veriùs tamen in Mahumete, quàm in Audæo ſuæ ab Eccleſia ſeceſſionis ideam agnoſcere debuiſſet Danæus. Audæus enim impotenti ſeverioris diſciplinæ, quam in aliquibus Eccleſiaſticis laxatam videbat, zelo adactus, ab Eccleſia ſeceſſit, ac vitam ſeveram cælibem & aſperam tranſegit. At non ſic prætenſæ Reformationis parens Lutherus, & ejus quotquot fuere & modò ſunt gregales, contra quorumdam Eccleſiaſticorum mores oblatrare non deſinunt, & ideò ſe ab eorum cœtu receſſiſſe cum Audæanis dictitant. At tantum abeſt, ut ſeverioris reſtituendæ diſciplinæ causâ cum Audæanis id fecerint, quin potiùs cum Mahumete omni Eccleſiaſticâ diſciplinâ, & Canonibus eam præcipientibus contemtis, jejunia, cælibatum, & alias auſteritates à ſuis cœtibus perpetuò exulare fecerunt. Lutherus, qui in Monaſterio cælebs degebat, factus Reformator Monaſterium reliquit, & ne quid ſacrilegio deeſſet, Monialem à Deo abſtractam in uxorem duxit. Imò ut nec in hoc à Mahumete diſſentiret, viro, cujus exſaturandæ libidini una uxor ſatis non eſſet, aliam conceſſit, ut Philippo Lantgravio ex ſuorum Atheologorum conſulto conceſ-
ſiſſe

ſiſſe conſtat. Ita qui in oculis aliorum feſtucas vident & damnant, in oculis ſuis trabes habent & non vident.

IV. Omnes tamen præfati meritò ab Eccleſia Catholica damnati ſunt. Si enim in aliquibus corruptos mores intuebantur, in hoc eos certè non imitari debuiſſent, ſed cur ab eorum cœtu propterea reſilire? Numquid quod Presbyteri vel Epiſcopi malè faciebant, faciendum ab aliis proponebant? Etiam Scribæ & Phariſæi mores Legi parum conſonos gerebant: quia tamen ex cathedra Moyſis Legem docebant, non dixit Chriſtus Turbis, ut ab eorum conſortio recederent; ſed Matth. 23. v. 3. ait: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite, ſecundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Ita Chriſtus, qui à Patre miſſus fuerat ad omnium ſalutem. At Audæum, Lutherum & alios, ad corrigendos aliquorum de Eccleſia mores, quis miſerat? Audæus homo laicus, &, ut Danæus putat, ſimplex Monachus, Lutherus item homo clauſtralis ad reformandos Presbyteros Epiſcopos Eccleſiam totam, quem titulum præferebant? Zelus hic non fuit, ſed prætextus arrogantiæ plenus & phariſaicæ propago doctrinæ. Nam & illi animarum & corporum medicum accuſabant in Templo, dicentes Apoſtolis Marci 2. v. 16. *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* De talibus per Eſaiam 65. v. 5. dicit Dominus: *Qui dicunt mundus ſum, noli me tangere, iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die.*

V. Præſtat hìc audire Epiphanium, qui Hæreſ. 70. num. 15. quamvis de Audianis ſua ætate adhuc vigentibus dicat, quòd fides eorum eſſet integra moreſque caſtiſſimi, & plerique eorum arctiorem in Monaſteriis vitam colerent, & Audæus eorum auctor Gothorum plurimos ad Chriſtianam fidem convertiſſet: ex eo tamen quòd ab Eccleſia ſe ſeparaſſent, & rejecto Chriſtianorum nomine ſe Audianos vocari vellent, hoc ſolo nomine ut hæreticos habendos eſſe cenſet: *Eſt hoc verò*, inquit, *horrendum, Chriſtianorum commutare nomen, qui in Sancta Eccleſia cenſentur, quæ ſolâ Chriſti, & Chriſtianorum appellatione contenta adſcititium omne nomen reſpuit. Pro illo, inquam, nomine Audianos appellari, coitiones inter ſe facere, ac teſſeram meri hominis nomine inſcriptam exigere. Hæc inquam, minimè ferenda ſunt, quamvis alioquin integerrimus ſit hominum ille conventus, atque omni ſe probitate juſtitiáque venditet.* Si ergo Epiphanius Audianos vitam moreſque innoxios, ac ſeverioris diſciplinæ rigorem ſervantes hoc ſolo damnat quòd ſeparati ab Eccleſia coitiones facerent, & neglecto Chriſtianorum nomine Audianos ſe vocari vellent: quid diceret de noſtræ ætatis Proteſtantibus, qui omni vitæ auſteritate ac lege contemtâ in omni

omni laxitate ut ſibi placet viventes, & ſejuncti ab Eccleſia conventus ſuos non ſub Chriſtiano, ſed vel Lutherano, vel Calviniano nomine celebrant, ſe non jam Chriſtianos vel Catholicos ſed Lutheranos & Calvinianos eſſe glorianteſ? Non latet, aliquos ex iſtis modò ſe Lutheranos & Calviniſtas appellari erubeſcere, ſed Evangelicos ſe vocitare; At cùm Evangelium ſuo privato judicio accommodent, non Chriſti Evangelium ſequuntur, ſed ſuum, quod ſibi confingunt. Sed hos dimittamus.

VI. Redeundo igitur ad Audæum, de quo Epiphan. num. 14. hæc refert: *Cæterum idem ille ſenex Audius in Scythiam ab Imperatore relegatus eſt; quòd populos paſſim ab Eccleſiæ obſequio retraheret, cùm eo nomine ab Epiſcopis eſſet ad Imperatorem delatus. Cùmque in ea regione verſaretur (quot autem annis ibidem vixerit certò aſſeverare non poſſumus) in interiora Gothicæ penetrans, barbaros multos Chriſtianæ Religionis rudimentis inſtituit. Ex quo Monaſteria in Gothia nonnulla propagata ſunt, in quibus religioſa vivendi ratio & virginitas, arctiſſimaque diſciplina floruit.* Ita Epiphanius.

Deinde num. 15. proſequitur: *Poſt illius verò mortem ad eumdem illum cœtum adhæſere complures Epiſcopi: ſed in primis Uranius in Meſopotamia. Quin etiam ex ipſa Gothia ſibi aliquos adjunxit, & Epiſcopos conſtituit. Præter quos etiam Silvanus, & alii quidam extiterunt, è quibus nonnulli mortui ſunt, & inter alios Uranius qui ſe in illa turba præ cæteris efferebat.*

Verùm poſt Uranii ac Silvani in Gothia Epiſcopi mortem, pleriſque ab ea factione abſtractis, ad paucos illorum conventus redactus eſt, atque in Chalcide, quæ ad Antiochiam ſita eſt, & ad Euphratem reſedit. Nam è Gothia plerique pulſi ſunt unà cum aliis communionis noſtræ Chriſtianis: cùm ab Rege quodam Gentili ingens eſſet ac vehemens concitata perſecutio, quam Romanorum præſertim odio commoverat, quòd Romanos Imperatores Chriſtianos eſſe videret: unde Chriſtianum omne nomen illinc exterminari voluit. Verùm radix ſapientiæ, aut fidei ſatus non deficit. Et quamquam impulſi fugatique Chriſtiani omnes videantur, nonnulli tamen adhuc ſuperſunt. Neque enim fidei fons areſcere penitus poteſt. Quocirca multi ex Audianis Gothiâ ac Provinciis noſtris egreſſi, & ad Euphratis regiones illas profecti, quartum jam annum illic habitant. Ad hæc è Tauro monte ac Palæſtina & Arabia eorumdem Audianorum Monaſteria ſublata ſunt. Olim quippe magnoperè diffuſi propagatique fuerant. Hodie verò tam hominum, quàm Monaſteriorum pauciſſimo numero ſunt: adeò ut duobus dumtaxat in pagis domicilium habeant in ea quam dixi Provincia, hoc eſt exteriore Chalcidis limite ultra Damaſcum & Meſopotamiam, ubi ad hoc tempus perexigua illorum multitudo degit.

Ita

Ita Audianorum Secta referente Epiphanio paulatim extincta eſt. Veritas autem Catholica inter perſecutiones magis effulſit, effulget, ac ſemper effulgebit, & fortior ſtabit.

VII. Ex Audianis ortos fuiſſe Anthropomorphitas, cenſet S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 50. *Audianos, quos appellant (& Epiphanius ſchiſmaticos non hæreticos vult videri) alii vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum ſibi fingunt cogitatione carnali in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod ruſticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne dicantur hæretici.* Quibus S. Auguſtinus tuetur Epiphanium, quòd dixerit, Audianos ſeu Anthropomorphitas non fuiſſe hæreticos: hoc enim dixit; non quia exiſtimaret, Deum ſibi fingere corporeum hæreſim non eſſe: ſed quia cùm Audiani ab initio, vel qui ſuo tempore extabant, non ex pertinacia, ſed ex mera ruſticitate ac ſimplicitate id aſſererent, errabant quidem, & ideò Epiphanius eos redarguit, ſed ut hæretici habendi non erant.

VIII. Quare cum Baronio, & Petavio meritò dicit Natalis Alexandre in Hiſt. Seculi 4. cap. 6. art. 28. cavendos eſſe illos Scriptores, qui referunt, Epiphanium Anthropomorphitanæ doctrinæ initio adhæſiſſe, & à Theophilo errorem edoctum, eidem propterea faviſſe, atque Origenem damnaſſe. Fallunt enim aut falluntur Scriptores illi, dum Origeni plus æquo dediti, eam viro ſanctiſſimo calumniam aſpergunt, quam Catholicis Origeniſtæ vulgò imponere conſueverant, quòd nimirum ab illis Deus corporeus fingeretur. Nam ab omni hac invidiâ Epiphanium ſublevat S. Hieronymus Ep. 61. (modò 38.) ad Pammachium contra Jo. Jeroſolym. Ejuſdem cum laude meminere Theophilus Alexandrinus Epiſt. 67. inter Hieronymianas, Facundus Hermianenſis Lib. 4. cap. 2.; & ut dixi, & oſtendam, ipſemet ſe purgat dum Audianos de hoc errore reprehendit.

IX. Sub nomine Anthropomorphitarum ſeu Vadianorum Audiani prodierunt (ut ſcribit Prateolus) tempore Theodoſii Magni, qui cum Arcadio & Honorio tribus annis Imperium tenuit, & Siricii Romani Pontificis anno 395. in partibus Ægypti. Revixit hæc hæreſis ſub Henrico I. qui Auceps appellabatur, & Joanne XII. Rom. Antiſtite, qui Agapeto ſucceſſit anno 954. idque in Patavina Provincia, infelici tamen ſucceſſu. Nam Bracherius Veronenſis Epiſcopus vir doctus & pius, cæterique comprovinciales Epiſcopi eidem hæreſi forti animo occurrentes, eam tandem exterminarunt.

X. Lambertus Danæus, qui nil intactum, quo Catholicos feriat, omittit, ait. Ex hac hæreſi „ inducendarum in Chriſtiano-

rum

,, rum Templa Imaginum, poſt deinde cultus earum inſtituendi
,, primum fundamentum videtur eſſe ortum. Nam poſtquam
,, Deus ipſe ad hominis ſimilitudinem corporeus fingi cœpit, ta-
,, les Imagines honeſtæ quoque & piæ habitæ ſunt, tamquam per
,, eas Dei ipſius forma repræſentaretur. Poſt Dei Imaginem
,, Martyrum quoque & Apoſtolorum imagines induci cœptæ
,, ſunt & coli. Quem errorem uni maximè Monachi foverunt &
,, diſſeminarunt, ut apparet ex actis Nicænæ Synodi ſecundæ, ubi
,, pro Imaginibus & earum cultu acerrima moverunt illi certa-
,, mina ,,. Hæc Danæus pro Iconomachorum hæreſi tacitè pugnans; qui tamen non dicit, quòd poſt acrem diſcuſſionem in Nicæna II. Synodo de hoc habitam, Imaginum Sacrarum uſus & cultus, fuit à Synodo approbatus, & poſtea qui illum improbarunt ab univerſa Eccleſia Catholica hæretici habiti ſunt, & tales habentur Evangelici hodierni, qui in hoc Judæis potiùs & Mahumetanis adjungi malunt, quàm Eccleſiæ Chriſti. Sed de hoc egi in Vera Eccleſia Tom.2. p.2. art.16.

Solùm dicam ex Prateolo de Iconoclaſtis ,, Imagines Judæi
,, non ferunt, uti nec Zuingliani nec Calviniani, quemadmodum
,, Synagoga Genevæ loquitur nullam omninò habens Turcico
,, more ullius rei imaginem. Hæc Lindanus. Et Staphylus de
,, Lutheranorum inter ſe concordia. Iconoclaſtæ, inquit, ſunt,
,, qui Chriſti omniumque Sanctorum Imagines è Templis eji-
,, ciunt, ſuas autem & uxorum ſuarum effigies elegantiſſimè &
,, amatoriè depictas reponunt: ſicuti quondam fecit Simon Ma-
,, gus, & pellex ipſius Helena, ut Nicephorus teſtatur. Idem
,, noſtri Evangelici Prophetæ faciunt, ut exempla eorum teſtan-
,, tur. Hæc Staphylus ,,. Sed his omiſſis ad Audianorum & Anthropomorphitarum refutandos errores tranſeamus.

§. II.

Audianorum & Anthropomorphitarum errores rejecti.

I. PRæcipuus iſtorum error fuit, quòd de Deo ſicut de homine cogitabant, Deum eſſe corporeum & membra ad formam humani corporis habere effutientes. Movebantur ad hoc primò: Cùm enim ſcriptum ſit Geneſ. 1. v.26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſtatim illud ſubjicitur, Deum ſumto de terra pulvere hominem fabricaſſe. Cùm igitur hominem de terra formatum aſſerat, vides totum illud è terra conflatum veriſſimè hominem dici. Ita apud Epiphanium num. 2.

Secun-

Secundò, quia Scriptura manus oculos aures pedes Deo tribuit. Manus quidem Job. c. 10. v. 8. *Manus tuæ fecerunt me.* Iſaiæ 41. v. 20. *Manus Domini fecit hoc.* Et c. 61. v. 2. *Omnia hæc manus mea fecit.* Oculos & aures Pſalm. 9. v. 28. *Oculi Domini in pauperem reſpiciunt;* & Pſ. 33. v. 16. *Oculi Domini ſuper juſtos, & Aures ejus in preces eorum.* Pedes, Iſaiæ 66. v. 1. *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum Pedum meorum.* Gen. 3. v. 8. de Adam Eva, *Cum audiſſent vocem Domini Dei Deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem:* Deus ergo ut homo loquitur & deambulat.

Tertiò, quia talem exhibuit Iſaias quidem c. 6. v. 1. *Sedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum:* Daniel c. 7. v. 9. ubi Deum deſcribens: *Veſtimentum ejus*, inquit, *quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda, thronus ejus quaſi ignis* &c. Qui ergo ſedet, qui habet capillos capitis, veſtimenta, nunquid non habebit corpus?

II. Attamen Deus, ſi Deus eſt, nec corpus eſt, nec corpus habere poteſt; unde ſi ad ſimilitudinem Dei factus eſt homo, hoc ſecundùm corpus eſſe non poteſt. *Nam* (inquit Epiphanius Hær. 70. num. 5.) *qui fieri poteſt, ut quod aſpectabile eſt ei ſimile ſit quod videri non poteſt? aut corporeum corporis experti? aut quod contrectari poteſt ei quod apprehendi nequit? Præterea nos anteriora dumtaxat oculis noſtris cernimus, quæ ponè ſunt ignoramus. Penes Deum autem neque affectio ulla, neque defectus eſt: ſed undecumque lumen eſt, undecumque oculus, undecumque gloria. Spiritus enim Deus eſt, qui omnem Spiritum exuperat, & lux luce omni præſtantior.* His Epiphanius purgatur à nævo, ut ſupra, ei à quibuſdam impoſito, quòd aſſerentibus Deum corporeum eſſe aliquandiù conſenſerit.

III. Ulteriùs veritas hæc probatur, tum quia ſi Deus corporeus eſſet, & formam haberet humanam, figuram haberet, & ſic termino concluderetur: figura enim certis limitibus circumſcribitur: at Deus qui infinitus eſt nullo poteſt limite concludi, nec loco contineri: excelſior enim Cœlo eſt: *Magnitudinis ejus non eſt finis* (Pſal. 144. v. 3.) quòd ſi magnitudinis ejus non eſt finis; ergo nulla erit illius figura. Rursùs ſi corporeus eſt Deus, & membra habet ut homo: ergo non eſt totus ubique, ſed pars ejus in uno loco, & pars alia in alio; & ita erit per partes & loca diviſus. Præterea dici debebit, quòd ſit compoſitus, nec ea quæ in eo ſunt infinitæ ſint perfectionis: omnis enim pars minor eſt ſuo toto, nec manus eſt quod eſt oculus. Qualis ergo erit Deus? Sed de hoc alibi dictum eſt, nempè Tom. 2. in 1. p. Qu. 3. Dub. 1.

IV. Ad primum Anthropomorphitarum fundamentum ex dictis patet, hominem non eſſe factum ad ſimilitudinem Dei ſecun-

dùm corpus. In quo autem hæc Dei Imago in homine ſit, variè aliqui ſunt locuti. Quidam eam poſuerunt in virtute & innocentia vitæ: quidam in Baptiſmo. Sed utroſque rejicit Epiphanius n. 5. Nam ex primis ſequitur, hominem ſuâ virtute imaginem Dei ſibi acquirere & per peccatum delere,& proinde Adam poſt peccatum imaginem Dei perdidiſſe quod falſum eſt. Ex ſecundo pariter ſequitur, qui Baptiſmum non ſuſcepere non gerere in ſe imaginem Dei, & Infideles, imò Abraham, Iſaac, Prophetas, quia non baptizatos Dei imagine carere & caruiſſe. Quæ omnia abſurda ſunt.

V. Dicendum eſt ergo, hominem eſſe factum ad Imaginem & ſimilitudinem Dei, ſecundùm quam homo rationis compos eſt, & capax dominii ſuper alia animantia, ac proinde poſt illa verba *faciamus* &c. ſubdidit Deus Gen. 1. v. 26. *Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli & beſtiis, univerſæque terræ* &c. Homo autem ſinè anima horum capax non eſt, imò nec homo eſt. Unde non cùm de limo terræ Deus formavit corpus formavit hominem, ſed cùm corpori formato inſpiravit ſpiraculum vitæ. Tunc enim dicitur: *& factus eſt homo in animam viventem* Gen. 2. v. 7. Homo enim non ex corpore ſolo, ſed ex corpore & anima conſtare debet. Vide S. Thomam 1. p. q. 93. art. 6. Scio ab Epiphanio hoc non probari num. 4. cùm Deus animam in infinitum excedat. Verùm hoc evincit quidem, hominem ſecundùm animam non eſſe imaginem Dei univocam, ſic enim ſolus Dei Unigenitus Filius imago Dei eſt; ſed non analogam: *Non quia ipſe eſſentialiter ſit imago: ſed quia in eo Dei eſt imago impreſſa ſecundùm mentem, ſicut denarius dicitur imago Cæſaris, inquantum habet Cæſaris imaginem*. Ita S. Th. dicto art. 6. ad 1. Et art. 1. ejuſdem quæſt. 93. ad 2. *Primogenitus*, inquit, *omnis creaturæ eſt Imago Dei perfecta perfectè implens illud, cujus imago eſt. Homo verò & propter ſimilitudinem dicitur imago, & propter imperfectionem ſimilitudinis dicitur* ad imaginem. *Et quia ſimilitudo perfecta Dei non poteſt eſſe niſi in identitate naturæ, imago Dei eſt in Filio ſuo Primogenito, ſicut imago Regis in filio ſibi connaturali: in homine autem ſicut in aliena natura, ſicut imago Regis in nummo argenteo, ut patet per Auguſtinum L. de decem chordis cap.* 8. Ita S. Th. qui art. 6. in corp. addit: *Quod cùm in omnibus creaturis ſit aliqualis Dei ſimilitudo, in ſola creatura rationali invenitur ſimilitudo Dei per modum imaginis, ut ſupra dictum eſt, in aliis autem creaturis per modum veſtigii*. Plura de hoc apud S. Doctorem videri poſſunt.

VI. Alterum Anthropomorphitarum fundamentum procedit ex nimia eorum ſtoliditate, quâ literaliter intelligere volunt ea, quæ ſolum tropicè & metaphoricè ad captum noſtrum de Deo in Scri-

Digitized by Google

Scripturis dicuntur; ut enim docet S.Th. 1. p. q.3. art.1. ad 1. *Sacra Scriptura tradit nobis ſpiritualia & Divina ſub ſimilitudinibus corporalium: unde cùm trinam dimenſionem Deo attribuit, ſub ſimilitudine quantitatis corporeæ quantitatem virtualem ipſius deſignat: utpotè per profunditatem virtutem ad cognoſcendum occulta, per altitudinem excellentiam virtutis ſuper omnia, per longitudinem durationem ſui eſſe, per latitudinem affectum dilectionis ad omnia.* Unde ait ad 3. *Oculus de Deo dictus ſignificat virtutem ejus ad videndum modo intelligibili, non ſenſibili. Sicut*, inquit ad 4. *dicitur ſedens propter ſuam immobilitatem & auctoritatem, & ſtans propter ſuam fortitudinem ad debellandum omne quod adverſatur. Ad Deum* (ait ad 5.) *non acceditur paſſibus corporalibus, cùm ubique ſit, ſed affectibus mentis, & eodem modo ab eo receditur.* Sic deambulaſſe ad auram dicitur commiſerans Adami lapſum & Evæ; vox autem Domini quam audierunt fuit conſcientiæ vox eos de tranſgreſſione arguentis. Sed in his tempus terere non vacat. A Prophetis autem viſus fuiſſe dicitur, non in ſe, ſed in aliqua ſimilitudine, ut ipſi placuit.

VII. Secundò errabant Audiani, quia Paſcha cum Judæis, hoc eſt tempore quo Judæi Azyma ſua peragunt celebrare volebant. Ita refert Epiphanius num. 9. Cùm verò eis objiciebatur hoc eſſe contra Decretum Nicæni Concilii, reſpondebant aliqui: *A Conſtantini temporibus, ut Imperatoris rationem haberetis, paternam in celebrando Paſchate conſuetudinem reliquiſtis, diemque commutaſtis, ut vos ad Imperatoris nutum accommodaretis. Quidam etiam pervicaciùs definiunt, & cùm natalis inquiunt Conſtantini celebraretur, Paſchatis rationem immutaſtis. Verùm* (ait Epiphanius) *ſi eâdem quotannis die Paſcha repræſentaretur, in eaque celebrandum eſſe ſtatuiſſet illa Synodus à Conſtantino collecta, probabilis iſtorum eſſet oratio. Nunc cùm annis ſingulis non eadem temporum ſeries putatioque reſpondeat, inanis eſt iſta ratio. Non enim ob natalem ſuum, ſed ad Eccleſiam conciliandam ei rei ſtudium Imperator adhibuit.* Quia verò ſuam ſententiam Apoſtolicis Conſtitutionibus conſonam eſſe jactitabant, oſtendit Epiphanius num.10., quòd Liber ille etſi dubiæ ſit, auctoritatis, eis tamen non ſuffragatur. Sed de hac controverſia ſupra Cap.25. de Quartodecimanis ſatis egi.

VIII. Tertiò. Qui Theodoriti temporibus ſupererant Audiani, ſe remiſſionem peccatorum dare jactitabant. Duas enim in partes Libros ſacros & adulterinos dividentes, & ordine hinc indè collocantes, inter hos jubebant unumquemque tranſire, & peccata ſua confiteri: deinde confeſſis dabant veniam, tempus ad pœnitentiam ſecundùm Eccleſiæ Leges non præſcribentes, ſed poteſtate

condonantes. Cùm autem ſcirent qui ſic tranſibant, ludum eſſe quod agebatur, vera graviaque peccata celabant. Ita refert Theodoritus Lib.4. Hær. Fab. cap.10. Hic error irridendus potiùs eſt, quàm confutandus.

IX. Quartò. Tenebras ignem & aquam æterna & ingenita eſſe Audæum dixiſſe, ibidem Theodoritus refert: ſed ex vago rumore hoc ſe accepiſſe ſignificat. Hoc ſi verum eſt, ex Manichæorum lacuna Audæum expiſcatum fuiſſe dici debebit; de quibus ſupra.

X. Quintò. Eſtò (ut dicit Epiphanius num. 2.) de Trinitate, nempè de Patre, Filio, & Spiritu Sancto benè ſentirent: cùm tamen Deum ſibi fingerent corporeum, difficile creditu eſt, quòd tantum Myſterium ut Fides Catholica docet, & abſque errore explicare poſſent. Vel enim unum corpus cum triplici appellatione ponebant, & ſic cum Sabellio errabant; vel tria eſſe corpora aſſerebant, & hoc poſito, quomodo Conſubſtantialitatem in eis tueri poſſent, fateor me ignorare.

XI. Sextum errorem Danæus illis affingit, quem ipſiusmet verbis placet deſcribere. De Audianis ergo ait „ Propter hominum vitia cœtum Orthodoxæ Eccleſiæ deſerunt. Quod Donatiſtarum erroris fuit poſtea ſeminarium. Quamquam enim Epiſcoporum, inter quos ſana tamen manebat adhuc Chriſti Evangeliique doctrina, vitia luxus & faſtus damnandi erant: & fœnora Chriſtianorum, & concubinatus cælibum deteſtandus (propter quæ crimina primùm, & meritò invectus eſt in ſui ſeculi Eccleſias Audæus) cœtus tamen ipſe piorum, ubi retinebatur adhuc orthodoxa veritas, non fuit ſcindendus „. Si ergo juxta Danæum error eſt propter vitia, luxum, faſtum Epiſcoporum ab Orthodoxa ſe ſeparare; quomodo Lutherus ceterique poſt ipſum Sectarii titulo reformandæ Eccleſiæ Orthodoxæ ab ea ſeceſſerunt, & adhuc ab ea extorres perſiſtunt?

Dicet, ſe ſeparaſſe, non propter defectum Orthodoxorum in moribus, ſed propter defectum etiam à Fide Catholica, quem in ea obſervarunt. At ſuorum ſcripta à Luthero uſque ad præſens, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ mores ac diſciplinam maledictis continuò impetentia, contrarium evincunt. Scio, titulo reformandæ etiam doctrinæ, quam jactabant in Papatu corruptam, ſuam ſeceſſionem munire ſolitos eſſe. Sed doctrinam verè corruptam non eſſe eam quam ex Patribus acceptam Romana Eccleſia profitetur; benè quidem eam quam in ſuos cœtus ipſi invexerunt, & ut hæreticam ab Eccleſia antiqua damnatam, ſatìs oſtendi in Vera Eccleſia; & demonſtrant Libri, qui ex eorum ſchola, maximè Socinianorum,

Digitized by Google

norum & Deiſtarum in dies prodeunt, in quibus præcipua Chriſtianæ & Evangelicæ Religionis myſteria funditùs everſa cum horrore leguntur: adeò ut de ipſis, quod Danæus de Audianis, concludi meritò poſſit „ Quòd non tantùm contra veterem Eccleſiæ „ diſciplinam agant, ſed ipſa Dei dona ſanctiſſima, & ſacratiſſi- „ ma profanant. Atque ex his apparet, ut abyſſus abyſſum im- „ pellat, & qui primùm leviter peccare videbantur, dum carita- „ tis Chriſtianæ normam non ſequuntur, graviter & in pluribus „ quidem impegerint, fideique naufragium fecerint „. Hæc quæ Danæus de Audianis dicit, an in ipſum ac ſuos retorqueri poſſint, pius Lector judicet.

CAPUT XLVII.

De Semiarianis, & Acacianis, ac voce Homouſion.

§. I.

Qui & à quo fuerint.

I. ARIANA Secta progreſſu temporis in tres factiones diviſa eſt. Prima fuit eorum, qui primigeniam Arii blaſphemiam rigorosè propugnabant, quam poſtea Aetius, & Eunomius amplexi novis erroribus auxerunt. Hi in Conciliabulo Antiocheno anno 360. coacto formulam fidei conſcripſerunt, in qua Filium Dei Patri per omnia diſſimilem declararunt. Quibus inter cæteros ſubſcripſit etiam Acacius Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus, teſte Sozomeno L.4. c.12., quamvis tunc propriam factionem nondum manifeſtaret, nec Arianas blaſphemias palam propugnaret, Semiarianis potiùs communicans. De eo enim Epiphanius Hæreſ. 73. num. 23. *Acacius*, inquit, *cum ſuis neque Conſubſtantialem fatebatur eſſe Filium, neque creaturam ex cæterarum ordine ac numero. Et quamvis eadem cum aliis ſentirent, ſuam tamen opinionem diſſimulabant, ac tempori ſervientes, creaturæ nomen ſilentio præteribant, cùm interim nihil ab Arianis diſſiderent.*

II. Altera factio Semiarianorum fuit, qui vocem *Homouſion* rejiciebant, & Filium Patri minime Conſubſtantialem eſſe, ſed per omnia ſimilem, adeoque *Cat' Uſian* dicebant, & *Homeiuſion*, quod editis fidei formulis (ſeu anathematiſmis) in Ancyrana Synodo anno 358., quas refert S. Hilarius Lib. de Synodis, declararunt. Horum quartus ſic conceptus erat: *Si quis audiens hoc: Quomodo Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſe-*

ſemetipſo, ſimilem non dicat etiam Filium Patri juxta eſſentiam, anathema ſit. Septimus: *Si quis Patrem & Filium credere ſe promittens, Patrem diſſimilis eſſentiæ dicat, ſed ſimilis efficaciæ, quaſi profanas & novas voces contra eſſentiam Filii loquens, & interimens verum Filium Dei eſſe, anathema ſit*. Alios inſuper ediderunt, quibus anathematizant eos qui non in Eſſentia, ſed ſolâ poteſtate ſimilem Patri, qui Patrem tempore anteriorem, Filium juniorem dicunt, quos & alios refert Epiphanius Hæreſ. 73. n. 11. At in ultimo apertè damnant eum qui dixerit, Filium Homouſion eſſe Patri his verbis: *Si quis Patrem poteſtate ſimul & ſubſtantiâ Filii Patrem aſſerens, Conſubſtantialem, vel ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ Filium eſſe dicat, anathema ſit*. Semiariani ergo Filium Patri in Eſſentia quidem ſimilem eſſe fatebantur, ſed Conſubſtantialem & ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre negabant. Hos anathematiſmos ad Conſtantium Sirmii tunc agentem miſerunt, quos cum accepiſſet, ſecundam formulam Sirmienſem ſolemni edicto reprobavit.

Hujus Sectæ principes fuere Baſilius Ancyranus, Georgius Laodicæus; qui ab Arianis ſe ſeparantes Filium Dei ſpecie tenùs creaturam eſſe negabant, re verâ tamen creaturam ſe corde retinentes Patri ſimilem & Homiuſion dicebant, ſed ejuſdem ſubſtantiæ cum illo eſſe refragabantur. De Spiritu Sancto verò eadem cum puris Arianis ſentiebant. Ita Epiphanius Hæreſ. 73. num. 1. his verbis: *Neque verò tergiverſando, aut hæſitando quemadmodum in Filio; quem cùm abſolutè creaturam pronuntiare non audeant, etſi id omninò ſentiant, nihilominus hominum exiſtimationem veriti vocem illam* Homiuſion *obtrudunt, & creaturam ab cæterarum conditione diverſam eſſe definiunt: cùm de Spiritu Sancto, inquam, agitur, non timidè ac diffidenter, ſed rabidorum canum more toto impetu feruntur, & Creaturam eſſe ſinè ulla cunctatione docent, & à Patre ac Filio abalienare conantur*. Hæc Epiphanius, qui in teſtimonium affert per extenſum Baſilii, & Georgii Epiſtolas in Pſeudo-Synodo Ancyrana exaratas.

III. Tertia Arianicæ Sectæ factio fuit Acacianorum, quæ auctorem habuit Acacium in Epiſcopatu Cæſarienſi Euſebio Pamphili ſucceſſorem. Monoculus ſeu cocles fuiſſe fertur: ſic qui veræ fidei lumen amiſerat, æquum erat, ut & lumine diminutus eſſet etiam in corpore. Propterea ſimulans aliquandiu inceſſit, nec uni nec alteri parti ſe adjungere exteriùs demonſtrans: Tandem odio in Cyrillum Jeroſolymitanum percitus ob Metropoliticæ dignitatis jura, quam in Cæſarienſi Præſule non ſatis revereri Cyrillus videbatur, Nicæno fretus Canone, quo ſingularis Jeroſolymitanæ Sedi prærogativa conceſſa fuerat, venenum quod corde reti-

Digitized by Google

retinebat Acacius effudit. Propterea in Pſeudo-Synodo Conſtantinopolitana, ut refert Sozomenus L.4. c.24. & 25., Cyrillum cum aliis depoſuerunt. Sed priùs in ejuſdem furfuris Synodo Seleuciæ congregata, de qua idem Sozomenus cap. 21., Acacius cum ſuis ſtatuit *Homœouſion* & *Homæuſion* tamquam voces à Scripturis alienas, & quæ multos turbarent, rejici oportere, *Anomæon* verò eſſe condemnandum, & ſimilem Patri Filium confitendum. Quibus nec Filium Conſubſtantialem Patri, ut prædicabant Catholici: non alienum & diſſimilem ut Ariani, & Eunomiani, non ſimilem in ſubſtantia ut Semiariani, ſed alio modo, puta in accidentibus & figura ſimilem, ut ſtatim dicam ex Epiphanio, aſſerebant.

IV. Sic ergo Epiphanius Hæreſ. 73. num. 23. & 24. *Seleuciæ*, inquit, *quæ aſpera dicitur, in Iſauria Conſtantii Imperatoris juſſu congregati aliam fidei formulam proponunt, non qualem Patres olim in Nicæna Synodo orthodoxam ac præclaram inſtituerant: ſed callidè ac fictè, ſimulatâ tamen ſimplicitate, hunc in modum conſcripſerunt:* „ Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem &c. & in Filium Dei &c. „ *ſimpliciter, ac nihil vehementiùs elocuti. Poſtea verò totam ut fabulam agerent, addiderunt* „ Conſubſtantiale rejicimus, tamquam à Sacris Literis alienum. Iſtud verò damnamus Diſſimilem eſſe Patri Filium „. *Atque hæc demum erat callidiſſimorum venatorum illecebra. Sic enim inter ſe muſſitabant, ac docebant: Creatura quidem eſt Dei Filius, ſed ſimilis Patri, eo videlicet ſenſu, qui omnium hominum uſu ac conſuetudine familiaris eſt. Etenim plaſtæ ſtatuas effingunt, ac ſimulacra ex auro, argento, aliáve materiâ, aut coloribus in ligno exprimunt, quæ ſimilitudinem habent illa quidem, exemplaribus verò ſuis nullo modo ſunt æqualia. Sic ab illis callidè quidem excogitatum eſt hujuſmodi, ut Filium Patri ſimilem faterentur, licèt nihil in ipſo paternæ Divinitatis ineſſet. Hæc illorum Decreta nonnulli qui cum ipſis erant, partim propter temporis calamitatem approbarunt; & verò magna ex parte conſcii ac fautores erant: quidam tamen inſcii & imprudentes abrepti ſunt, ut paulò poſt apparuit.* Hactenus Epiphanius.

V. Et quidem ſi quis Fidei expoſitionem ab Acacio cum ſuis in Seleucienſi Conciliabulo editam (quam integram idem Epiphanius num.25. ſubjicit) inſcius fraudis in ea latentis ſecundùm verba ſpectaſſet, eam ut Catholicam approbaſſet. In ea enim ita de Filio Dei loquebantur: *Credimus etiam in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei ab ipſo genitum citra paſſionem ullam ante omnia ſecula, Deum Verbum, Deum de Deo, unigenitum, lucem, vitam, veritatem, ſapientiam, virtutem, per quem omnia facta ſunt, quæ in Cælis, quæ in terra ſunt, ſive viſibilia ſive inviſibilia.* Quis

hæc

hæc legens ut Catholicæ fidei Nicænæ conſona non ſtatim approbaret? cùm tamen in ſenſu Acacianorum ſecundùm ſimilitudinem & figuram latenter acciperentur. Hinc factum fuiſſe putarim, quòd, ut refert Prateolus V. *Acacius*, ab aliquibus an fuerit re verâ hæreticus, dubitatum olim fuerit. Cùm tamen à Felice & Gelaſio Romanis Pontificibus Acacius tamquam hæreticus & in hæreſi mortuus poſt mortem excommunicatus fuerit, de hoc dubitandum non eſt.

§. II.

Semiarianorum & Acacianorum errores rejecti.

I. IN referendis & refutandis iſtorum erroribus parùm immorabor. In quo enim erraverint §. præcedente explicatum eſt, & errores eorum ab erroribus Arianorum parùm diſtantes eiſdem quibus illi ferè argumentis profligantur.

Dum enim Semiariani ponebant Filium Dei non eſſe extraneæ naturæ, ſed ſimilis cum Patre, & negabant, eum eſſe Conſubſtantialem & ejuſdem ſubſtantiæ cum illo: vel volebant Filium eſſe ſimilem in ſubſtantia cum Patre ſimilitudine univocâ & ſpecificâ ſicut in humanis filius ſimilis eſt Patri, quia licèt non habeat eandem numero naturam quam Pater, habet tamen eandem ſpecie, cum uterque ſit homo: Vel volebant Filium Dei eſſe ſimilem in ſubſtantia Patri, non quia naturâ ſubſtantiam Patris ac Divinitatem haberet, ſed tantùm voluntate Patris, qui eam illi participaverit, & ſic Divinitatem habuerit non per naturam ut Pater, ſed per gratiam Patris.

Si primum dicebant: Ergo ſicut Pater & filius in humanis, quia non habent eandem naturam numero, ſed ſolùm ſpecie, ſunt duo homines, non unus homo: ita Pater & Filius in Divinis erunt duo Dii, non unus Deus: & conſequenter Natura Divina fiet numero multiplicabilis, ſicut natura humana; quod eſt contra eſſentiam veri Dei, qui unus omninò eſt, aliàs Deus non eſt: unde plures Deos ponere idem eſt ac nullum Deum ponere. Hunc errorem prævenit Chriſtus cum ait Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus*. Dicendo enim *Unum* docuit ſe unitate Eſſentiæ unum eſſe cum Patre contra Arianos: dicendo *ſumus* docuit ſe diſtinctum eſſe à Patre in Perſona contra Sabellianos. Et eâdem ratione Filius eſt quidem *alius* à Patre non tamen *aliud*; quia ut docet S. Thomas 1. p. q. 31. art. 2. ad 4. *Neutrum genus eſt informe, maſculinum autem eſt formatum, & ſimiliter femininum. Et ideò convenienter per neutrum genus ſignificatur Eſſentia communis, per maſculinum*

Digitized by Google

linum autem & femininum aliquod ſuppoſitum determinatum in communi natura. Unde etiam in rebus humanis, ſi quæratur: Quis eſt iſte? Reſpondetur, Sortes, quod nomen eſt ſuppoſiti. Si autem quæratur: Quid eſt iſte? Reſpondetur, animal rationale & mortale. Et ideò quia in Divinis diſtinctio eſt ſecundùm perſonas, non autem ſecundùm eſſentiam, dicitur, quòd Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud, & è converſo dicimus, quòd ſunt unum, ſed non unus.

II. Quòd ſi (uti re verâ ponebant dum conſubſtantialem Patri Filium eſſe negabant) dicant, Filium eſſe ſimilem in ſubſtantia cum Patre, non naturâ ſed voluntate, contra eos ſic arguam. Ergo Filium non per omnia ſimilem Patri in ſubſtantia dicitis: nam Pater ſubſtantiam Dei habet naturâ & à ſe: Filius autem habet eam ex voluntate Patris, cui placuit eam Filio impertiri. Hoc loquendi modo vobis contradicitis, dum ex una parte Filium in omnibus Patri ſimilem aſſerere fatemini, ex alia Filium Dei creaturam eſſe negatis, & tamen creaturam eſſe, dum non naturâ ſed voluntate Filium dicitis. Quomodo poteſtis Filium Deo Patri in voluntate & operatione ſimilem pronuntiare, niſi eum dicatis, eâdem quâ Pater ſubſtantiâ & eſſentiâ potiri, ac in eadem ſubſiſtere, cùm nemo poſſit Dei voluntatem & operationem habere, niſi eſſentiam Dei habeat & naturam? Dicam ergo cum Epiphanio num. 22. *Si ex animi veſtri ſententia ſimilem in omnibus eſſe Patri Filium ſtatuatis, damnate illos anathemate, qui ſimilitudinis diſcrimen agnoſcunt: atque ita ſcribitote: Si quis non in omnibus ſimilem eſſe Patri dixerit, quemadmodum Patri ſimilis eſt Filius: ſed voluntate ſimilem, ſubſtantiâ diſſimilem eſſe dixerit, anathema ſit.* Præterea: *Si Subſtantiæ nomen commemorare contra aliquos veſtrum vultis, non voluntate modò, ſed & quoad eſſe ipſum attinet ac ſubſiſtentiam & exiſtentiam, atque in omnibus ſimilem eſſe Patri Filium* aſſerite, *quemadmodum ſimilis eſt Patri Filius, uti Sacræ Literæ teſtantur.*

III. Idem Acacianis dicam, qui verbo tenùs Filium creaturam eſſe negantes eum Patris Imaginem aſſerebant. Sed dum illum ex dictis imaginem Patris eſſe muſſitabant eo modo quo ſtatua vel pictura imago eſt ejus quem repræſentat, nihil niſi umbratile Filio tribuebant, & minùs quàm rationalibus creaturis, quæ ad imaginem Dei eſſe dicuntur, non ſolùm quia Deum velut ſtatua repræſentant, ſed quia ulteriùs Dei operationes ſuo modo participant, ac imitantur. Quamquam nec iſti quoquè inter ſe conſtantes fuere, ſed veluti naves polari ſidere amiſſo, omni vento huc illucque circumferebantur, ac mutatis fidei confeſſionibus, de errore in errorem prolabentes veritatis portum numquam aſſe-

 que-

quebantur. Sic Babelicæ Turris ædificatores imitati eâdem quâ illi pœna diſperſi ſunt. Cùm enim de Trinitatis fide univerſa Eccleſia eſſet labii unius & ſermonum eorumdem, venerunt Ariani & dixerunt: *Faciamus turrim cujus culmen pertingat ad Cœlum & celebremus nomen noſtrum*. At Deus unitatis ac veritatis fidei ſuæ defenſor: *Deſcendamus*, inquit, *& confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui* (Geneſ. 11.) Ita Arianos & univerſas hæreſes diſperſit ac diſperdet Deus.

IV. Sed priuſquam Babelicos iſtos architectos in confuſionem dimittam, ſuſtine Lector, ut eos ex Epiphanio Hæreſ. 73. n. 36. ita conveniam: *Dicite igitur, obſecro vos, quid tantoperè moleſtum vobis eſt ac grave Filium Patri* Conſubſtantialem *aſſerere? Velim hoc mihi ingenuè apertèque fateamini, ut vos non alienos à nobis, ſed germanos eſſe cognoſcamus. Poteſt enim & æs auro, & argento ſtannum, & ferro plumbum ſimilis eſſe ſubſtantiæ. Sed nos veſtra illa perperam excogitata & fraudulenter conficta commenta non fallent. Nam ſi, ut in errorem aliquos impellatis, inanes ſpecies commentitiaſque quæritis, & Conſubſtantialem propterea vocari non oportere defenditis, ne Filium cum Patre & Spiritum Sanctum cum utroque confundamus, ne hac quidem in parte poſſunt mendacia veſtra conſiſtere. Non enim* ſimul ſubſtantialem, *ſed* Conſubſtantialem *dicimus: ne aliquid diverſum à Patre profiteamur, ſed Deum ex Deo verè genitum, non aliundè, nec ex nihilo, ſed à Patre ſine tempore & initio, & inexplicabili quâdam ratione productum ac genitum, qui ſemper cum Patre fuerit, nec eſſe quandoque deſinat. Genitum porrò, non germanum fratrem, non avum. Nam hæc particula* Con *hypoſtaſes duas, nec alienas naturâ ſignificat. Unde & veritatis velut nexus ac vinculum non ſinè Sancti Spiritus afflatu, per illorum ora, qui primi authores fuerunt, eſt in ea voce conſtitutum. Vides igitur, nullum jam tibi colorem aut ſpeciem eſſe reliquam: neque adversùs orthodoxam fidem meritò poſſe contendere, vel eos perturbare, qui falſum illud tuum à te decretum, ac ſermonem acceperint*,, Si quis Conſubſtantiale uſurpare velit, confuſionem quamdam in Divitate confiteri,,. *Neque enim ampliùs iſtud objicere potes. Quippe* Conſubſtantialis *illa vox duos quoſdam ſignificat, eademque haud alienam à Patre ſobolem eſſe demonſtrat.*

Tu verò Homoeuſion, *hoc eſt ſubſtantiâ ſimile, commentus, primùm ipſo* Uſiæ, *hoc eſt ſubſtantiæ vocabulo refelleris. Deinde tua te illa diſcrepans, nec conſentanea profeſſio condemnat, cùm non ea dicas quæ ſentias; ſed quæ ſentis falsò ac mendaciter doceas. Etenim ſi ab ipſo Patre non eſt omninò Filius, ſed nihilominus ſimilis eſt, à veritate plurimùm aberras. Nam quacumque demum ex materia quilibet ex-* *preſ-*

preſſum alicujus ſimulacrum ornare voluerit, numquam illud cum exemplari ipſo adæquare poterit. Eſt enim ſtructuræ atque affectionis opus illud. Quod autem ab aliquo gignitur, idipſum ad id unde gignitur germanitatis ſimilem & æqualem formam retinet. Quamobrem ſi ab ipſo Patre non eſt genitus, & extra ipſum eſt, licèt ſimilitudinem quamdam ſubſtantiæ, velut gratificando tribuas, nihil ipſi largiris, ſed ab ejus excidiſti gratia „ Qui enim non honorat Filium ſicut honorat Patrem, ira Dei manet in ipſum „ (Joan. 5. v. 23. & c. 3. v. 36.) *ait Sanctus Apoſtolus. Item* „ Exivi à Patre & vado „ (Joan. 16. v. 28.) *ille ipſe nimirùm qui dixit* (Jo. 14. v. 11.) „ Ego in Patre, & Pater in me eſt „. *Tum illud* „ Philippe qui videt me, videt & Patrem (ibidem v. 9.) „. His Epiphanius Semiarianos, & Acacianos perſtringit.

V. Ex his omnibus evidenter apparet, Semiarianos malè ſenſiſſe de Filio Dei. Unde captu difficile eſt, quòd Philaſter Hæreſ. 67. dixerit: *Semiariani ſunt quoquè: hi de Patre & Filio benè ſentiunt, unam qualitatis ſubſtantiam, unam Divinitatem eſſe credentes. Spiritum autem non de Divina ſubſtantia, nec Deum verum, ſed factum atque creatum Spiritum prædicantes, ut eum conjungant & comparent creaturæ.* In hoc ſecundo verum dicit. Nam de Spiritu Sancto impiè loquebantur, puram creaturam cum Macedonianis (de quibus infra) ipſum facientes. At Semiarianos rectè de Patre & Filio ſenſiſſe, ut Philaſter ſcribit, nemo præter ipſum dixit. Niſi fortè dicatur, Philaſtrium ſub hoc nomine Macedonianos intellexiſſe, vel ſi de Semiarianis locutus fuit, de aliquibus locutum fuiſſe, qui errorem ſuum Catholicis fraudulenter tegentes, adeò magnificè de Filio Dei loquebantur, ut de illo catholicè ſentire viderentur, ut de Acacio ſupra dixi.

§. III.

De voce Homouſion.

I. Controverſia, quæ inter Catholicos & Arium à dogmate cœpta fuit, poſt Nicænam Synodum etiam de vocibus, quibus fides exprimebatur, agitata fuit. Cùm enim Nicæni Patres, ut ſtatuerent contra Arium Filium Dei non eſſe diverſæ ſed ejuſdem Subſtantiæ vel Eſſentiæ cum Patre, voce hac græca *Homouſion* uſi fuiſſent, quâ latinè exprimebatur Filium eſſe Patri Conſubſtantialem: contra hanc vocem tam Ariani quàm Semi-Ariani inſurrexerunt. Ariani quidem videntes hâc vocis expreſſione ſuum errorem profligari, eam novitatis reprehendebant,

tamquam in Scripturis Sacris nullibi uſurpatam. Semiariani autem qui volebant Filium Dei eſſe quidem ſimilem Patri, ſed non ejuſdem ſubſtantiæ cum illo, vocem Homouſion rejicientes, dicebant Filium non eſſe *Homouſion* ſed *Homiuſion*, ſeu *Homoeuſion*, ideſt ſimilem Patri. Quod diſſidium eò proceſſit, ut non ſoli Ariani & Semiariani vocem *Homouſion* reſpuerent; ſed aliqui etiam qui cum Catholicis in dogmate conveniebant, ab ea voce abſtinendum eſſe fortè ſentirent. Duo igitur hic quæram. Unum: an vox Homouſion appoſitè ac prudenter Symbolo Nicæno inſerta fuerit: Alterum an omnes qui tali voci refragati fuere, ut hæretici habendi ſint.

II. Ad primum igitur affirmativè reſpondeo. Vocabulum enim quod Filium non ſolùm ſimilem Patri, ſed ejuſdem cum illo omninò Naturæ ac Eſſentiæ ſignificat, quodque propterea ad explodendam tum Arianam tum Semiarianam hæreſim plurimum valet, appoſitè ac prudenter Symbolo fidei additum eſt: hujuſmodi autem eſt vocabulum *Homouſion*, ſignificat enim Filium non ſolum ſimilis, ſed ejuſdem naturæ ac eſſentiæ eſſe cum Patre, quod æquè Arianos & Semiarianos confutat. Ergo &c.

Hanc veritatem oſtendunt Patres, & primò quidem S. Athanaſius. Tum in Epiſtola de Nicænæ Synodi Decretis, ubi recitatis Arianorum cavillis, quibus veritatem eludere conabantur, ſubdit: *Cæterùm Epiſcopi conſideratâ eorum hypocriſi & vafritie, ipſi quoquè neceſſitate coacti ſunt ſententiam earum rerum ex Scripturis colligere, & quæ priùs dixerant, apertioribus verbis repetere & ſcribere Filium Conſubſtantialem eſſe Patri, ut non ſolùm ſimilem ſimilitudine, ſed eundem eâ voce quâ dicitur eſſe ex Patre ſignificarent*. Et infra: *In his verbis, ex Patre eſſe & Conſubſtantialem eſſe, vim peremtoriam Patres voluerunt contineri ad elidendas has argutiolas, Filium creatum aut factum, aut mutabilem eſſe, aut non fuiſſe antequam naſceretur.... Quapropter ſi iſti hæc vocabula exotica cavillantur, reſpiciant ſenſum, juxta quem Synodus ea in Decretis ſuis adhiberi voluit: & pro anathemate habeant, quæ Synodus pro anathemate habere voluit, & tunc demum, ſi poſſint, culpent*. Tum in Epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ, ubi: *To homouſion Columnam vel Cippum* vocat, *quo Arianorum impietas proſcribitur, ac velut trophæum de ea ſuperata proſtrataqua ſtatuitur*. In hoc totus eſt Athanaſius ut ſingula referre nimium prolixum foret.

III. Secundò S. Hilarius Lib. de Synodis: *Inane eſt*, inquit, *calumniam verbi pertimeſcere, ubi res ipſa cujus verbum eſt non habeat difficultatem. Diſplicet cuiquam in Synodo Nicæna* Homouſion *eſſe ſuſceptum? Hoc ſi cui diſplicet, neceſſe eſt placeat quod ab Aria-*

Digitized by Google

Arianis eſt negatum. Negatum enim idcircò eſt Homouſion, *ne ex ſubſtantia Dei Patris Dei Filius natus, ſed ſecundùm creaturas ex nihilo conditus prædicaretur. Nihil novum loquimur: pluribus edita literis ipſa Arianorum perfidia ſibi teſtis eſt. Si propter negantium impietatem pia tunc fuit intelligentia confitentium: quæro, cur bodie convellatur, quod tam piè ſuſceptum eſt, quia impiè negabatur? Si piè ſuſceptum eſt, cur venit conſtitutio pietatis in crimen?* Hæc, & alia S. Hilarius. Accedit S. Baſilius Magnus Epiſt. 300. ubi de hujus vocis additione: *Quandoquidem*, inquit, *eſt Pater lumen ſinè principio, lumen verò genitum Filius, lumen & lumen alteruter:* Homouſion *dixerunt non incongruè, ut naturæ æqualem dignitatem demonſtrent: non enim quæ ad invicem ſunt cognata, ſunt ad invicem conſubſtantialia, id quod nonnemo exiſtimavit. Sed tum cùm & cauſa & cauſatum ejuſdem per omnia naturæ ſunt participes. Vox iſta & Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypoſtaſeos identitatem, & perfectam perſonarum intelligentiam introducit. Non aliquid idem eſt ſibi ipſi* Homouſion, *ſed alterum alteri. Itaque rectiſſimè & cum pietate conjunctiſſimè hypoſtaſeon dividuntur proprietates, & immutabilitas naturæ inalterabilis repræſentatur.*

IV. Accedunt S. Ambroſius Lib. 3. de Fide, S. Gregorius Nazianz. Orat. 49., S. Auguſtinus, qui Lib. contra Sermonem Arianorum cap. 36. *Ariani*, inquit, *& Eunomiani nos vocitant Homouſianos: quia contra eorum errorem Homouſion defendimus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum: ideſt unius ejuſdemque ſubſtantiæ, vel, ut expreſiùs dicatur, Eſſentiæ, quæ* Uſia *Græcè appellatur: quod planiùs dicitur, unius ejuſdemque Naturæ. Et tamen ſi quis iſtorum qui nos Homouſianos vocant, filium ſuum, non cujus ipſe eſſet, ſed diverſæ diceret eſſe naturæ, exhæreditari ſe ab eo mallet filius, quàm hoc putari. Quantâ itaque impietate iſti cæcantur, qui cùm confiteantur Unigenitum Dei Filium, nolunt ejuſdem naturæ cujus Pater eſt, confiteri, ſed diverſæ atque imparis, & multis modis rebuſque diſſimilis, tamquam non de Deo natus, ſed ab eo de nihilo ſit creatus: ac per hoc & ipſe creatura ſit, gratiâ Filius, non naturâ. Ecce qui nos quaſi maculâ novi nominis vocant Homouſianos, nec ſe ipſos cùm iſta ſentiunt intuentur inſanos.* Ita S. Auguſtinus. Prætereo alios idem ſentientes.

V. Audiamus modò Arianos, quid in iſta voce *Homouſion* eis diſpliceret. Diſplicebat primò, quòd iſta vox Homouſion non legatur in Scripturis, ſed ſit hominum adinventum, & quidem novum. Secundò, quòd olim fuerat in Synodo Antiochena contra Paulum Samoſatenum ab Eccleſia damnata, eò quòd multiplicis erroris occaſionem daret; Quidam enim *Homouſion* nomine unicam

unicam perſonam intelligebant: alii ſubſtantiam Perſonis priorem, quæ ipſis deinde communicaretur; alii ſubſtantiam quæ in tres diviſa eſſet portiones tribus perſonis adſcriptas. Colliguntur hæc ex S. Hilario Lib. de Synodis; ergo hæc vox Homouſion non eſt prudenter Symbolo inſerta.

IV. Reſpondeo tamen ad primum. Quòd licèt vox *Homouſion* expreſsè & quoad ſonum in Sacris Scripturis non legatur; in eis tamen invenitur æquivalenter & quoad ſenſum. Ita S. Athanaſius Lib. de Synodi Nicænæ Decretis, ubi oſtendit, redarguendos quidem Arianos, qui novas voces Scripturis contrarias inducentes cauſam dederunt Patribus Nicænis verum Scripturarum ſenſum voce *Homouſion* explicandi. Propterea allatis Scripturæ textibus, quibus dicitur Filius ex Deo procedens, ex utero ante Luciferum genitus, Ego & Pater unum ſumus, Ego in Patre & Pater in me eſt: cùmque Deus ſimplex ac indiviſibilis ſit, infert, idem eſſe dicere, quòd ſit unum cum Patre, quòd ſit in illo, ac dicere quòd ſit unum & idem in ſubſtantia cum illo, ac proinde *Homouſios* ſeu Conſubſtantialis illi: *Quapropter*, inquit, *cùm quis audit Filium Dei eſſe ex ſubſtantia Dei, ne admiratione ducatur, ſed potiùs approbet recipiatque Patres, qui rei intellectum puriùs tradidere, & liquidiùs verbis paribus & idem pollentibus, id dictum ex Deo eſſe, per has voces, ex ſubſtantia Dei eſſe, expreſſerunt. Idem enim arbitrati ſunt ex Deo eſſe & ex Subſtantia Dei eſſe.*

Et Lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ Arianos ſic ad hominem perſtringit: *Si penitus excludenda putant vocabula omnia non ſcripta, cur cùm Arius tantum acervum dictionum, quæ nuſquam in Scripturis occurrunt, accumulaverit; quales ſunt*, „ Ex non extantibus: & Non erat Filius antequam gigneretur: & Erat quando non erat: & Mutabilis eſt: & Ineffabilis eſt atque inviſibilis Pater ſuo Filio: & Filius ne ſuam quidem novit ſubſtantiam „; *& cætera quæ in ridiculo impioque ſuo Commentario Arius evomuit ex opinione ſua, non illi contradixerunt?*

VII. Præſtat audire S. Hilarium, qui in Libro contra ipſum edito ita Conſtantium alloquitur: *Novitates vocum, ſed profanas devitari jubet Apoſtolus. Tu cur pias excludis? Innaſcibilem ſcriptum numquam legis. Numquid & hoc negandum erit, quia novum eſt? Decernis ſimilem Patri Filium, Evangelia non prædicant. Quid eſt quòd non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio ſubmovetur. Ubi impietatis occaſio patet, novitas admittitur: ubi autem religionis maxima & ſola cautela eſt, excluditur.* S. Gregorium Nazianzenum quoque audire juvat. Is enim Orat. 49. *Si dicis mibi*, inquit, *Homouſion, quod eſt unius eſſentiæ nomen, ob hoc nominari*

Digitized by Google

minari non oportere, quia in Scripturis Divinis non contineatur: quæro autem, ò homo qui hoc probibes, utrum ideò nominari non debeat, quia ſcriptum non eſt, an quia credi ita non licet? Quòd ſi ita credendum eſt, cur non ita profitendum? Aut ſi ideò nominandum non eſt, quia nec ita credendum; obtinuit Arianæ labis aſſertio.... Fruſtra times, ò homo, profiteri quod credis: aut fruſtra credis, ſi ita non profiteris, & meritò hæreticus denotaris.

VIII. Videndum modò ſupereſt, quid in hac voce *Homouſion* Arianis ſecundò diſpliceat. Quia, inquiunt, vox illa occaſionem præbet erroris, & ideò in Synodo Antiochena fuit proſcripta. In hoc examinandum cenſeo, an hæc vox Homouſion ſit per ſe occaſio erroris, quia ſignificatum ejus erroneum & contra rectam fidem ſit: an verò ſolùm per accidens ſit occaſio erroris, non quia ſuæ ſignificationis vi occaſionem errandi præbeat, ſed quia ex prava ejus intelligentia aliqui malè intelligentes occaſionem errandi ſumſerint. Porrò quòd vox Homouſion per ſe & vi ſuæ ſignificationis occaſionem errandi non præbeat, aut errorem non exprimat, ſed potiùs Catholicam veritatem ſignificans, Ariano errori jugulum petat, quiſquis ab eorum Secta alienus fatebitur; nam hæc vox per ſe ſignificat, Patrem eſſe ejuſdem eſſentiæ & Conſubſtantialem cum Filio: ideòque duos errores exterminat, & errorem Arii, dum dicit, Filium eſſe ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, & errorem Sabellii per vocem *Con*, quæ indicat in eadem ſubſtantia non eſſe unam perſonam, ſed duas.

IX. Remanet igitur ut dicatur, ex hac voce Homouſion malè intellecta aliquos occaſionem ſumſiſſe, eâque abuſos eſſe. Et ideò cùm eâ Paulus Samoſatenus abuteretur dicens, Chriſtum eſſe Conſubſtantialem Patri, cùm tamen Chriſtum poneret hominem purum, factum quidem Deum in tempore, ſed non naturâ Deum; ideò vocem Homouſion ut à Samoſateno prolatam Antiochena Synodus reprobavit. At contra Nicæni Patres, qui agebant contra Arium ponentem Filium Dei ab æterno creatum non genitum, & proinde diverſæ ab illo Eſſentiæ aſſerentem, verè ac legitimè hac voce uſi ſunt; & ut omnem ejus fraudem diſſiparent, Filium Homouſion, ſeu Conſubſtantialem eſſe Patri ſanxerunt. Utrique ergo juſtè proceſſerunt: Antiocheni quidem Patres eam in ſenſu Pauli Samoſateni damnantes, Nicæni autem ea in ſenſu proprio contra Arium utentes: ſecuti in hoc exemplum Dionyſii tum Alexandrini, tum Romani, quorum uterque Filium ex Patris Subſtantia productum, & Patri Conſubſtantialem antea dixerat, teſte S. Athanaſio Lib. de Synodi Nicænæ Decretis.

X. *Quemadmodum* ergo (dicam cum eodem Athanaſio Lib. de Syno-

Synodis Arimini & Seleuciæ) *Beatus Apoſtolus in Epiſtola ſua ad Romanos dixit* „ Lex ſpiritualis eſt, & lex ſancta eſt, & præceptum ſanctum, juſtum & bonum „ ; *ad Hebræos verò aliter ſcripſit* „ Lex neminem perficit „ ; *itidem & ad Galatas* „ In Lege nemo juſtificatur „ ; *& ad Timotheum contra* „ Legem bonam eſſe *dixit*, ſi quis eâ legitimè utatur „ . *Neque tamen quis ob id ſanctum virum reprehenderit, quaſi qui contraria & pugnantia ſcribat, ſed potiùs eum admiratione proſequatur, quòd tam congruentia pro re nata ad ſingulos ſcripta mittat, ut & Romani & alii diſcerent à litera ad ſpiritum converti; Hebræi verò & Galatæ inſtituerentur, non in Legem, ſed in Datorem Legis ſpem habere. Ita quoque etſi amborum Conciliorum Patres diverſimodè de Conſubſtantiali mentionem fecere, non tamen ea de cauſa ab illis diffidere debemus, ſed illorum mentes ſcrutari: quod ſi fecerimus, inveniemus omninò ambas Synodos inter ſe conſentire*. Hæc & alia S. Athanaſius.

XI. Non abſimili modo loquitur S. Hilarius Lib. de Synodis dicens: *Malè intelligitur* Homouſion, *quid ad me benè intelligentem? Malè* Homouſion *Samoſatenus confeſſus eſt: ſed numquid meliùs Ariani negaverunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt: ſed trecenti decem & octo nuper receperunt. Et mihi quidem ille numerus ſanctus eſt, in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo qui æterni Sacerdotii eſt forma, benedicitur. Illi contra hæreticum improbaverunt: numquid & iſti non adversùm hæreticum probaverunt? Gravis auctoritas eſt Veterum; numquid & horum levis ſanctitas eſt? Si contraria invicem ſenſerunt, debemus quaſi judices probare meliora. Si verò & probando & improbando, unum utrique ſtatuerunt, quid benè conſtituta convellimus? .....* Homouſion *intelligo ex Deo Deum, non diſſimilis eſſentiæ, non diviſum, ſed natum, & ex innaſcibilis Dei ſubſtantia congenitum in Filio, ſecundùm ſimilitudinem unigenitam nativitatem. Ea me antea intelligentem non mediocriter ad id confirmavit* Homouſion. *Sed malè alius intelligit: damnemus in commune vitioſam intelligentiam, non auferamus fidei ſecuritatem. Synodo Samoſatenæ ſubſcribendum putas, ne ſecundum Samoſatei intelligentiam quiſquam ſibi ſumat* Homouſion. *Subſcribamus & Nicænæ Synodo, ne* Homouſion *improbent Ariani. ... Sed* Homouſion *poteſt malè intelligi. Conſtituatur, qualiter poſſit benè intelligi. Unum atque idem quod ſapimus, pium inter nos eſſe velimus. Date veniam, fratres, quam frequenter popoſci. Ariani non eſtis: cur negando* Homouſion *cenſemini Ariani?* Ita peroptimè Hilarius.

XII. Nec dicas, quòd cùm Nicænæ Synodi temporibus adhuc Pauliſtæ ſupereſſent non pauci, conſultius fuiſſet vocem *Homouſion* reticere, ne iſti ea ad ſuum pravum ſenſum detorquentes exi-

exiſtimarent, Nicænos Patres approbaſſe quod Antiocheni in Paulo damnaverant. Nam præterquam quòd vocis *Homouſion* ſenſus, in quo Patres Nicæni eam protulere, adeò apertè contrarius erat ſenſui, in quo eam uſurpaverat Paulus,& Antiocheni damnaverant, ut nemo, niſi mentis inops poſſet ei ſenſum Paulianiſtarum affingere. Petam. An quia veritas ab aliquo impugnatur, vel in errorem detorquetur, propterea damnanda eſt aut ſilentio prætereunda? Crux Chriſti Judæis ſcandalo erat Gentibus autem ſtultitia: & tamen Paulus 1. Cor. 1. v.23. *Nos autem*, inquit, *prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. Plurima ſunt S. Scripturæ loca, quibus Hæretici ad pravum ſenſum trahentes abutuntur. Numquid illa loca expungenda ſunt, nec potiùs ad rectum ſenſum contra illos reducenda?

Audiatur iterum Hilarius Lib. de Synodis: *Sed fortè*, inquit, *è contrario dicitur, idcircò improbari oportere, quia vitiosè intelligi ſoleat. Hoc ſi timemus, deleamus in Apoſtolo, quod dictum eſt* (1. ad Tim. 2.) „ Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus „ ; *quia ad auctoritatem hæreſis ſuæ Photinus hoc utitur: & non legatur à nobis, quia ab illo malè intelligatur. Pereat quoque ad Philippenſes ſcripta Epiſtola aut igne aut ſpongiâ, ne in ea Marcion relegat* (cap. 2.) „ Et habitu repertus ut homo „ *phantaſiam corporis confitens eſſe, non corpus. Non extet Evangelium Joannis, ne Sabellius dicat* „ Ego & Pater unum ſumus „. *Neque iſti nunc creaturæ prædicatores ſcriptum habeant* „ Pater major me eſt „. *Neque illi qui diſſimilem Patri Filium affirmare volunt, legant* (Lucæ 13.) „ De die autem & hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater ſolus „. His & aliis proſequitur Hilarius, oſtendens, quòd ſi delendum eſt *Homouſion*, quia eo aliqui abuſi ſunt, eâdem ratione multa Sacræ Scripturæ loca delenda forent.

XIII. Sed adhuc inſtabis. Ad ſtatuendum Catholicum dogma de æqualitate Filii cum Patre, ſatis erat vox *Homiuſion* ſeu *Homæouſion*, nempè ſimilis ſubſtantiæ cum Patre: quare ut Catholicos habuere Athanaſius illos qui Filium *Homiuſion* Patri aſſerebant, eſtò *Homouſion* eſſe negarent. Ergo imprudenter Nicæni Patres pro ſola voce *Homouſion* ſteterunt, quâ omiſsâ Catholicum dogma habebatur, & quâ poſitâ tot in Eccleſia jurgia excitata ſunt.

Reſpondeo negando abſolutè aſſumtum. Nam vox *Homiuſion* ſeu *Homæouſion* ſeu ſimilis ſubſtantiæ, non ſatis Filii Divinitatem exprimebat. Unde Semiariani, & Acaciani, qui Filium *Homiuſion* ſeu Patri ſimilem aſſerebant, malè de Filii Divinitate ſentiebant, ut ſupra oſtendi. Oportuit ergo veram de Filii Divini-

tate fidem eâ voce exprimere, quæ nulli æquivocationi, aut ambiguæ interpretationi ſubeſſet: & hæc ſola erat vox *Homouſion*, quæ Filium exprimit ejuſdem ſubſtantiæ, ſeu Conſubſtantialem eſſe. Quòd verò qui ſolum *Homiuſion* fatebantur, adhuc ut Catholici haberentur, dicam

XIV. Hoc eſt quod ſecundo loco diſcutiendum ſupra propoſui. Qua in re qui *Homouſion* fateri recuſabant, *Homæouſion* loco illius ſtatuentes, in duas claſſes diſtinguendos cenſeo. Alii erant, qui ideò *Homouſion* reſpuebant, & ſolum *Homæouſion* admittebant, quia non in ſola voce, ſed & in dogmate à Catholicis diſſentiebant, Divinitatem veram vel Filio eripientes, vel de ea malè ſentientes, vel Filium Patri ſimilem negantes ut Ariani, vel ſimilem non in ſubſtantia, ſed ſolùm in voluntate & operatione profitentes, quales Semiariani erant: & hos ut hæreticos habitos jure fuiſſe, nemini dubium eſt. Alii verò erant, qui licèt de Filii Divinitate cum Catholicis re verâ ſentirent; attamen voce *Homouſion* veluti diſſenſionum causâ rejectâ, ſolam *Homæouſion* admittentes Filium per omnia Patri ſimilem profitebantur: & iſti ab Athanaſio, Hilario & aliis, non ut hæretici & alieni à fide habebantur. Id conſtat ex S. Athanaſio Lib. de Synodis ubi ait: *Adversùs autem eos, qui omnia Synodi ſcripta recipiunt, de ſolo autem Conſubſtantiali ambigunt, non ut adversùs inimicos affici nos decet*. Et hoc quia cùm eis eadem ſententia eſt, controverſia autem de Verbis. Idem ſentit S. Hilarius Lib. de Synodis.

XV. Qui S. tamen videns in aliquibus pertinaciam in deteſtanda voce *Homouſion* à Nicæna Synodo probata & Symbolo inſerta, & nimium in tuenda Homæouſion ardorem, ſaltem à ſuſpicione hæreſis eos liberare non audet. Sic enim in eodem Libro ad illos converſus: *Ariani*, inquit, *non eſtis: cur negando* Homouſion *cenſemini Ariani? Sed dices: Movit me cum ſcandalo* Homouſii *ambiguitas. Iterum audi, oro, ſine ſcandalo & me movit* Homæouſii *nuditas*. Et infra: *Oro vos fratres, adimite ſuſpicionem, ſecludite occaſionem: ut probari poſſit* Homæouſion, *non improbemus* Homouſion.

XVI. Patere, Lector, ut hæc Hilarii verba & monita ad aliquos noſtri temporis ſtimulo caritatis convertam, qui Janſenianos ſe eſſe negantes, Decretis tamen contra Janſenium à Summis Pontificibus editis, & ab Eccleſia reverenter ſuſceptis, vel præſcriptis formulis, parere ac ſubſcribere refragantur; duriores fortè ac ſibi non placentes voces in eis contineri affirmantes, Patere, inquam, ut eis repetam: Janſeniani (ut dicitis) non eſtis; cur refragando Decretis contra Janſenium editis cenſemini Janſeniani?

niani? Sed dicetis: Movit nos quorumdam verborum & ſententiarum ambiguitas. Audite, oro, movit me, nec ſine ſcandalo tanta animoſitas. Oro vos, fratres, adimite ſuſpicionem, ſecludite occaſionem: ut probari poſſit Catholica veritas, vocem Eccleſiæ per Petrum loquentis non improbemus. Faxit Deus.

CAPUT XLVIII.

De Macedonianis.

§. I.

Macedonii conditio, fortuna, hæreſis ortus, & damnatio.

I. Macedoniana hæreſis, Arianæ infelix ſurculus, à Macedonio nomen & errorem accepit: quæ cùm partim ex Ariano, partim ex Orthodoxo dogmate conflata fuerit, monſtrum potiùs quàm hæreſis fuiſſe videtur, ſic enim Epiphanius Hæreſ. 74. num. 1. de Macedonianis, quos *Pneumatomachos* appellat: *Ab his*, inquit, *Semiarianis & ab Orthodoxis monſtrum quoddam, ut ita dicam, biformium hominum ac ſemiferorum contra nos excitatum eſt*. Fuit autem Macedonius artis plumariæ, deinde Diaconus, poſtea Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ; qui cùm Arianorum partibus faveret, à Synodo Tyria ad Conſtantium Legatus miſſus fuit. Mortuo Euſebio, qui è Nicomedienſi in Conſtantinopolitanam Sedem à Conſtantio, expulſo Paulo, intruſus fuerat, Homouſiani Paulum iterum ſedi ſuæ præfecerunt. At Ariani Macedonium elegerunt, teſte Socrate Lib. 2. cap. 12. Macedonio Conſtantius & ipſe Arianus favit, ac Paulum iterum exulare coegit. Sed cùm ob hoc tumultus in populo excitatus fuiſſet, miſit Imperator Præfectum cum militari manu, qui perfidum & adulterum Macedonium in Eccleſiam intruderet: quod abſque ſæva multorum, qui Paulo favebant, cæde ad tria circiter millia, & centum inſuper ac quinquaginta, non fuit executioni mandatum (ex Socrate L. 2. c. 16.)

II. *Poſt tam præclara facinora* (proſequitur Socrates) *Macedonius, perinde quaſi nihil mali geſſiſſet, ſed integer vacuuſque eſſet ab omni culpa, à Præfecto veriùs, quàm per Eccleſiaſticam regulam in Epiſcopali ſede conſtituitur. In hunc modum Macedonius & Ariani per tot tantaſque hominum cædes Eccleſiâ potiti ſunt*. Hâc viâ Macedonius Epiſcopatu potitus, Conſtantii patrocinio fretus, bellum in Pauli fautores & Catholicos tale excitavit, quale à Tyrannis

 gere-

gerebatur. Ita Socrates Lib. 2. cap. 27. *Pellebantur*, inquit, *non modò ab Eccleſiis, verùm etiam ex Civitatibus quicumque Conſubſtantialis fidem aſſerebant. Et initio quidem id unum agebant, ut eos expellerent. Poſtea verò progrediente ulteriùs malo ad id ſe verterunt, ut communicare ſibi etiam invitos cogerent, parùm ſcilicet de Eccleſiis ſolliciti. Eratque ea vis nihilo minor illâ, quam olim adhibuerant hi, qui Chriſtianos ad ſimulacrorum cultum adigebant. Quippè verba ac tormenta & omnis generis cruciatus admovebantur. Alii bonorum conſcriptione, alii exilio mulctati ſunt. Et hi quidem in ipſis cruciatibus interierunt, illi verò dum ad exilium abducerentur, necati ſunt. Et hæc quidem per omnes urbes Orientalis Imperii gerebantur, maximè verò Conſtantinopoli*. Sic Macedonius tanquam lupus in ovile Chriſti irrumpens, tamquam lupus rapiebat ac diſpergebat oves.

III. Non diù tamen res feliciter ei ceſſit. Cùm enim Conſtantio Imperatore inconſulto, magnâ populi multitudine reclamante, auſus eſſet cadaver Conſtantini ex Apoſtolorum Eccleſia in aliam transferre, atque hoc gravis ſeditionis, & multarum cædium cauſa extitiſſet, Conſtantius ipſe in parentis ſui contumeliam hoc factum ratus, ac proinde in Macedonium exaſperatus, in Conciliabulo Conſtantinopolitano eum Epiſcopatu abdicari juſſit. Atque ita, cujus favore injuſtè evectus, ejuſdem furore juſtè dejectus fuit. Alias ejus abdicationis cauſas affert Socrates Lib. 2. cap. 42. nempè, *tum quòd plurimarum cædium auctor fuiſſet; tum quòd Diaconum in fornicatione deprehenſum ad communionem admiſerat*. Hæc Macedonii depoſitio contigit anno Chriſti 359. eique ſuffectus eſt Eudoxius Antiochenus, ut ex Sozomeno Lib. 4. cap. 26. qui refert etiam quòd *Macedonius Conſtantinopolitanâ ſpoliatus Eccleſiâ, in locum quemdam juxta urbis Regiæ portas ſe recepit, ibique extremum diem obiit*.

IV. In ordinem ergo redactus Macedonius, antequam obiret, ſuæ hæreſi condendæ totum ſe dedit, ac Arii doctrinâ ex parte ejuratâ propriam adjunctis ſibi ſociis, ac ovinam pellem induens ſpargere cœpit: cui multum profuere Eleuſius, & Euſtathius, qui parem cum illo depoſitionis ſortem ſortiti fuerant, & Marathonius quidam, qui ex Quæſtore cum illis Monachi habitum amplexus, opibus quibus affluebat multos in ſuum errorem traxit, ut Macedonii ſectatores ab aliquibus Marathoniani appellarentur. Audiamus Sozomenum citatum Lib. 4. c. 27. qui & hæreſis hujus initium, & primos progreſſus ita deſcribit, „ Poſtquam enim Ma- „ cedonius Conſtantinopolitanâ exutus eſt Eccleſiâ, non ampliùs „ eandem cum Acacio, & Eudoxio opinionem (Semiarianam) te-

„ tenuit: Docebat enim, Filium quidem Deum eſſe, per omnia „ ſimilem Patri, adeòque ſecundùm ſubſtantiam; Spiritum verò „ Sanctum ejuſdem honoris & dignitatis expertem eſſe aſſerebat: „ famulum ac miniſtrum eum appellans, & quæcumque alia quiſ- „ piam de Angelis dicens non aberraverit.

„ Eandem cum illo opinionem amplexi ſunt Eleuſius & Eu- „ ſtathius, & reliqui omnes, qui eo tempore à contrariæ ſenten- „ tiæ aſſertoribus depoſiti fuerant Conſtantinopoli. Quibus haud „ exigua pars populi adhæſit, tam Conſtantinopoli, quàm per „ Thraciam, Bithyniam, & Helleſpontum, finitimaſque Provin- „ cias. Nam vivendi ratio, quam vulgus potiſſimùm ſpectare „ ſolet, haudquaquam in illis culpanda erat. Etenim inceſſus „ quidem eorum gravis, diſciplina verò monaſticæ ſimilis fuit. „ Ad hæc ſermo non invenuſtus, & ingenium ad perſuadendum „ accommodatum. Cujuſmodi tunc fuiſſe dicitur Marathonius: „ qui ex rationario publico officii Præfecturæ Prætorianæ, cùm „ opes maximas ſibi comparaſſet, finitâ militiâ ægrorum ac pau- „ perum ſub eodem tecto degentium curam geſſit. Poſtea verò „ ſuaſu Euſtathii Sebaſtiæ Epiſcopi monaſticam amplexus eſt vi- „ tam, & ſodalitium Monachorum inſtituit Conſtantinopoli, „ quod ad noſtram uſque ætatem continuâ ſucceſſione perſeve- „ ravit.

„ Hanc porrò hæreſim tum ſtudio, tum opibus ſuis tanto- „ perè adjuvit, ut Sectatores Macedonii à quibuſdam Maratho- „ niani appellentur, nec immeritò, ut equidem cenſeo. Hic „ enim ſolus unà cum ſodalibus ſuis perfeciſſe videtur, ne hæc „ hæreſis Conſtantinopoli penitùs extingueretur. Etenim ex quo „ depoſitus fuerat Macedonius, nec Eccleſias deinceps, nec Epi- „ ſcopos ullos habuerunt Macedoniani, uſque ad Principatum „ Arcadii. Quippè Ariani id nequaquam ſinebant, à quibus „ omnes, qui contraria ipſis ſentirent, extrudebantur Eccleſiis, „ & gravibus ſuppliciis afficiebantur „. Hæc Sozomenus de ortu & initiis hujus hæreſis, ſeu veriùs monſtri ad modum centauri, vel ſatyri, aliquid de Catholica veritate aliquid de Ariano errore participantis.

V. Advertit hìc cap. 52. Lambertus Danæus, Macedonium hunc Hæreſiarcham diſtinguendum eſſe ab alio Macedonio pariter Conſtantinopolitano Epiſcopo, ſed poſteriore, qui floruit, fuitque vir pius ſub Leone ſeniore Imperatore anno à Chriſto paſſo 484. & à Chriſto nato 517. & Gangris exulavit propter Orthodoxam Fidem. Et addit, Macedonium hæreticum depoſitum & in exilium actum circa locum qui Pylæ dicuntur, conſenuiſſe, ibique debitas

ſuæ

ſuæ impietatis pœnas luiſſe; ac refert ex Theodorito L.2.Hiſt.c.5. curaſſe, ut Paulus, quem ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano perfide dejecerat, Cucuzi, ubi exulabat, ſtrangularetur. Hoc confirmat Socrates L.2. c. 26., & Sozomenus L.4. c. 2. tamquam rem ad ſua uſque tempora famâ vulgatam.

VI. Macedoniana hæreſis ſub hoc nomine in apertum prodiit, non anno à Chriſto paſſo 312. & à Chriſto nato 345. ſub Julio I. Pontifice & Conſtantio Imperatore, ut vult Danæus, ſed anno à Chriſto nato 360. Liberio Pontifice, & Conſtantio Imperante, quamvis aliqui putent, eam ſub ſpecialis Sectæ ſpecie, non niſi poſt Conſtantii obitum apparuiſſe. Præter Macedonium auctorem, qui tunc inter vivos adhuc fuiſſe creditur, promulgatores habuit, ut ſupra, Eleuſium, Euſtathium & Manethonium & Presbyteros multos, Epiſcopos verò paucos. Varia fuit ejus ſors, malè enim audiebat tum apud Catholicos tum apud Arianos, quamvis inter utroſque ſe ſtatueret mediam. At quia Ariani in Oriente potentiores eos inſectabantur, quòd cum Homouſianis de Patre & Filio communicarent idemque ſentirent, hinc fiebat, ut pro opportunitate modò Homouſion de Patre & Filio, modò Homiuſion ſeu Homæouſion profiterentur. De quo videri poteſt Socrates Lib.3. cap.10.

In Synodo Lampſaci, quæ urbs eſt in Helleſponto, anno 365. ſub Valente congregata, hæreſim ſuam variis Decretis Macedoniani confirmarunt, ideoque in Helleſponto latè propagata eſt. Sed & in Phrygia diù viguit. Nam etiam ſub Arcadio Synadæ, quæ eſt urbs Phrygiæ, perſiſtebat: perſiſtit adhuc apud illos, licèt non ſub hoc nomine in eis, qui Arianiſmi labe infecti ſunt.

VII. Statim ac hujus hæreſis nomen ac error inſonuit, damnatus fuit à Synodo Alexandrina poſt reditum S.Athanaſii anno 362. celebrata, ut conſtat ex illius Epiſtola Synodica, quæ eſt apud ipſum Athanaſium, ad Antiochenos ſcripta. Secundò proſcripta fuit in Synodo Illyrici anno 367. ut apparet ex ejus Epiſt. Synodica ad Orientales, quâ profitentur, *Sanctam Trinitatem Conſubſtantialem eſſe, & Deum Patrem cum Filio & Spiritu Sancto ſanctificari & glorificari: & Patrem in Filio exiſtere, & Filium in Patre, unà cum Spiritu Sancto in omnem æternitatem*. Damnata eſt tertiò in Synodo Romana à Damaſo paulò poſt celebrata, ut conſtat ex Epiſtola ad Epiſcopos Illyrici ab eodem datâ, quæ extat apud Theodoritum Lib. 2. Hiſt. cap.22., in qua *Spiritum Sanctum unam eamdemque cum Patre & Filio ſubſtantiam & ſubſiſtentiam habere aſſeritur*. Quartò damnata fuit cum ſuo auctore in altera Synodo Romana, quam idem Damaſus contra Apollinarem habuit, ex

qua

qua ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum Epiſtolam ſcripſit, quam apud Theodoritum L. 2. Hiſt. c. 11. legere eſt. In ea enim nominatim feriuntur anathemate Macedoniani his verbis: *Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii ſtirpe venientes, non perfidiam mutaverunt ſed nomen*. Et infra ſpeciales Anathematiſmi in eos proferuntur, nempè: *Si quis dixerit, Spiritum Sanctum facturam, aut per Filium factum, anathema ſit.... Si quis non dixerit Patris & Filii & Spiritus Sancti unam Divinitatem, poteſtatem, majeſtatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem ac veritatem, anathema ſit.... Si quis non dixerit, Spiritum Sanctum adorandum ab omni creatura, ſicut & Filium & Patrem, anathema ſit.*

VIII. Proſcripta tandem fuit ab univerſa Eccleſia anno Chriſti 381. Damaſi Pontificis 15.; Theodoſio ſeniore Imperante in Concilio Œcumenico II. & Conſtantinopolitano I., in quo à centum quinquaginta Epiſcopis fides Nicæna plenè fuit confirmata, & Macedoniana unà cum aliis ſui ſimilibus ad inferos amandata. Ad hoc Concilium vocatum fuiſſe Macedonium ipſum, cui tamen adverſam valetudinem cauſatus adeſſe noluit, Danæus putat, afferens Sozomenum teſtem Lib. 2. Hiſt. cap. 39. Sed præterquam quòd in citato loco id invenire mihi non contigit; inveriſimile cenſeo eo anno 381., quo præfatum Concilium celebratum fuit, adhuc inter vivos Macedonium extitiſſe, imò nec Sozomeno ipſi conſentaneum. Qui cum Lib. 4. Hiſt. cap. 26. dicat, quod *Macedonius Conſtantinopolitanâ ſpoliatus Eccleſiâ in locum quemdam juxta urbis Regiæ portas ſe recepit: ibique extremum diem obiit*, indicat, eum poſt depoſitionem parvo tempore ſuperſtitem fuiſſe. Licèt autem poſtea ſuam hæreſim conflaverit & publicam fecerit: cùm tamen depoſitus fuerit anno 359., & anno 381. Concilium Conſtantinopolitanum fuerit convocatum, dato quòd aliquot annis ſupervixerit, credibile tamen non eſt, eum ad tempora Concilii vitam protraxiſſe, ut ad illud vocari potuerit: maximè quia nulla ejus in hiſtoriis impoſterum mentio fit.

§. II.

Macedonii error refutatus.

I. PRo aſtruenda Spiritus Sancti Divinitate aliqua dixi cap. 45. contra Arianos §. 5. num. 13. cùm omnia quæ de ſolo Deo dicuntur, de Spiritu Sancto quoquè in Scripturis aſſerantur; quibus ſequentia addam. Primò, S. Petrus Act. 5. ubi arguit Ananiam,

niam, quòd fraudando de pretio agri mentitus ſit Spiritui Sancto; mox cui mentitus ſit declarans, ait v.4. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Ex quibus colligunt Spiritum Sanctum eſſe Deum S. Baſilius Lib.5. contra Eunomium, & Lib. de Spiritu Sancto cap.16., S. Greg. Nazianzenus Orat. 37., S. Ambroſius Lib. 1. de Spiritu Sancto c. 4. & L.3. c.10., S. Epiphanius Hæreſ. 74. quæ eſt contra Pneumatomachos (ideſt Spiritus Sancti hoſtes) num.6., S. Auguſtinus Lib.3. contra Maximinum cap.21. & alii.

II. Secundò, idem demonſtrant loca illa Scripturæ, quibus cùm Spiritus Sanctus locutus eſſe referatur, Deus locutus eſſe dicitur. Ita verba illa *Audite audientes & nolite intelligere*, quæ Iſaias cap.6. ſibi à Domino Deo exercituum dicta refert; ut dicta à Spiritu Sancto refert Paulus Act. 28. v. 25. *Quia benè Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres veſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis*. Ergo idem eſt Dominus Deus exercituum ac Spiritus Sanctus. Quod oſtendit etiam in Epiſt.1. ad Cor. ubi c. 3. v.16. dixit: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Poſtea cap. 6. v. 19. *An neſcitis*, inquit, *quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti qui in vobis eſt?* Idem ergo Paulo eſt eſſe templum Dei, ac eſſe templum Spiritus Sancti: & proindè quòd Spiritus Dei ſit Deus, & meritò: quia ſolus Deus Templum habet. Quare S. Auguſtinus L. 5. contra Maximinum Arianum, qui petebat: *Da mihi teſtimonia ubi adoratur Spiritus Sanctus*. Inter alia cap.5. reſpondet: *Si autem religionem, quâ colitur Deus, ſicut dignum eſt, cogitares, multò plus eſſe cerneres, quòd habet Spiritus Sanctus Templum, quàm ſi eum legeres adoratum: & homines enim à Sanctis novimus adoratos. Templum verò non eſt factum ab hominibus, niſi aut vero Deo, ſicut Salomon fecit: aut iis qui pro Diis habentur, ſicut gentes quæ ignorant Deum. Spiritus autem Sanctus (quod cum magno honore de Deo dictum eſt) non in manufactis templis habitat, ſed corpus noſtrum templum eſt Spiritus Sancti. Et ne corpora noſtra contemnas, membra ſunt Chriſti. Qualis ergo eſt Deus, cui templum ædificatur, & à Deo, & de membris Dei?* Ita validè, ut de more S. Auguſtinus.

III. Quid ad hæc Pneumatomachi Macedoniani, qui nolunt fateri Spiritum Sanctum Deum, quia in Scripturis nuſquam nominatur Deus, vel proponitur adorandus? Nonne ea quæ de Deo dicuntur, de Spiritu Sancto dici ex Scripturis oſtendi: & nos, qui ſolius Dei templum ſumus, templum eſſe etiam Spiritus Sancti ex Paulo audierunt? Audiant inſuper opera, quæ ſolius Dei ſunt, inter quæ ſanctificatio, adoptio, peccatorum remiſſio, principem

locum

locum obtinent, à Scripturis Spiritui Sancto ut auctori tribui. *Spiritus ſanctificationis* (Roman. 1. v. 4.) *Spiritus adoptionis* (Rom. 8. v. 15.) *Spiritus gratiæ* dicitur. Ideò Act. 10. loquente Petro, vix cecidit ſuper audientes Spiritus Sanctus, cùm omnes qui aderant obſtupefacti dixerunt v. 45. *Quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effuſa eſt*. Imò, ut habetur Act. c. 8. & c. 19. hi qui baptizati fuerant in nomine Jeſu complementum gratiæ & donorum per Spiritum Sanctum accipiebant, quòd quia ignorabant Spiritum Sanctum, etſi crederent, non acceperant. Unde Paulus Rom. 5. v. 5. ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Ad Titum 3. v. 5. Deus *ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum*. Et 1. ad Cor. 12. v. 3. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*. Ac deinde enarratis gratiarum diviſionibus addit v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*.

IV. Is ergo, quem Scripturæ paſſim nobis proponunt ut noſtræ ſanctificationis Auctorem, ſinè quo nihil ad ſalutem poſſumus, & per quem omnia poſſumus, dividentem gratias ſingulis, non alterius arbitrio, ſed *prout vult*; Is, inquam, Dei miniſter, creatura erit, non verus Deus? Nemo, niſi mente obcæcatus affirmabit. *Sanctificare nulla creatura aliam penitùs poteſt: largitio ſanctificationis munificentia ſolius eſt majeſtatis*, inquit Paſchaſius Lib. 1. de Spiritu Sancto c. 11. Et Ambroſius L. 1. de Spir. Sancto c. 5. *Creatura ſanctificatur, ſanctificat autem Spiritus Sanctus.... Non ergo poteſt ſanctificatio & corruptela unius eſſe naturæ: & ideò non poteſt gratia Sancti Spiritus & Creatura unius eſſe ſubſtantiæ. Itaque cùm omnis inviſibilis præter Trinitatem reliqua natura, cujus rationabilem & incorpoream jure quidam ſubſtantiam putant, non impertiat ſpiritalem gratiam ſed acquirat, non participet ſed aſſumat; ſeparanda eſt utique à ſocietate Spiritus Sancti communitas creaturæ*. Hâc ratione Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut oſtenderet, unam eſſe Spiritus Sancti cum Patre & Filio potentiam, majeſtatem, ac Divinitatem, voluit, ut objectum fidei, quam in Baptiſmo profitemur, æqualiter cum Patre & Filio eſſet Spiritus Sanctus, dicens Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, ubi ut advertit S. Ambroſius Lib. 1. de Spiritu Sancto, dixit *In nomine*, non *in nominibus*; ut diſceremus, unum illis tribus Nomen eſſe commune, quod eſt Divinitas. Hoc idem argumentum tractat S. Auguſtinus tract. 6. in Joann. Unde inquit S. Joann. Epiſt. 1. cap. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant*

in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.

V. Tertiò, Spiritum Sanctum à Patre & à ſe procedere, oſtendit Chriſtus eo modo quo ipſe à Patre procedit. De ſe dicit Jo. 16. v. 27. *Ego à Deo exivi. Exivi à Patre & veni in mundum.* De Spiritu Sancto verò Joan. 15. v. 26. *Cùm autem*, inquit, *venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Si ergo Filium Dei à Patre procedentem, à Patre miſſum Macedoniani ſaltem puriores eſſe cum Patre Deum genitum, non creatum admittunt: cur Spiritum Sanctum, qui à Patre procedit, à Patre & Filio mittitur, Deum eſſe negant, eâdemque Divinitate cum Patre & Filio potiri? Audiant Ambroſium Lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7. *Sicut creata*, inquit, *dici non poteſt Sapientia, quæ ex ore Dei procedit: nec Verbum quod eructatur ex corde: nec virtus in qua plenitudo majeſtatis æternæ eſt: ita etiam creatus non poteſt Spiritus æſtimari, qui ex ore Dei profunditur, cùm ipſe Deus tantam oſtenderit unitatem, ut effundere ſe de Spiritu ſuo dicat;* quibus alludit ad Dei verba Joelis 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem & prophetabunt filii veſtri* &c. quæ de Spiritu Sancto intelligit D. Petrus Act. 2. v. 17.

VI. Dicebant autem Macedoniani, ipſa Chriſti verba Joan. 16. v. 13. oſtendere Spiritum Sanctum mitti tanquam legatum, qui à ſe ipſo non loquitur, ſed quid loquatur accipit ab eo, à quo mittitur. Sic enim ait: *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Reſpondeo. Etiam Chriſtus Dei Filius de ſe dicit Joannis 5. v. 30. *Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam, ſicut audio judico, & judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Joan. 7. v. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* Et Joan. 12. v. 49. *Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar .... Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.* Verba hæc, quæ de ſe dicit Filius, vel oſtendunt, etiam Filium eſſe purum legatum miſſum à Deo Patre; vel ſi non, nec etiam verba allata Spiritum Sanctum Patris & Filii eſſe purum legatum ac miniſtrum oſtendent. Eâdem ergo ratione Filius & Spiritus Sanctus à ſe non loquuntur, ſed ab alio accipiunt quid loquantur, Filius quidem à Patre, Spiritus à Patre & Filio, quâ ab alio ut à principio accipiunt quod ſunt, nempè in Divini-
tate

tatę ſubſiſtere. Ita Ambroſius & Auguſtinus. Ambroſius quidem L. 1. de Spiritu Sancto cap. 12. *Omnia*, inquit, *accepit à Patre Filius, quia ipſe dixit* „ Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo „. *Omnia Patris habet Filius, quia iterum ait* „ Omnia quæ Pater habet, mea ſunt „. *Et quæ accipit ipſe per unitatem naturæ, ex ipſo per eamdem unitatem accipit & Spiritus: ſicut ipſe Dominus Jeſus declarat de Spiritu ſuo dicens* „ Propterea dixi: De meo accipiet & annuntiabit vobis „. *Quod ergo loquitur Spiritus, Filii eſt: quod dedit Filius, Patris eſt. Ita nihil à ſe aut Filius loquitur aut Spiritus, quia nihil extra ſe Trinitas loquitur.*

S. Auguſtinus autem Tract. 99. in Joann. ſic ait: *Non ergo loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur. Ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi ſcire eſt; ſcire verò eſſe. Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia; ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud quàm ſcientia.*

VII. Sed adhuc non quieſcunt Pneumatomachi: ajunt enim. Gemitus & oratio Deo non conveniunt: ſed gemitus & oratio Spiritui Sancto tribuitur ab Apoſtolo Rom. 8. v. 26. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus, quia ſecundùm Deum poſtulat pro Sanctis*: ergo Spiritus Sanctus Deus non eſt.

Præfata Pauli verba aliqui Veterum, ut Chryſoſtomus & Ambroſius interpretantur dicta, non de ipſa Spiritus Sancti Perſona, ſed de effectu, nempè Dono ipſius, quo homines pii excitati poſtulant cum gemitibus à Deo, ut alii qui perſæpe temporalia poſtulant, poſtulent æterna. Communior tamen interpretatio eſt, quòd Spiritus Sancti perſona dicatur pro nobis poſtulare & gemere, qui ſuâ efficaci operatione in nobis nos orantes facit, noſque orare ac gemere docet. Ita S. Auguſtinus Epiſt. 121. (modò 130. cap. 15.) *Dictum eſt*, inquit, *Interpellat pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit, ſicut dictum eſt: Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciatis ſi diligatis eum, hoc eſt, ut ſcire vos faciat. Interpellare itaque Sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inſpirans eis deſiderium etiam adhuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam expectamus*: Lumen ſcilicet inſpirans, ut eam cognoſcamus, & ut cognitam deſideremus.

VIII. At inquies. Si poſtulare pro nobis dicitur Spiritus Sanctus, quia facit nos poſtulare: Cur non poterit idem dici de Patre, quòd pro nobis poſtulet, quia poſtulare nos facit? Reſpondeo rationem eſſe, quia ſicut Pater non dicitur mitti, licèt operatio ad quam Divina aliqua Perſona mittitur, puta ſanctificatio hominis,

ſit toti Trinitati communis, propterea quod neceſſe eſt, perſonam quæ mittitur à mittente procedere, à quo cum operatione accipit ſimul & naturam: Ita poſtulare licèt ſignificet effectum in hominibus, quem ipſe Pater, imò tota Trinitas operatur, non tamen aut tota Trinitas aut Pater poſtulare dicitur; ſed ea tantùm perſona, quæ accipit ab alia ut faciat homines poſtulantes; quod nec toti Trinitati nec Patri poteſt convenire.

IX. Ex dictis patet, Concilium Conſtantinopolitanum Œcumenicum Secundum adversùs Macedonianos congregatum jure Symbolo hæc verba inſeruiſſe: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem* (non dicit *& ex Filio*, quia hoc nondum contra Græcos, ut poſtea, ſtatutum fuerat) *& cum Patre & Filio ſimul adorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas*. Quam fidem præfati centum & quinquaginta Patres, qui eidem Synodo ſubſcripſere, in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Occidentis etiam expreſſere.

Quæ omnia auctoritate ſuâ roboravit Damaſus Romanus Pontifex in Epiſtola Synodica anno 382. data, quam deſcribit Theodoritus Lib. 5. Hiſt. cap. 11., in qua pluribus anathematiſmis Pneumatomachi, & Arianæ infelices aliæ ſoboles confodiuntur, ac præcipuè illi his verbis: *Et quia poſt Concilium Nicænum hic error inolevit, ut quidam ore ſacrilego auderent dicere, Spiritum Sanctum factum eſſe per Filium; anathematizamus eos, qui non totâ libertate proclamant, eum cum Patre & Filio unius poteſtatis eſſe atque ſubſtantiæ*. Et rurſus: *Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre eſſe verè ac propriè, ſicut Filius de Divina ſubſtantia, & Deum verum, anathema ſit*. Alios anathematiſmos omitto.

X. At quia Macedoniani (apud Epiphanium Hæreſ. 74. n. 14.) de his conquerebantur, dicentes „ Nos eandem fidei formulam, „ quæ in Nicæna Synodo expoſita eſt, & ipſi profitemur. Doce „ igitur ex illa, Spiritum Sanctum in Divinitate numerari „. Eos tamen ita percellit Epiphanius oſtendens etiam ipsâ Nicænæ fidei confeſſione refelli. Nam *quamquam nulla tunc de Spiritu Sancto fuerat inſtituta quæſtio; Quippe de his, quæ ſingulis temporibus occurrunt, cavere Synodi ac decernere ſolent. Quare cùm Arius in Filium maledicta conjiceret, propterea uberiori quâdam diſputatione argumentum illud eſt accuratiſſimè tractatum*.

Verùm ex eadem fidei profeſſione (Nicæna) *animadvertere licet; ne hac in parte quidem contumelioſos illos in Spiritum hæreticos, ac Spiritus oppugnatores, & ab ejus ſanctitate ac donis alienos quicquam omninò dicere. Siquidem expoſitio ipſa veritatem ſubinde profitetur nec negat*.

Cre-

Digitized by Google

,, Credimus, *inquit*, in ùnum Deum Patrem Omnipotentem ,,. *Vbi vox iſta* , Credimus , *non ſimpliciter accipienda* , *ſed de Fide in Deum intelligenda venit*,, Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum,,. *Neque hoc utcumque dictum* , *ſed ad fidem in Deum referendum*. ,, Et in Spiritum Sanctum ,,. *Quod neque ſimpliciter uſurpatum eſt* , *ſed in unam prædicationem ac gloriam* , *in unam Divinitatis conjunctionem* , *in unam Conſubſtantialitatem* , *in perfecta tria*, *ſed unam Divinitatem*, *unam ſubſtantiam*, *unam gloriam* , *dominationem unam* . *Quod eæ voces* Credimus , & Credimus , & Credimus , *declarant* . His Epiphanius contra Macedonianos oſtendit, eorum hæreſim fuiſſe à Synodo Nicæna in ſuo Symbolo prædamnatam .

XI. Concludam igitur cum eodem . *Quid in hac ſum diſputatione longior* , *cùm quæ adversùs iſtos in hac diſputatione hucuſque dicta ſunt* , *veritatis ſtudioſis ſatis eſſe non dubitem ? Quocirca miſſam & hanc hæreſim faciam* : *& Deum precabor ut ad omnes ejuſmodi profligandas opem nobis afferat* , *ut illius virtute freti* , *quod ſuſcepimus exequi* , *& in omnibus gratias habere poſſimus* . Contra hanc hæreſim egi quoque Tom. 4. in 1. part. Qu. 1. de Trin. Dub. 4.

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ in hujus ſeptimi Tomi Parte II. continentur.

A

ABasgi *ſibi virilia amputabant*. pag. 148.
Abidas *Aſtrologus cum Bardeſane de Fato diſputavit*. 130. 131.
Acaciani, *in quo à Semiarianis & Arianis diſſimiles*. 373. 374. *Vide* Semiariani. *Acacius auctor fuit*. 374. 375.
Adam *non perdidit imaginem Dei peccando*. 248. *habuit corpus ante peccatum*. 247.
Adamitæ, *à quo orti, incertum*. 85. 86. *à Prodico quidam putant*. 87. *Adam & Evam imitantes ante peccatum, ad ſuos cœtus nudi conveniebant*. 86. *quid ibi agerent controvertitur*. 87. *is error refutatur*. 88. 89. *Nuptias rejiciebant*. 89. *promiſcuè commiſcebantur*. 89. 90. *ſe naturâ filios Dei dicebant*. *Deum non eſſe orandum, nec martyrium ſubeundum*. 90. 91.
Novi Adamitæ *in Bohemia*. 91. 92.
Æſchines *Montaniſta*. 9. *unam in Deo perſonam poſuit*. 23.
Agapetæ, *quæ olim fuerint*. 222.
Alcibiades *Montani aſſecla*. 7.
Alexander *Montaniſta*. 8.
Alogi, *ideſt ſine Verbo, Verbum negabant, Apocalypſim reſpuebant & Evangelium S. Joannis; hoc Cerintho tribuentes*. 76. 77. 81. *De horum auctore, ambigitur*. 78. 79. *confutantur*. 81. 82.
Angeli. *Eorum cultus pro Catholicis defenditur*. 183. &c.
Angelici *in Angelorum cultu ſuperſtitioſi*. 181. 182. *horum error à Catholico dogmate ſecernitur*. 183. 184. 185.
Animam *humanam corpoream eſſe putabant Montaniſtæ*. 47. 48. *creatam ante corpora Origenes*. 240. 241. *peccato in corpus detruſam*. 242. *pœnam non fore æternam*. 244. *eam eſſe ab igne corporeo*. 247. *Una, & bona*. 306.
Anthropomorphitæ. *Vid.* Audæani.
Apocalypſim *negabant Alogi*. 76. *rejiciuntur*. 84.
Apoſtolici *qui fuerint*. 187. 188. *quando emerſerint, & quamdiu duraverint*. 189. *ab Encratitis & Tatianis ramus avulſus*. 188. 190. *omnes continentiam profitebantur, & temporalia bona abdicabant*. 191. 196. 197. *à Monachis diverſi*. 192. &c.

Ap-

Digitized by Google

Appellationis *jus ad Rom. Pont.* 340. 341.

Ariani *ad Julium Rom. Pont. appellant*. 340. 341. *ei refragantur. Eccleſiam ſcindunt*. 342. 343. *Mala Eccleſiæ prænuntiantur*. 344. *eorum error de Filio Dei*. 354. *&c. de Spiritu Sancto*. 359. *Verbum carnem aſſumſiſſe ſine anima dicebant*. 360. 361. *Hymnum Glorificationis pervertebant. Catholicos rebaptizabant*. 362. *in tres ſectas diviſi*. 371.

Arius. *Ei prælusit* Origenes. 250. *Quis & qualis fuerit*. 328. *Presbyter ambitione Epiſcopatus & invidiâ hæreſim formavit*. 329. *eâ auditâ omnes exhorruerunt*. 330. *quibuſdam tamen placuit*. ibid. *damnatur*. 331. *Thalejam componit. Errores in ea prodit*. 332. 333. *Eccleſia ſcinditur, Nicænum Concilium cogitur*. 334. *Conſtantinus Imperator Arium rejicit deinde recipit*. 334. 335. 336. *ab Ario deceptus eum Alexandriam mittit*. 336. *infelix exitus*. 338.

Artemon *Chriſtum purum homines Apoſtolos credidiſſe dicebat*. 124.

Artotyritæ *panem & caſeum in Euchariſtia offerebant*. 56. 57.

Aſcodrogitæ *utrem inflatum circumferebant: iidem fortè ac Aſcitæ*. 61.

Aſcodrytæ *viſibilia myſteria & Baptiſmum rejiciebant*. 61.

Aſterius *Arianus*. 265. 266.

Aſtrologiæ *vanitas*. 108. 109.

S. Athanaſius *Nicæno Concilio interfuit*. 334. *Ario reſtitit*. 336. *Ab Arianis quanta paſſus*. 337. 340. *à Conſtantio*. 353.

Audæani, *ſive* Audiani *ab Audæo, ſive Audio: cur ſchiſma fecerint*. 363. *&c. Vitam auſteram profitebantur*. 365. *eorum hiſtoria*. 366. *ex eis orti Anthropomorphitæ ſeu Vadiani*. 367. *Deum corporeum eſſe fingebant*. 365. 369. 370. *Paſcha cum Judæis celebrabant*. 371. *eorum pœnitentia ridicula. De igne, aqua, ac Trinitate quid ſentirent*. 372.

Auditores *apud Manichæos qui eſſent*. 311.

S. Auguſtinus *negantes Sacrificia redarguit*. 101. 102. *inter ſcientiam Angelorum & Dæmonum diſtinguit*. 107. *inter cultum Sanctorum & Dei*. 185. *Monachos defendit*. 192. *rerum temporalium poſſeſſionem*. 204. 205. 206. 207. *contra Manichæos*. 289. 292. 293. 296. 297. 298. 306. 307. 308. *ſe apud Manichæos olim Auditorem extitiſſe fatetur*. 309. 310.

Aurelianus *Imperator Ethnicus favet Eccleſiæ Romanæ contra Paulum Samoſateuum*. 258. 259.

B

BAptiſma *Montaniſtarum rejectum*. 23. *collatum mortuis*. 49. *in lecto ob gravem infirmitatem ſuſceptum, olim dubium*. 161.

Bar-

Bardeſanis *conditio & geſta*. 130. 131. *Valentini ſectator an fuerit*. 132. 133. *Reſurrectionem mortuorum negavit: eum corripit Epiphanius*. 133. 134. *præter Libros Canonicos apocryphos admittebat*. 134. *an Fatum admiſerit*. 135. 136. *cum Abida Aſtrologo de Fato diſputavit*. 130. 131.
Bardeſanitæ. *Vid.* Bardeſanis.
Baſilius *Ancyranus Semiarianorum princeps*. 374.
Bellum *licitum eſſe oſtenditur*. 310. 311.

C

CÆlibatus *defenſio*. 193. 222. *Vid.* Virginitas.
Caro *à Deo bono eſt*. 295. *ejus carnium licitus*. 299.
Cataphryges 1.
Cathari. *Vide* Novatiani.
Centuriatorum *Magdeburgenſium calumnia*. 31.
Chriſtiani. *Bonorum temporalium poſſeſſio eis non vetita*. 196. 197. *&c.*
Chriſtus: *de eo quid ſentirent Elceſæi*. 95. 96. *Corpus immenſæ molis ei tribuebant*, ibid. *Purum hominem Theodotiani cum Theodoto aſſerebant*. 115. 116. *quomodo id probarent*. 117. 118. 119. *quomodo diſcipulis rerum poſſeſſionem vetuit*. 197. 198. *&c. Non eſt iterum pro Dæmonibus crucifigendus*. 245. *Ante Mariam fuit. Verbum in eo non per ſolam inhabitationem fuit*. 260. *Veram Carnem habuit*. 296. *Verè Filius David*. 297. *Unus, non duo*. 303.
Concupiſcentia *ex peccato eſt*. 308.
Conſtantini *Imp. zelus pro die Paſchatis ſtabiliendo*. 67. 68. 69. *pro bonis Eccleſiæ reſtituendis*. 207. 208. *Arium damnat, poſtea deceptus recipit*. 334. 335. 336. *mors*. 338. *Orientis Imperium Conſtantio relinquit*. 339.
Conſtantius *Imp. à quodam Presbytero deceptus Arianorum cauſam ſuſcipit*. 339. *Liberium exilio damnat*. 345. 346. *Athanaſium criminatur*. 351.

D

DAnæus *Monachos cum Valeſiis ineptè confundit*. 154. *&c. item cum Apoſtolicis*. 191. *& ſeq. Recentium Catharorum cauſam contra Catholicos inſulsè ſuſcipit*. 176. *in cultu Angelorum cum hæreticis Angelicis Catholicos ineptè confundit*. 183. *&c. ut Monachis detrahat Origenianorum auctorem facit Monachum*. 221. *Pauli Samoſateni ad Aurelianum recurſu abutitur ſed ineptè*. 258. 259. *Catholicos cum Manichæis in abſtinentia confundit*. 299. *Monachos cum Hieracitis*. 315. *Ritus Romanæ Eccleſiæ ritibus Meletianorum aſſimilat*. 327. *Audæanorum exemplo ſuam ſeceſſionem tuetur*. 364. 372. *Uſum Imaginum Dei ab Anthropomorphitis*

tis ortum dicit. 368.
Diaboli *pœnam fore æternam*. 244. 245. *non eſt naturâ malus*. 291.
Divinatio *fallibilis*. 109.
Divitiæ *quomodo ſint poſſidendæ*. 198. 199. *quomodo à Regno Cœlorum excludant*. 200. 201.
Deus *malus non datur*. 289. 290. &c. *Corpus non habet*. 369. 370.

E

ECcleſia *Catholica ſecundas Nuptias permittit*. 30. *nec Matrimonia pro arbitrio dirimit*. 31. *ejus Jejunia injuſtè damnata*. 33. 34. 35. 36. *poteſtatem omnia remittendi peccata à Chriſto accepit*. 37. 38. 39. 40. *Mœchis aliquando veniam negavit, non defectu poteſtatis, ſed rigore diſciplinæ*. 40. *comparatur navi ex multis lignis compactæ*. 193. 194. *Etiam ante Conſtantinum bona temporalia poſſidebat*. 207. 208. *bonorum Eccleſiæ Miniſtri non ſunt Domini*. 209. 210. *Mala ei prænuntiata ex Ariana hæreſi*. 344.
Elceſæi *ſeu Sampſæi ab Elxai orti*. 92. 93. *duas feminas Martham, ſeu Maltham, & Marthanam ſeu Malthanam in honore habebant*. 93. 94. *harum mors, & hæreſis tempus diſputatur*. 94. 95. *Unum Deum afferebant. Chriſtum puram creaturam ejuſque ſororem Spiritum Sanctum, illum marem, iſtum feminam. Duos tamen Chriſtos: unum ſupernum & omnium conditorem, infernum alterum & ex Maria natum confingebant*. 95. 96. *Librum è Cœlo lapſum fingebant: formam orandi diverſam ab ea, quam Chriſtus præſcripſit, habebant: orare verſâ facie ad Orientem prohibebant*. 97. 98. *Fidem negare licitum afferebant*. 102. *afferebant exempla Phinees & Jehu*. 103. 104. *omnia Sacrificia improbabant*. 101. *Virginitatem ſpernebant*. 105. *Magiæ vacabant*. 107. *per creaturas jurabant*. 110. 111.
Epiphanius *Eccleſiam comparat navi*. 193. 194. *Trinitatem contra Sabellium probat*. 219. *contra Manichæos*. 290. 291. *de Meletio ſingularis eſt*. 320. 321. *Anthropomorphitis non favet*. 367.
Eſſentia *ab hypoſtaſi diſtinguenda*. 216. 217.
Eva *à Pepuzianis celebrata*. 55.
Evangelium *S. Joannis negabant Alogi*. 80. 81. *defenditur*. 82. 83. 84.
Euchariſtia *à Montaniſtis contaminata*. 48. *Hoc tamen negabant*. 49. *In ea ſolùm offerri debet quod inſtituit Chriſtus*. 58. 59. *à Manichæis polluta*. 312.
Eunuchi *ad libidinem proniores*. 152. 153. *Qui ſint Eunuchi, de quibus Chriſtus*. 153.

Fe-

F

Feminæ *Ordinis Eccleſiaſtici incapaces, benè tamen gratiæ gratis datæ.* 53. 54. 55. *Hæreticorum comites.* 2. 3. 93. 94.

Fides *non neganda.* 103. 104. *ejus neceſſitas contra Manichæos.* 309. 310.

Filius *Dei non eſt creatus ſed genitus, contra Origenem.* 250. 251. *contra Arianos.* 354. 355. *&c.*

Fuga *in perſecutione licita cui & quando.* 42. 43. 44. 45. 46.

G

GAngrenſis *Synodus continentiam laudat.* 195.

Generatio *à Manichæis damnata.* 298.

Georgius *Laodicænus Semiarianorum princeps.* 374.

Gregorius XIII. *multa egit pro die Paſchatis ſtabiliendo.* 70. 71.

H

HIeracitæ *à Hierace ſeu Hieracha.* 314. *à Macario per miraculum convicti.* 316. *Carnis reſurrectionem negabant, Nuptias repudiabant.* 317. *Infantes à Regno Cœlorum excludebant. Paradiſum fuiſſe corporeum negabant, Melchiſedechum Spiritum Sanctum aſſerebant, de Trinitate peſſimè loquebantur.* 318. 319.

Hierax *Hieracitarum parens Ægyptius fuit ab alio Hierace Epiſcopo Catholico eruditus; Monachus an fuerit.* 314. 315. *Unde factus ſit hæreticus.* 319. *Vitam auſteram profitebatur.* ibidem.

S. Hieronymus *ab Origeniſmo ſe liberat.* 250. *&c.*

Homo *habuit corpus ante peccatum.* 247. *formatus in Paradiſo terreſtri, peccando non perdidit imaginem Dei.* 248. *à Deo formatus.* 303. 304. *quomodo ad imaginem Dei.* 369. 370.

Homouſion & Homiuſion *quid ſignificent.* 356. Homouſion *prudenter additum Symbolo.* 380. 381. *Arianis injuſtè diſplicebat.* 382. *Paulus Samoſatenus eo abutebatur.* 383. *non tamen propterea* Homouſion *rejiciendum.* 384. Homiuſion *ad fidem exprimendam non ſufficit.* 385. *An omnes qui* Homouſion *rejiciebant eſſent Hæretici.* 386.

Hypoſtaſis *ab eſſentia diſtingui debet.* 216. 217.

Hypſale *Scythiani uxor.* 275.

I

JEhu *laudatur, ſed non ob ſimulationem.* 104.

Jejunia *Montani cur damnata.* 32. 33. 34. *Jejunia Eccleſiæ Catholicè injuſtè jejuniis Montani comparantur.* 34. 35.

Inferni *pœnæ æternæ.* 245.

S. Joannes *in Evangelio cur multa præteriit.* 82. 83. *Miraculum converſionis aquæ in vinum quo-*

quomodo vocat primum . 83. *Evangelium & Apocalypſim ejus eſſe defenditur* . 81. 84.
Ittigius *Romano Pontifici Montaniſmum affingit* . 13. *Jejunia Eccleſiæ Jejunii Montani comparat* . 35.
Judæi *verſá facie Jeroſolymam orabant* . 98.
Jurare *per creaturas non licet* . 110. 111. *quomodo & quando liceat* . ibid.

L

S. Leonis *zelus pro die Paſchatis* . 70.
Levitæ *an temporalia bona poſſiderint* . 208. 209.
Lex *vetus à bono Deo* . 294. 304.
Liberius *Papa ab Arianis multa paſſus* . 345. *cui Sirmienſi formulæ ſubſcripſerit* . 346. 347. 348. *quomodocumque fuerit Romana Cathedra in eo non defecit* . 348. 349.
Liberum *arbitrium negabant Manichæi* . 309.

M

Macarius *Monachus Hieracitam miraculo convincit* . 316.
Macedonius *ab Arianis Epiſcopus Conſtantinopolitanus eligitur* . 387. *brevi à Conſtantio ejicitur* . *Hæreſim condit, cui Eleuſius Euſtathius & Marathonius adjutores fuere* . 388. 389. *ejus obitus* . 390. *Hæreſis publicatio & damnatio* . 390. 391. 396. *confutata* . 392. &c.
Malum *per ſe cauſam non habet* . 290. 291. *nec ſenſum, nec vitam* . 290. 293. *nec eſt natura, ſed vitium naturæ* . 307.
Manes, *priùs dictus Cubricus* . *Terbinthi errorum ac rerum hæres fuit* . *Ob filii Regis Perſarum mortem captus elabitur* . *Manichæum ſe vocari facit* . 277. 278. *ſcribit ad Marcellum* . 279. 280. *convictus fugit* . 281. *ſed occiditur* . 282. *ab ejus diſcipulis hæreſis evulgata diù ſubſtitit* . 283. 284. *Serpenti antiquo comparatus* . 313.
Manichæi *ad Orientem verſi Solem adorabant* . 105. *Hæreſis ortus* . 275. &c. *Duos Deos unum bonum alium malum ponebant* . 285. *inſana hujus explicatio* . 286. *Duas animas in homine aſſerebant, carnibus &c. abſtinebant* . 286. 287. *de productione Adami, de Chriſto, de Lege, de Baptiſmo, de concupiſcentia peſſimè ſentiebant* . 288. 289. *Errores eorum confutati* . 289. 290. &c. *de Deo ut de re corporea loquebantur* . 293. *de Trinitate errabant* . 294. *de Lege, de Angelis* . ibid. *de Carne* . 295. *hanc veram non eſſe in Chriſto* . 296.
Manichæi . *Chriſtum ad ſolas animas liberandas veniſſe dicebant* . 297. *Generationem execrabantur* . 298. *Eſum carnium* . 299. *Vini potum* . 300. *Panem pauperi præbere nefas arbitrabantur, non pecuniam* . 301. *Sancto-*

ctorum Reliquias abjiciebant. 301. 302. Chriſtum fuiſſe Serpentem qui Evam decepit, & alia de eo ridicula dicebant. 302. Duos Chriſtos fingebant. 303. Hominem non eſſe à Deo formatum, ſed à Principe tenebrarum. 304. In Manichæum deſcendiſſe Paracletum, imò à Paracleto ipſum aſſumtum dicebant. 305. Eorum error de duabus animabus à S. Auguſtino impugnatur. 306. 307. 308. Concupiſcentiam ex peccato non eſſe aſſerebant. 308. Liberum arbitrium & fidei neceſſitatem negabant. 309. Eorum inſaniæ. 310. Metempſycoſim aſſerebant. ibidem. Bellum illicitum. 311. Eorum Electi & Auditores qui eſſent, qui mores eorum. 311. 312. in Eucbariſtia execrabiles. ibid.

Marathonius *hæreticus Macedonianus*. 389.

Marcellus *Ancyranus Photini præceptor*. 265. *an fuerit Arianus*. 266. *ejus errores*. 267. 268.

Martha & Marthana *Elceſæorum feminæ*. 93. 94.

Maximilla *Montani prophetiſſa*. 2. 3. *ejus exitus*. 6. *mendax prophetiſſa*. 18. 19. &c.

Melchiſedech *purus homo; quomodo dictus ſit Rex juſtitiæ, ſinè patre, ſinè matre, ſinè genealogia, non habens initium dierum, aſſimilatus Filio Dei, Sacerdos in æternum, &c.* 125. 126. 127. 128. 129. *Spiritus Sanctus non eſt*. 318.

Melchiſedeciani *Theodotum trapezitam argentarium auctorem habuere*. 121. *Melchiſedech virtutem Divinam aſſerebant*. 122. *Chriſto ſuperiorem*. 123. *eorum fundamenta inania*. 124. 125.

Meletiani *à Meletio. primò ſchiſmatici, deinde hæretici*. 321. 323. *Arianis in errore junguntur*. 324. *Eorum alii errores*. 325. 326. *ritus*. 227.

Meletius *ſeu* Melitius. *duo fuere, Catholicus unus, hæreticus alter. De iſto Epiphanius ab Athanaſio & aliis diſſentit*. 320. 321. 322. *ſchiſma fecit, delatus fuit ad Concilium Nicænum, in ſchiſmate obiit*. 323. *cauſa ſchiſmatis*. 324. 325.

Monachi *à Valeſiis diſſimiles*. 154. 155. 156. *Item ab Apoſtolicis*. 191. 192. &c. *ab Auguſtino & Epiphanio defenſi*. 192. 193. 221. 222.

Montani *ortus, defectio, prophetiſſæ Priſcilla & Maximilla. Earum conditio*. 2. 3. *quando & ubi Montanus ſuam hæreſim cœperit*. 4. 5. *exitus*. 6. *hæreſis duratio*. ibidem. *Ejus aſſeclæ Theodotus & Alcibiades ac Themiſon*. 7. *Paracletum in ſe ac ſuas prophetiſſas uberiùs deſcendiſſe, non tamen ſe Paracletum eſſe dicebat*. 16. 17. 22. *falsò tamen*. 18. 19. 20. 21. *Circa Trinitatem non erraſſe verius creditur*. 22. 23. 24. *Nuptias ſecundas damnabat*. 25. *Primas nuptias non ſolvebat*. 30. 31. *Jejunia quaſi à Paracleto præcepta multiplicabat*.

bat. 31. 32. *&c. Poteſtatem remittendi aliqua peccata Eccleſiæ auferebat .* 36. 37. *&c. In perſecutione fugere illicitum eſſe dicebat .* 42. *&c.*

Montaniſtæ. *Eorum Baptiſma cur rejectum.* 23. *Vid.* Montani. *Animam corpoream exiſtimabant.* 47. 48. *Eucharistiam ſanguine infantis occiſi contaminaſſe fama fuit.* 48. *Mortuos etiam baptizaſſe .* 49.

N

Noetiani *à Noeto dicti.* 136. *etiam Patripaſſiani .* 140. *confutantur .* 141. 142. 143. *eorum argumenta ſolvuntur .* 143. 144. 145. *eorum propago Sabelliani .* 210. 211.

Noetus. *Ejus patria & tempus diſcutitur .* 137. *Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum unam eſſe Perſonam docuit , ac ſe eſſe Moyſen , fratrem ſuum Aaronem dicebat.* 138. *à Smyrnenſibus pulſus .* 138. *non diu cum fratre ſupervixit , nec ſub ejus nomine diù hæreſis permanſit , ſed in Sabellianam tranſiit . Non fuit primus qui Trinitatem perſonarum ſuſtulit .* 139. 140. *ejus error de Moyſe & Aaron contemnitur .* 146.

Novatiani *negando poteſtatem remittendi peccata Montaniſtas imitabantur .* 41. *Catharos ob munditiem ſe dictitabant.* 157. *Initio à Novato Novatiani dicti fuere.* 157. *quo tempore hæreſis hæc apparuit .* 169. *diù duravit .* 169. 170. *Novatiani veniam lapſis nedum in idololatriam , ſed & in alia crimina denegabant ; ſaltem Eccleſiæ hanc poteſtatem auferentes .* 170. 171. *refutantur ut injurii Chriſto & miſericordiæ Dei .* 172. 173. 174. 175. *ſecundas nuptias rejiciebant .* 177. *Martyrum Reliquias contemnebant .* 178. *ad eorum Sectam venientes iterum baptizabant , Confirmationem tamen rejiciebant .* 178. 179. *de die Paſchatis diſcordes erant , ſe ſolos puros jactabant .* 180.

Novatianus *Romanus Presbyter ex parentibus Ethnicis natus . Decumbens Baptiſma in lecto ſuſcepit , non tamen poſtea Sacrum Chriſma . Quomodo ordinatus Presbyter.* 160. 161. *reſiſtente Clero .* 162. 163. *cum Novato contra Cornelium ſchiſma fecit .* 163. *&c. quid de eo S. Cyprianus & Cornelius ſenſerint .* 164. 165. *&c. ejus artes .* 168. *tandem derelictus .* 168. 169. *Martyr falsò aſſeritur .* 169.

Novatus *à Novatiano diverſus , ille Afer , iſte Romanus: hujus tamen ille incentor .* 158. 159. *Novatus ne damnaretur Romam aufugit.* 159. *ibi ſchiſmatis ſemina jecit .* 160. *Martyr falsò aſſeritur .* 169.

Nuptias *ſecundas Montanus damnabat .* 24. 25. *etiam Tertullianus in nova Lege.* 25. 26. 27. *Error iſte rejicitur.* 27. 28. 29. *eas Adamitæ abſolutè rejiciebant.*

Digitized by Google

bant. 89. *Novatiani quoquè*. 177. *Hieracitæ etiam*. 317. 318.

O

Oblationes *in antiqua Eccleſia ad Altare fieri ſolitæ*. 58. *abuſus*. 59.

Orandi *forma Elceſæitarum*. 97. *Versùs Jeroſolymam orabant Judæi, Chriſtiani veteres versùs Orientem, & versùs Orientem Templa erigebant*. 98. 99. 100. *S. Leo hoc Romæ vetuit; ut Catholicos à Manichæis ſecerneret*. 100.

Origenes *cur Adamantius dictus, Alexandriæ natus parentem habuit Leonidem Martyrem. In adoleſcentia laudabilis*. 225. 226. *Martyrii cupidus*. 227. *amore caſtitatis eunuchum ſe fecit*. 228. *ejus ſtudium & opera*. 228. 229. *an thus Idolis obtulerit*. 229. 230. *ejus obitus*. 230. *In fide erravit*. 231. 332. 233. &c. *Ab hæreſi excuſatur*. 238. 239. *Ejus errores de Animabus, Dæmonibus &c. recenſiti*. 239. 240. *refutati*. 241. 242. 243. &c. *de Reſurrectione malè ſenſit*. 244. *Chriſtum pro Dæmonibus fore iterum crucifigendum dixit*. 245. 246. *Paradiſum, in quo Adam & Eva formati fuerunt, non fuiſſe terreſtrem*. 247. *Peccando non amiſit imaginem Dei*. 248. *de Omnipotentia Dei malè ſenſit. Filium Dei creatum poſuit*. 249. 250. *Pelagianæ hæreſi præluſit*. 252. 253.

Origeniani *ſeu* Origenii *qui fuerint, & quis eorum auctor*. 220. 221. *Origenes quidam fuit, non Adamantius nec Monachus*. ibid. *Gnoſticorum turpitudines imitabantur*. 223. 224.

Oſii *Cordubenſis lapſus*. 350. *reſipiſcentia*. 351. *falſa de ipſo narratio*. 352.

P

Paradiſus, *in quo homo formatus fuit verè fuit terreſtris*. 248. 318.

Parvuli *Regni Cœlorum capaces*. 318.

Paſcha *quâ die celebrandum controverſia fuit*. 63. 64. *cauſa in Nicæno I. deciſa fuit*. 67. 68. *Eccleſiæ vigilantia pro die Paſchatis cuſtodienda*. 69. 70.

Paſſalorinchitæ *iidem ac Taſcodrugitæ*. 60.

Paulus *Samoſatenus. Epiſcopus. ejus vanitas, mores turpes. ab Epiſcopatu dejectus*. 255. 256. 257. *Contumax ad Aurelianum Imper. ethnicum appellat & rejicitur*. 258. 259. *de Chriſto, Verbo, ac Trinitate blaſphemus*. 260. 261. &c. *Baptiſmi formam corrupit. Circumciſionem neceſſariam voluiſſe fertur*. 263.

Peccata *omnia ab Eccleſia poſſunt remitti*. 38. 39.

Pelagiana *hæreſis ac Semipelagiana ab Origene præformatæ*. 252. 253.

Pepuza *Phrygiæ oppidum, à quo* Pe-

Digitized by Google

Pepuziani, Montaniſtarum Jeruſalem. 1. *ibi ſecreta ſua celebrabant*. 49.
Pepuziani *Montaniſtarum ſoboles*. 50. *Pepuzam colebant. Chriſtum muliebri ſpecie apparuiſſe fingebant, feminas extollebant*. 51. 52. *Epiſcopatu & Sacerdotio decorabant*. 53. 54. *Evæ ſpecialem gratiam tribuebant*. 55.
Perſecutio *quomodo à Deo ſit*. 45. *Vide* Fuga.
*S.*Petrus *Alexandrinus, ejus cum Meletio diſſenſio*. 321. 322.
Photinus *à Marcello pravè imbutus*. 268. 269. *Sirmii, ubi erat Epiſcopus ejus hæreſis cœpit. Arianis diſplicuit. Propterea depoſitus ab Epiſcopatu*. 280. 281. *Hæreſis duratio.* ibidem. *Errores de Deo, Chriſto & Verbo prolatitio*. 272. *Verbum admiſit in Patre æternum, ſed non æternum Filium*. 273. 274. *in hæreſi mortuus*. 275.
Phrygaſtæ *unde dicti*. 1.
Pœnitentiæ *locum adimebant Novatiani*. 172. *&c.*
S. Polycarpus *de die Paſchatis*. 64. *& Polycrates*. ibid. & 72. *monitus à Chriſto Arium in communionem non recepit*. 328. *viſio tamen hæc ſuſpecta eſt*. ibid.
Poteſtas *remittendi peccata non ſoli Petro conceſſa*. 38. 39.
Praxeas *olim Montani diſcipulus ab eo defecit*. 10. *Romæ damnatur*. 10. *unam in Deo perſonam poſuit*. 23.
Priſcilla *Montani prophetiſſa*. 2. 3. *mendax*. 18. 19.
Proclus *Montaniſta*. 8. 9.
Prophetæ *veraces qui ſint*. 18. 19. 20. 21.
Proteſtantes *jejunia Catholicorum Jejuniis Montani comparant*. 33. 34. *poteſtatem dimittendi peccata Eccleſiæ negantes Montaniſtas ſuperant*. 41. *Pauliana hæreſis apud eos renovata*. 263. 264. *Ariana quoquè*. 343.
Pſychici *qui à Tertulliano vocati*. 34.

Q

Quadrageſimas *Catholicorum cum quadrageſimis Montani injuſtè comparant Proteſtantes*. 35. 36.
Quartodecimani *Paſcha quartadecimâ Lunâ celebrabant*. 62. *non omnes ab initio hæretici fuere*. 63. 64. *ſed tunc ſolùm quando eâ die celebrandum eſſe more Judaico ex præcepto Chriſti dicere cœperunt*. 65. *Hujus erroris auctorem aliqui faciunt Blaſtum, quem alii imitati fuere*. 65. 66. *error in Concilio Nicæno I. damnatus fuit*. 67. *oppoſita argumenta ſolvuntur*. 71. 72. 73. 74. 75.

R

Reliquiæ *Sanctorum quomodo venerandæ*. 301. 302.
Reſurrectio *fiet in corporibus quæ modo habemus*. 244. 317.
Romanum *Pontificem Montano faviſſe quidam dicunt*. 13. *rejiciuntur*. 14. 15.

Sa-

S

Sabelliani *à Sabellio Noeti diſcipulo: in errore cum Noetianis conveniebant*. 210. 211. *Ut Dei unitatem tuerentur, Trinitatem negabant*. 212. 213. *In Africa exorti*. 214. *Hæreſis vel ex Judaiſmo vel à Stoicis prodiit*. 215. *refutatur*. 216. 217. *&c. Pſeudo-Evangelio ſecundùm Ægyptios utebantur*. 219.

Sabellius *Afer fuit. ejus error ſub Xiſto innotuit*. 213. *ejus conditio ignota*. 214. *poſuit in Deo unam Perſonam trinominem*. 215. *neſciens diſtinguere inter eſſentiam & hypoſtaſim*. 216. 217.

Sacrificia *Deo accepta in utraque Lege*. 101. 102.

Sampſæi. *Vid.* Elceſæi.

Scriptura *Sacra non privato genio interpretanda*. 314. 315.

Scythianus *Manichæorum parens*. 275. *ejus error & exitus*. 276. 277.

Semiariani *inter Arianos & Acacianos medii, Filium Dei non diſſimilem Patri, ut illi, nec puram imaginem ut iſti; ſed* Homiuſion *ideſt Similem, non* Homouſion, *ideſt ejuſdem Subſtantiæ, aſſerebant*. 373. 374. *in modo tamen ſe explicandi ſuſpecti erant*. 376. 377. *ac omnes malè ſentiebant*. 378. 379.

Spiritus *Sanctus. Feminam eum Elceſæi dicebant immenſá corporis magnitudine*. 96. *Creatum ponebant Ariani*. 359. *refutantur*. ibid. *Verus Deus, non Dei Legatus*. 394. *quomodo poſtulet pro nobis*. 395.

T

Taſcodrugitæ *inter orandum digitum ori apponebant, in reliquis cum Cataphrygibus convenientes*. 60. *dicti etiam Paſſalorinchitæ*. ibidem.

Terbinthus *Scythiani diſcipulus & hæres errorum ac rerum. Buddam ſe vocari fecit: periit*. 276. 277.

Tertullianus *de Praxea ſcripſit*. 10. *Ad Montaniſtas defecit; quá causâ?* 11. 12. 13. *Secundas nuptias damnavit*. 25. 26. *refutatur*. 27. 28. 29. *aliqua peccata poſſe per Eccleſiam remitti negabat*. 38. 39. *fugere in perſecutione damnavit*. 42. 33. *&c. Animam humanam corpoream putavit*. 48.

Teſſareſcedecatitæ. *Vid.* Quartodecimani.

Thaleja *Arii*. 332. 333.

Themiſon *Montani aſſecla*. 7. *a Montaniſtis martyr habitus*. 8.

Theodotiani *errores Theodoti Coriarii ſequebantur*. 115.

Theodotus *Argentarius Melchiſedecianorum auctor*. 121. & ſeq. *ejus diſcipuli*. ibid.

Theodotus *Coriarius*. 112. 113. *Jeſum eſſe Deum cur negavit*. ibid. & ſeq. *Chriſtum ante mundum conditum aſſerebat*. 119.

Theodotus *Montaniſta quis?* 7.

S. Tho-

S.Thomas *pro Virginitate*. 106. 107. *de divinatione quid ſentiat*. 109. 110. *Juramentum quale & quomodo licitum ponat*. 111. 112. *de temporalium poſſeſſione*. 205. *de unitate Dei contra Manichæos*. 290.

Trinitatem *ſuſtulit Praxeas*. 23. *Noetus etiam*. 138. & ſeq. *Sabellius pariter*. 210. & ſeq. *Contra iſtos veritas Catholica probatur*. 140. &c. 218. &c. *de ea Paulus Samoſatenus blaſphemus fuit*. 260. 261. 262. *Photinus quoque*. 273. &c.

V

Valeſii *unde dicti, quando eruperint diſceptatur*. 146. 147. *ſibi virilia amputabant*. 148. *agniti, fuerunt ejecti ab Eccleſia*. 149. *obſcenè vivebant*. 149. *refutantur*. 150. 151. *eorum motivum inane; Eunuchi enim ad libidinem magis proni*. 152. 153. *abutebantur Chriſti Verbis*. 153. 154. *quàm diſſimiles à Monachis & Sacerdotibus Catholicis*. 154. 155. 156. *aliis erroribus inquinati traduntur*. 149.

Verbum *Dei eſt æternum, non factum, ſed per ipſum facta ſunt omnia*. 80. *nec tunc ſolùm emiſſum quando Chriſto fuit unitum*. 260. 261. *Veram carnem aſſumſit*. 296. &c. *non ſinè anima*. 360.

Victor *Papa de die Paſchatis*. 64. *cum Aſiaticis pacem habere noluit; quia rem hanc non ad purum ritum ſed ad dogma ſpectare volebant*. 64. 66.

Vincentii *Lirinenſis monitum*. 253. *Ariani ſchiſmatis deploratio*. 342. 343.

Vini *potum execrabantur Manichæi, non tamen uvas*. 300.

Virginitas *in pretio habita ab Ethnicis*. 105. *quomodo præferenda nuptiis*. 106. 107.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google